
BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
10 D
42

PHAEDRI FABULAE

EX

CODICE PEROTTINO MS.

REGIAE BIBLIOTHECAE NEAPOLITANAE

EMENDATAE, SUPPLETAE, ET COMMENTARIO INSTRUCTAE

A CATALDO JANNELLIO

EIUSDEM REGIAE BIBLIOTHECAE SCRIPTORE.

Praefixa est de Phaedri vitâ Dissertatio.







NEAPOLI 1811.

Typis DOMINICI SANGIACOMO.

Praesidum veniâ.

Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria.

Phaedrus Lib. II. Epitom. Fab. XIX. v. 12.

LECTORI BENEVOLO

CATALDUS JANNELLIUS.

Perottino Codice ad fidem scripturae suae iam typis commisso, si quid utilitatis et commodi in bona Adolescentium studia derivari inde posse iure fuit existimatum: aequissimum sane erat, immo plane necessarium, ut potior saltem Libri pars in probabilem quamdam Lectionem adducta iterum emitteretur in lucem. Equidem ab istâ curâ suscipiendâ antea longe aberam, eumque ab aliquo docto Viro adsumi prorsus cupiebam:. Attamen quum Perottini Codicis, et Prolegomenôn in eum editionem proferri in dies et protrahi viderem (*), dolereique profecto nescio quod diuturnum tempus postulari, quo Phaedri fabulas degustare Adolescentuli potuissent: Quum longo insuper in MS. librum studio non sinceras modo lectiones omnes perspectas haberem, sed etiam in sententiâ enodandâ non parum me profecisse putarem, pluraque pro nata re collegissem, quibus Fabulator ornari quomodocumque posset: Quum tandem et auctoritas et consilium Cl. Ioannis Andresii vigilantissimi Praefecti nostri accessisset, qui quot modis et argumentis potuit totum hoc Phaedrianum opus iuvit, ad istam editionem curandam impulsus et perductus fui.

Primum igitur Fabellas novas selegimus, Phaedroque fidenter inscripsimus, non modo argumentorum, quae in Dissertationibus collegimus pondere et numero permoti, sed plurium etiam doctorum Virorum, quos consuluimus, iudicio inducti. Tum sententiâ, quo maiore potuimus studio, perpensâ, proprietate ac usu verborum spectato, metrorumque necessitate observatâ a non paucis Amanuensium vel Grammaticorum erroribus liberare sategimus: Curis-

que

(*) Editio suscepta est Novembri mense anni 1808 in Regiâ Typographiâ ex Regio Decreto.



que repetitis omnem dedimus operam; ut quibusvis MS. fragmentis collectis, et vestigiis, ut ita dicam, corrasis, vetus et sincera lectio exsurgeret. Sunt quidem adhuc nonnulla, quae nec fragmentis, nec vestigiis perspicuis innituntur: Sed haec sunt admodum pauca, et coniectiones, quas sententia, metrum, deficiens locus suppeditant haud iniquissime ferri posse puto. Interea sperare volumus, ut hae quoque novae Phaedri Fabulae Rittershusios suos, Rigaltios, Fabros, Heinsios, Gudios, Harios, Burmannos nancisci mature velint, et brevi ad splendorem pristinum reddi. Cur autem supplementa, quae dicuntur, haud aliis formis, ac cetera, imprimi fecerimus, illud primum, Lector, in caussa fuit ne Tibi oculos abrupta typorum varietas fatigaret. Praeterea si diversis formis singula notanda erant, quae haud evidentissime in MS. cernuntur, tum ingens plane abruptarum istarum lectionum seges colligenda erat, et ineptâ quidem diligentiâ quum pleraeque exploratissimae essent et certissimae: Si tantum dubia et ambigua, tum non ipsae MS. lectiones, sed Editoris iudicia, quae falli possunt, excudebantur. Idcirco visum nobis est omnia iisdem typis edere. Verum ne quid Fabulatori obtruderetur, quod MS. non adtribuat, propterea, quaequae sint eius Exempli lectiones in notulis subiecimus, ut quisque comparationem per se instituere possit, et ubi nostra non arrideant, alia sibi proprio marte parare. Ista fortasse ad hoc propositum non sufficient: Sed ideo te, Lector, passim monuimus, ut Perottini Codicis Lectiones iam in lucem emissas, ubi haec te iuvent, adeas. At Fabellis istis novis Promythia etiam atque Epimythia desunt, Fabellaeque Aesopiae, ut notum est, sententiis expertes, suo veluti spiritu carent, atque adolescentulis potissimum, qui praeceptis et sententiis sunt imbuendi, haud satis aptae fiunt et opportunae. Ideo operae pretium esse putavimus Sententias Fabellis adiici, easque iambicis quibusdam versiculis clausas, tantum ut Fabellarum metrum servaretur, stilusque aliquo pacto fieret argutior. Et quo vel in istis Phaedrianus quidam color appareret, studuimus, ut ex ipsis Phaedri verbis, vocibus, versiculis non raro exsurgerent. Perottus quidem argumenta, quae vocant, Fabellis praefixit; Sed ea pedestri

stri sermone conscripta sunt, plerumque nimis ieiuna, parum elegantia, atque a sincera Fabulatoris sententia non raro, ut nobis est visum, aliena. Nos tamen versiculos illos in notulas reiecimus, ne quid Scriptori summo temere et inepte tribuere videremur. Quod si audax adhuc nonnullis id appareat satis me tueri puto Rittershusii, Gudii, Nilantii, Hauptii, Burmanni, Brotierii, Desbillonii exempla, qui non sententias tantum, quae per se stare possunt, et aliena manu confici, sed ipsas etiam Phaedri Fabulas, ubi defecerant supplere et restituere adnisi sunt: etsi nossent se longe a venustate et puritate Phaedriani stili distare. Denique Commentarium Fabellis subiecimus, in quo duo tantummodo spectare voluimus, ceteris Doctorum curae permissis: Primum nempe ut Auctoris sententia perspicua fieret et evidens: Alterum ut verba, voces, dicta eius quorumvis praestantissimorum Scriptorum auctoritate recta et latina ostenderentur. Atque haec duas pariter ob caussas: Scilicet, ut plana omnia et luculenta adolescentulis essent, quibus nos potissimum scripsimus: Tum ut si qui sunt, qui scientes Fabellas novas ex corrupto Nicolai Perotti MS. fuisse erutas, atque a nobis suppletas et emendatas, ad singula ferme haeserint, saepiusque de genuinis lectionibus dubitarint, ubi sincera Fabulatoris mens fieret evidens, ubi simillima Scriptorum loca essent praesto, Phaedrum facillime agnoscant, et praedicent. Quod consilium iam nunc probavit eventus. Nuperus enim Fabellarum novarum Editor, de quo mox dicemus, haudquaquam tot in locis eas corrupisset, si genuinam Fabulatoris sententiam nosset, et verborum proprietatem, ut par erat, expendisset.

Sed in MS. Codice nostro quum totidem veteres Phaedri Fabulae insint, quot Novae, eaeque magnâ solertiâ et iudicio a Perotto delectae; ut Perottina Phaedrianarum Fabellarum Epitome absoluta haberetur, quum tantus etiam Fabulator numquam satis legatur, edaturque, eas hîc adiicere neque ingratum neque inutile fore existimavimus. Ideo primum dedimus operam, ut Pithoeani et Remensis Codicis lectiones, longasque in emendando et restituendo Phaedro doctissimorum Virorum curas perspectas haberemus. Quamobrem Phaedri editiones a Rittershusio, Rigaltio, Schef-

Scheffero, Laurentio, Hoogstratano, Burmanno curatas relegimus: Quumque et alias insuper conquireremus praesto fuit Cl. Andresius Brotierianam exhibens: Tum doctissimus Eques Franciscus Daniel, qui bonis studiis impense favet, Desbillonii editionem notulis marginalibus Viti Iuvenatii insignem, quo commodius uterer, mei plane iuris liberaliter fecit: Editiones vero Cuningamii, et Philippi suppeditavit eruditissimus Eques, deque veteri re Nummaria, et potissimum Patria, optime meritus Franciscus Carellius. Dedimus porro operam, ut omnia quae in Fabellis Perottini Exempli deessent sive verba, sive versiculos, sive Promythia et Epimythia ex vulgatis Editionibus adderentur: Tum insuper ut si qua essent, quae aliorum curas effugerint, si quid spicilegii adhuc superesset sedulo legeremus: Ideoque singula non tenui labore recensentes, lectionesque MS. cum vulgatis conferentes, omnia qua maiore potuimus industriâ et fide expendimus et aestimavimus. Quo facto, paucas istas Fabulas plusquam centum insignibus locis emendatiores vulgatis legi posse putavimus. Nostrum quidem non est iudicare, ex votone res cesserit an non: At nostrum plane erat, Lector, haec cuncta iudicio tuo subiicere. Istis tandem Fabulis Commentarium pariter adposuimus, quum eas pariter Adolescentulis destinaverimus. Quaerent fortasse nonnulli cur prae Animadversionibus et Commentariis tot Cl. Virorum iam editis nescio quas Adnotationes nostras subiicere voluerimus. Verum id multis gravibusque de caussis factum est. Primum scilicet ut unus esset stilus, unus color, unus tenor Commentarii nostri in Phaedrum, neque huc illuc purpurei quidam aliorum panni, araneis nostris immixti apparerent. Tum si unum ex his elegissemus nimis ad propositum nostrum ieiuni, si omnes vel plerosque frustra prolixi. Praeterea isti Interpretes in firmandis plerumque immutandisque lectionibus incumbunt, quae modo vel plane receptae sunt, vel plane reiectae, et quae propterea nostra amplius non intersunt. Nihilominus plura sunt, quae ab Interpretibus et Criticis superius laudatis mutuati sumus, quod omnino fatemur, ne suis laboribus, curisque per me fraudati videantur.

Restat, Lector, ut de Fabularum novarum Editione,

quam

quam modo I. Ant. Cassittus curavit, paginisque omnino quatuor absolvit, unum alterumve te moneam. Is enim, quum istarum Fabellarum lectiones molestâ curâ et improbo labore ex MS. a nobis erutas inepto plagio (*) *surripuisset: sive quod nimium festinaret, nec suppeteret tempus, ut omnia, quâ par erat diligentiâ ex nostro exemplari describeret, sive quod data opera nollet ubique per vestigia nostra incedere, ut plagium aliquo pacto celaret, saepe a genuinis MS. lectionibus recessit, saepe fragmenta et vestigia vel neglexit vel corrupit: maligna quapiam etiam ac infideli diligentia non raro usus, quo fraudem, ut puto, speciosius obtruderet. Exempli gratiâ: Fab. I. v. 5. edidit: Quam partem quamvis* parvam *impartiar tibi: quasi ipse* το parvam *supplesset, nec quid incertum Auctori supponere vellet: Quum in MS. sit:* Quam tibi impartiar parvam quamvis pa . . . : *Fab. III. seu II. v. 6. dedit* Cornicis: *Perinde ac si plane ex Codice erueretur:* C . r . . cis: *Quod prorsus falsum: Nam ex eo evidenter eruitur* Corpus . . *Nos quidem post longas disquisitiones in* το Cornicis *devenimus, sed emendationem, ut par erat, coniecturâ proposuimus. Quidni idem facere Cassittus poterat? Cui bono MS. lectionem inepte mentiri? Fab. V. v. 3. Ut iura possent veritatem reddere. Quasi evidenti Codicis lectioni unam literulam* n *ipse adiecisset. Sed in MS. revera evidenter legitur:* Ut iura posset inter homines reddere: *Quod unum prorsus genuinum. etc. etc. Id quidem nec nostra nec literarum interesse arbitrati essemus, si Lectores saltem monuisset Cassittus, se nempe Fabellas istas non omnino ad Scripturae suae fidem vulgandas sumsisse; sed eas potius, ut fieri solet, emendandas, poliendas, instaurandas arbitrio suo suscepisse. Tum enim eum in suis sibi placere, et quae voluisset ex ingenio emendare, expolire, instaurare taciti sivissemus. Sed quum non omnes sciant, numquam prorsus Cassittum Perottinum Codicem legisse, numquam prorsus exscripsisse: Meque unum contra eum ex munere per triennium versasse, exscri-*


(*) De isto Plagio abunde loquimur Praefatione ad Dissertationes nostras in Perottinum Codicem.

scripsisse, interpretatum fuisse, et diligenter custodiisse. Et nostra et literarum interest ne Cassitti lectiones ineptae plerumque et absurdae pro ipsis MS. Lectionibus habeantur. Lectiones ideo omnes, quae a Lectionibus a nobis editis discrepant, ut a Cassitto inventas et obtrusas, Lector, habeto; vel si tu mavis restitutas ab eo, emendatas, instauratas, id enim nullo pacto moror: Sed cave credas sic in Perottino MS. legi, ut iste edidit: Verum contra hortor, ut quae iam nos edidimus teneas; non profecto quod me in exscribendo Codice numquam pro humana conditione labi potuisse arbitrer: Sed quod nec Cassittus, nec alius quivis praeter me unum adhuc MS. evanidum, qua par erat diligentiâ, legit exscripsitque. Ipsemet quidem alias et diversas lectiones recipere non dubitavero; sed ubi ille proposuerit, qui acriore et diuturniore ac nos curâ in MS. incubuerit, meque errasse, hallucinatumque fuisse apertis argumentis ostenderit: Non vero ubi quis lectiones surreptas corruperit. Vale interim, Lector, laboremque nostrum, si quid in commodum tuum facere potest, pro tua humanitate aequi bonique consule.

E Regiâ Bibliothecâ Kal. Martiis 1811.

DE
PHAEDRI VITA
CATALDI JANNELLII
DISSERTATIO.





Iure merito positum est in more, ut qui veterum Scriptorum libros vulgant de eorum vitâ, uti rei ipsius ratio patitur, proloquantur. Magnopere enim delectat, cuius ingenium vehementer miraris aetatem, patriam, conditionem nosse, cuiusque laudas et extollis scripta, quid peculiariter fecerit, egeritque, quaeve forte passus fuerit scire. Praeterea, quum nemo ullus manum ad scribendum apposuerit, quin religionem, instituta, factaque aetatis suae adtigerit et spectaverit, seque ipsum et mores suos depinxerit quodammodo in libellis et expresserit, ubi sedulo non providerimus, tempora, personas, facta temere invicem inepteque confundemus. Quae ego spectans, quum Perottinam Phaedrianarum Fabellarum Epitomen edere constituissem, lucubrationem quampiam etiam de nobilissimi Fabulatoris vitâ praefigere aequum esse existimavi. Plures profecto iam de Phaedro scripserunt, inter quos eminent, quod ego quidem sciverim, Tanaquillus Faber (1), Joannes Schefferus (2), Gabriel Schumannus (3), Arnoldus Pagenstecherus (4), Petrus Bayle (5), Henricus Cannegieterus (6), Ioan. Nicolaus Funccius (7), Hieronymus Tiraboschius (8), et Iosephus Desbillonius (9). Qui quum clarissimi et doctissimi Viri omnes fuissent diu incertus animi pependi aliquamne lucubrationem eorum seligerem, an ipsemet potius operi manum admoverem. Maturius re perpensa consilium hoc

(1) Praefat. in Phaedr. suum. (2) In vitâ Phaedri. (3) In vit. Phaedr. (4) In vit. Phaedr. (5) In Dict. voce *Phedre*. (6) Dissert. de aetat. et stilo Fl. Avian. Cap. X. (7) De Immin. Senect. Ling. Latin. Cap. III. §. 8. etc. (8) Letteratur. Italian. Tom. I Part. III. Libr. III. Cap. I. §. 47. etc. (9) Disputat. I. Phaedr. suo praefixa.

hoc et pluribus quidem ex caussis pervicit. Nam primum quoniam nobis de Petronio Arbitro agentibus (1) nonnulla de coaevo Phaedro adtingenda fuerunt, aequumque porro sit, ut et Petronium spectes ubi de Phaedro agas, quo initus rerum ordo servetur, peculiaris quidam labor requirebatur, quum Scriptores isti ante detectum Perottinum Codicem spectare haec non potuerint. Praeterea, quod longe gravius est visum, iidem docti Viri sive de patria, sive de aetate, sive de ceteris ferme omnibus, quae super Phaedro quaeri possunt, graviter inter se invicem discrepant; ideoque si quempiam eorum praetulissem reddenda erat ratio, cur sic fecissem; quod ipsum quodammodo erat, ac vitam Fabulatoris proprio marte conscribere. Quin insuper, dicam quidem libere, eorum Scriptorum de Phaedro lucubrationes, etsi alioquin doctae, et multa eruditione refertae, haud eae sunt quae Lectori omnibus numeris satisfaciant. Etenim ut saepius in ambiguis coniectionibus abundant, ita in eis excutiendis et perpendendis, tum statuendis et firmandis, quae maxime scire interest, atque ab aliis impugnantur, siccae profecto sunt et ieiunae. Nos quidem nec nova atque ignota, nec multa et magna prolaturos pollicemur: Pro virili tamen conabimur, ut ea qualiacumque sunt, ita argumentis et auctoritate firmentur, ut saltem quid tenendum sit, quid non tenendum facile sollers Lector perspicere possit.

CAPUT I.

De Patria Phaedri.

I. Petrus Pithoeus, qui primus inter recentiores de Phaedro est locutus, eum fuisse Thracem absolute scripsit (2): idque plures deinceps docti viri diutius tenuerunt et praedicarunt; putantes scilicet ea in regione natum eductumque Phaedrum fuisse, quae circa Hebrum, Rhodopenque patet. Quamobrem Tanaquillus Faber de ipso Phaedro canebat (3):

Parce barbaras vocare, quas Hebrus terras lavat,
Barbaras vocare parce, Phaedrus en noster vetat.

Attamen ineunte seculo XVIII Deniseus, qui Phaedri fabulas gallicis versibus reddiderat, receptam opinionem impugna-

(1) Dissert. III. in Codic. Perottin. (2) Epistol. ad Fratr. Phaedr. suo praef. an. 1596. (3) Praefat. cit.

gnavit, contenditque Phaedrum non in Thraciâ natum fuisse, sed in Macedoniâ (1), quae numquam ultra Strymonem vel Nestum excucurrit. Docti quidam viri (2) in Deniseum surrexerunt, veteremque opinionem sunt tutati: Sed hi argumentum quidem, quo nitebatur Deniseus refellerunt, haud vero ipsas, ut ita dicam, radices, et fundamentum novae opinionis sustulerunt. Quamobrem haud multis post annis Nicolaus Funeccius Phaedrum non Thracem patriâ fuisse sed Macedonem asseruit (3): Et si alii plures, inter quos ex nostris Quadrius (4) et Tiraboschius (5) Phaedrum in Thraciâ potius natum praedicare perstiterunt, Iosephus tandem Desbillonius eo omnino consilio Phaedri vitam se adgressum fuisse scribit (6), ut eum Macedonem non Thracem evinceret, veteremque errorem, ut ait, auferret. Quid ergo tenebimus, quamnam opinionem praeferemus? Sed age ne quid temere praeferamus, inepteque teneamus ipsa argumenta quibus utraque opinio nititur bona fide et simpliciter expendamus.

II. Phaedrus in Prologo libri tertii Eutycho suo, homini dubio procul sive patria sive civitate Romano, quae et quanta requirantur ostendens, ut quis excellat in literis, scribit (7):

Mutandum tibi propositum est, et vitae genus,
Intrare si Musarum limen cogitas:
Ego quem Pierio mater enixa est iugo,
In quo tonanti sancta Mnemosyne Iovi,
Fecunda novies artium peperit chorum:
Quamvis in ipsa pene sim natus Scholâ,
Curamque habendi penitus corde eraserim,
Et laude invictâ vitam in hanc incubuerim,
Fastidiose tamen in coetum recipior.

Ex his autem versibus plane perspicuum et evidens est Phaedrum natalem locum suum, et patriam quam primum incoluisset, designasse: et prorsus nescio quomodo Pagenstecherus affirmare potuisset haec poetice dicta a Fabulatore fuisse, ut ista a Persio (8):

Nec fonte labra prolui Caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnaso
Memini, ut repente sic Poeta prodirem.

Nam

(1) Praefat. in Fabul. etc. an. 1708. (2) Les Aucteurs des Memoir. de Trevoux Mai 1708. Artic. 69. (3) Tractat. cit. ann. 1736. (4) Stor. e ragion. di ogni Poesia Vol. IV. Libr. I. Dist. III. Cap. 7. Part. 2. (5) Loc. cit. §. 48. (6) Loc. cit. (7) V. 15. et seq. (8) In Proem. Satyrar. v. 1.

Nam quae ista est poetica verborum Phaedri interpretatio? Cur eam non exposuit Pagenstecherus, si nemo ullus hactenus eam novit? Quin potius, quomodo ipse non vidit Phaedri verba nulla prorsus alia sententia nisi propria et simplici explicari et intelligi posse? Quod si Poetae se in Helicone, in Parnaso versari dicunt, seque de aquis Castaliis potare comminiscuntur, numquam tamen se in Parnaso, Helicone, Pindo natos fuisse scripserunt, et multo minus in Pierio monte, vel numquam vel rarissime in Poetarum figmentis advocato. Idque adeo ex institutione et more ipsorum Poetarum, qui ut ab Apolline et Musis se imbui et instrui fingunt, non vero ex iis nasci et oriri, ita non nasci in iis montibus, sed ad eos eorum favore duci tantummodo fabulantur. Praeterea si Phaedrus caussas enumerans, quibus ad quamdam doctrinam et gloriam literarum pervenisset, illam etiam inter eas recenset, quod non in barbaro loco, non in gente immani et rudi, sed in Musarum patriâ, in regione qua primum inventae excultaeque Artes fuissent, in ipsa pene schola natus esset, de qua ferme re et Thaletem Milesium se iactasse tradunt (1): Quis, cedo, non videt de ipso natali solo suo Phaedrum hic fuisse locutum? Igitur natalis Phaedri locus circa Pierium montem fuit, quo Musae dictae propterea Pierides (2), natae ferebantur: nempe in quapiam Pieria regione Musarum patriâ. Nam Hesiodus in Theogonia (3) ait:

Musae Olympiades filiae Iovis aegida habentis,
Quas in Pieriâ *Saturnio peperit Patri mixta*
Mnemosyne, fertilibus Eleutheris agris imperans.

Cicero de natura Deorum (4): *Tertiae Musae Iove tertio* Pieriae *natae, et Antiope, quas Pierides vel Pierias solent Poetae appellare.* Et regionem etiam non montem spectavit eo versiculo Ioannes Tzetzes (5):

Dicunt autem genitas Musas in Pieriâ.

III. Sed plures apud Veteres extitere Pieriae. Una nempe in Syria circa Orontem (6), ubi etiam Pierius mons (7). Altera sub Pangaeo monte ad Nestum fluvium; unde proximus sinus

---

(1) V. Diogen. Laert. in vitâ. (2) Vid. Hesiod. Oper. v. 1. et Scut. v. 206. Saph. in Fragm. Virgil. Eclog. VII. v. 21. VIII. v. 63. Horat. IV. Od. 3. v. 17. Ovid. IV. Fast. v. 222. Fest. in voc. *Pierides*. etc. (3) V. 52. (4) Libr. III. cap. 21. (5) Chiliad. VI. Cap. 90. (6) Vid. Strabon. libr. VII. p. 316 XIV. p. 676. XVI. p. 749. etc. Plin. libr. V. cap. 12. et 21. (7) Ptolem. libr. V. Geogr. c. 15.

sinus Thucydidis aetate, seipso teste (1), Piericus dicebatur, eiusque regionis incolae Pieres sunt, de quibus Herodotus (2), et Plinius (3) loquuntur. Tertia in Boeotia extitit, ubi et Pierium oppidum et Pierius mons de qua haec praeter ceteros (4) Tzetzes (5);

Mons Boeotiae quidem est Pieria;
Mons, atque urbs simul condita a Piero,
Qui erat Methonis frater, Lini autem parens:
Pieria postea Lyncus denominata est,
Cuius imperium, sicut Melisseus in Delphicis . . . scribit:
Primus filius Aemathionis Aeropus habuit.
Revera . . . Helicon Pieriae mons.

Quarta tandem in Macedonia ad sinum Thermaicum intra Peneum et Aliacmonem vel Axium amnem fuit posita. At Pieria Syriaca minime certe fuit Phaedri Patria. Non enim proprie et a priscis usque temporibus sic appellabatur ista regio, verum id nominis nuper ferme a Macedonibus, et omnino Pieriae suae respectu inditum fuit (6), quod scilicet eam lubenter incolerent, et prae ceteris amarent, ut ex Strabone colligitur (7): Praeterea quum Phaedrus scripserit (8),

Si Phryx Aesopus potuit, Anacharsis Scytha
Aeternam famam condere ingenio suo,
Ego literatae qui sum propior Graeciae:

Se in ea regione natum aperte dixit, quae propior esset Graeciae, quam Patria Aesopi et Anacharsis, Phrygia nempe et Scythia Thraciae contermina. Atqui si natus fuisset in Syria remotior plane a Graecia fuisset, quam Aesopus et Anacharsis. Neque altera Pieria ad Pangaeum Phaedri patria fuit. Nam et huius Pieriae haud vetusta erat origo, et item a Macedonica sic appellata. Haec Thucydides (9): *Illam vero Macedoniam, quae nunc maritima est Alexander Perdiccae filius et Temenidae eius maiores olim ex urbe Argis oriundi, primi possederunt, et in ea regnarunt: ubi prius praelio superatos expulissent Pieres, qui postea sub Pangaeo trans Strymonem incoluerunt Phagraetem, et alia oppida: Unde vel ad hoc usque tempus regio, quae sub Pangaeo iacens ad mare vergit sinus Piericus appellatur.* Praeterea nec Pierius aliquis mons in ea fuit, nec ibi natas Musas aliquis dixit. Pieria autem Boeotica, ut ex

(1) Libr. II. cap. 99. (2) Libr. VII. cap. 112. (3) Libr. IV. Hist. nat. 10. (4) V. Herodot. libr. VIII. p. 207. edit. Steph. etc. (5) Loc. cit. (6) V. Christoph. Cellar. Geograph. Antiqu. libr. III. cap. 12. p. 410. (7) Libr. XVI. p. 754. (8) Prolog. cit. v. 54. (9) Loc. cit.

ex Strabone (1), Pausania (2), Iustino (3), Tzetze (4) atque aliis constat etiam a Macedonica nomen et incolas habuit. Tum in ipsa ferme Graeciae meditullio erat posita. Sed Phaedrus numquam se gente Graecum vel in Graecia natum esse scripsit; quin potius aperte plane negavit (5).

IV. Restat igitur ipsa Pieria Macedonica, quae propterea Phaedri patria dicenda est. Et ita quidem. Nam ista regio propriè, absolutè, et ab antiquissimis usque temporibus *Pieria* appellata fuit. Ab ea ceteris Pieriis, ut vidimus, nomen inditum, in ea Pierius mons, et, ex omnium Veterum opinione, natalis Musarum locus. In hac Pieria dubio procul, secundum Homerum (6), equas pascit Apollo, in eam delabitur ex aethere Mercurius (7), eam ex Olympo proficiscens pertransit Iuno, quum ad Athon contendit (8): unde etiam fit perspicuum Deorum sedem in Olympo Pierico positam fuisse, quod summae prorsus vetustatis est argumentum. Ex Hesiodo autem patet nomen Piericum Macedonico fuisse vetustius (9): Nam Macedonem filium Iovis et Thyae Deucalionis filiae (10), vel secundum alios Osiridis filium (11) circa *Pieriam* et Olympum habitasse tradit. Tum Solinus (12): *Qui Edonii, ait, olim populi, quaeque Mygdonia erat terra, aut* Pierium *solum, vel Hemathium, nunc omne uniformi vocabulo Macedonica res est*. Mela autem (13): *Hic in Macedonia Musarum parens domusque Pieria*. Pausanias (14): *Pierum Macedonem ferunt, a quo uni de Macedoniae montibus nomen, quum Thespias venisset, ut novem Musae hisce quibus nunc appellantur nominibus colerentur instituisse*. Hesychius (15): *Pierides Musae quae sunt in Macedonia*. Et tandem Suidas (16): *Pieria mons Macedoniae, et Pierides Musae, quae sunt in Macedonia*. Phaedrus ergo circa Pierium Macedoniae montem natus fuit. Thucydides quidem (17) et Plinius (18), Pierium quemdam montem in Thessalia constituunt, sed id certè est factum, quod Pierius Macedonius, quum esset Thessaliae conterminus, Thessalis aliquando adtribueretur. Quin etiamsi alius fuisset, ad natale Phaedri solum non pertineret. Nam tum praeter cetera, Phaedrus Graecus, ut Achilles fuisset. Quod autem et

aliae

(1) Libr. VII. p. 321. libr. X. p. 471. (2) In Boeotic. p. 303. (3) Libr. VII. c. 1. (4) Loc. cit. (5) Prolog. cit. v. 54. (6) Iliad. II. v. 766. (7) Odyss. V. v. 50. (8) Iliad. XIV. v. 126. (9) Apud Constant. Porphyrogenn. libr. II. de Them. (10) Porphyrog. loc. cit. (11) Diodor. Sicul. libr. I. cap. 18. (12) In Polyhistor. cap. 9. (13) Libr. II. cap. 3. (14) Loc. cit. (15) In voc. Πιερίδες. (16) In voc. Πιερία. (17) Libr. V. cap. 14. (18) Libr. IV. cap. 10.

liae insuper Pieriae, aliique Pierii montes extitissent omnes Geographi et Historici silent; ideoque tenendum est saltem Phaedri aetate nullas alias eius nominis regiones extitisse, vel ut Patriam et domicilium Musarum habitas. Verum etsi ponatur sive in penitiori Thracia, sive in Asia primam forte Pieriam fuisse sitam; de Macedonia Phaedrus omnino est intelligendus. Etenim necesse est ut in Geographicis potissimum ex communi consuetudine, ex recepto et constanti usu loquamur, ni omnia temere confundere et perdere velimus. Praeterea Phaedrus, ut vidimus, scribit: se natum esse in ipsa pene Schola, scilicet, ut Burmannus (1) aliique doctissimi Viri interpretantur, pene in ipsa Graecia, quae ut omnibus notum est et fuerat et erat tum schola quodammodo Generis humani. Atqui Pieria Macedonica plane contermina erat Thessaliae, quae ut pars ipsius Graeciae habebatur. Quod si quis Scholam Pieriam ipsam interpretari malit, dicat tamen de qua alia Pieria, nisi de Macedonica, natas ibi literas, ibi artes, ibi disciplinas, ibi Musas, quod et posterius pluribus observabimus, Veteres tenuisse et praedicasse? Phaedrus tandem, quum dixit se propiorem esse Graeciae, quam Aesopus Phryx, et Anacharsis Scytha fuissent, ostendit ut iam innuimus (2), Patriam suam propinquiorem esse Graeciae, quam Phrygiam Aesopi, et Scythiam Anacharsis. Et quoniam ineptum fuisset tantum de ista propinquitate Phaedrum sese iactare, nisi Graeciae proximus, multum multumque ab iis regionibus distasset, palam est Phaedri Patriam ut Graeciae proximam, ita longissime a Phrygia et Scythia fuisse dissitam. In quamnam autem regionem haec cadere possunt, nisi in unam Pieriam Macedonicam? Si circa Rhodopen et Hebrum natus fuisset Phaedrus, potuissetne scribere se longe propiorem esse Graeciae, quam Phrygem vel Scytham, si Rhodope longius ab Athenis distat, quam Cottyaeum, ubi natus Aesopus a nonnullis dicitur (3), vel minor Phrygia, quae potius Aesopi patria dici potest? Si Hebrus non dicam ab Eurota et Alpheo, sed ab Asopo et Sperchio magis est dissitus, quam ab Istro, qui decurrebat tum per Anacharsis Scythiam, quae Thraciae erat plane contermina, et forte cis Haemum etiam patebat? Exploratissimum ergo habendum est nae tale Phaedri solum Pieriam Macedonicam extitisse. Ideoque Denisei, Funccii, Desbillonii sententiam minime a vero abiiss.

V.

(1) Comm. novo in Phaedr. ad hunc loc. et v. 54. (2) §. III.
(3) V. Bachet Mezeria 1. in vit. Aesop.

V. Age vero videamus modo quibus momentis Pithoei, Fabri, ceterorumque opinio innitatur. Phaedrus eodem Prologo paullo post haec scribit (1):

Rem me professum dicet fors aliquis gravem:
Si Phryx Aesopus potuit, si Anacharsis Scytha
Aeternam famam condere ingenio suo:
Ego literatae qui sum propior Graeciae,
Cur somno inerti deseram Patriae decus,
Threissa quum Gens numeret Auctores suos,
Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,
Qui saxa cantu movit, et domuit feras,
Erebique tenuit impetus dulci mora.

Ex his autem versiculis aeque evidens est Phaedrum patriâ et gente Thracem fuisse. Ait enim ideo ad scribendum se comparare, ne pateretur Patriae suae nempe Thraciae gloriam inerti otio amplius obrui, quum antea Threissa Gens magnopere in literis floruerit, et merito de Orpheo Linoque claris et magnis auctoribus se iactaret. Deniseus quidem et Desbillonius opinionem suam hoc testimonio plane everti putantes aiebant (2): τὸ *Threissa gens* minime spectare τὸ *Patriae*, sed aliam prorsus sententiam a recepta his versiculis, nempe hanc, continere: Cur ego deseram decus Patriae meae Macedoniae, si ipsa Gens Threissa barbara et rudis Auctores suos numerat? Sed inepte. Nam primum si haec fuisset Phaedri mens, tum *Threissa gens*, et cetera quae sequuntur collocanda erant post tres priores versiculos: vel potius si τῷ *Patriae decus* prior sententia absolute clauditur, sequentes versiculi, si similem haberent sententiam, et simili claudendi erant, et absolvendi. Quod quum non fecisset solertissimus Fabulator evidenter ostendit aliam sibi et diversam fuisse mentem, eam nempe, quam nos cum aliis pluribus Viris doctissimis interpretabamur. Praeterea quomodo Thracibus se opponere poterat Phaedrus, si hi cum Macedonibus mixti erant, si plane proximi, si Thraciae pars Macedonia appellabatur? Et si se opposuit cur Linum et Orpheum ita extulit, quid divinum illorum genus praedicare, quid ea alia miracula percensere; nonne gravissimam in se invidiam inepte prorsus traxisset? Tandem si Phaedrus excitare se velle profitetur literarium Patriae suae decus, quod iamdiu inerti somno obrutum iacebat, quaenam, cedo, fuerunt Macedonicae Gentis in literis merita? Qui Auctores, qui

(1) V. 51. (2) Locis citat.

qui Scriptores aliquot ante Phaedrum seculis in ea claruerunt? Sed quid plura, si palam est τὸ *Quum* rationem caussamque continere, cur Patriae suae decus deserere nolit Phaedrus, si decus hoc per Linum et Orpheum maxime partum dicat, si de his Thracibus, ut civibus dubio procul suis se iactet? Phaedrus ergo Gente et Patriâ Thrax fuit.

VI. At quid, inquies, fuitne igitur unâ Phaedrus et Macedo et Thrax, simulque in utraque regione et nasci potuit, et educi? Hac de re tria, mea sententia, dici possunt. Primum Phaedrum gente et origine Thracem, transmigratione Parentum, vel quopiam alio casu in Pieria Macedoniae natum fuisse, eique propterea duas fuisse Patrias, alteram gentis et originis, alteram natalis soli. Secundum ex Pieria Phaedrum in Thraciam transmigrasse, ibique civem factum omnia Thracum iura obtinuisse, eoque pacto duas etiam Patrias habuisse alteram natalis loci, alteram iuris et Civitatis. Tertium tandem Pieriam istam Macedoniam diutius ex aliqua saltem parte incoluisse Thraces, ex quibus Phaedrus suam duxisset originem. Prima autem et secunda opinio haud omni fundamento destituuntur. Nam *Patria* non ea tantummodo terra dicitur, qua quis nascitur, sed illa etiam ex qua originem ducit, ex qua est *Pater*, gens, familia, vel etiam ea in quam recipitur, et civis fit. Ideo Virgilius Aeneam Phrygem haec dicentem inducit (1):

Italiam sequimur Patriam.

Et alibi (2):

Ite, ait, egregias animas, quae sanguine nobis
Hanc Patriam *peperere suo, decorate supremis*
Muneribus.

Divus Paullinus Nolanus Poeta doctissimus de Divo Felice, qui gente et Patre Syro Nolae natus fuerat haec canit (3):

Quare ades (Christe), *ut duce te repetens ab origine pergam*
Felicem narrare tuum, cui nobile ductum
Ex Oriente genus, nec enim magis altera tellus
Felicis Patriam *decuit, quam quae Patriarchas,*
Quaeque pios tulerat Christi sacra vasa Prophetas.
Hac igitur genitore Syro generatus in urbe
Dilectam coluit Patriae sub imagine Nolam.

Et generatim Ulpianus (4): *Filius civitatem ex qua Pater eius natu-*

(1) I. Aen. v. 384. (2) XI. Aen. v. 24. (3) Natal. IV. Carm. 15. v. 50. (4) Dig. L. Tit. I. leg. 6. §. 1.

naturalem originem ducit, non domicilium sequitur. Cicero autem Atticum alloquens (1): *Ego mehercule*, ait, *et illi*, Catoni, *et omnibus Municipibus duas esse censeo Patrias, unam naturae, alteram civitatis, ut ille Cato, quum esset Tusculi natus in Populi Romani civitatem susceptus est. Itaque quum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus habuit alteram loci patriam, alteram iuris. Ut vestri Attici priusquam Theseus eodem migrare ex agris, et in Astu quod appellatur omnes se conferre iussit, et Sunii iidem erant, et Attici: Sic nos et eam Patriam ducimus ubi nati, et illam qua excepti sumus*. Unde praeter ceteros etiam Ovidius et Sulmonem, quo natus, et Romam, qua civis fuit utramque Patriam suam appellavit (2). Phaedrus ergo tum Pieriam Macedoniam, tum Thraciam patriam suam dicere potuit; Et quum perspicue se in Pieria Macedonica, non in Thracia natum fuisse scribat, tum profiteatur Thracum non Macedonum iura et decus sequi, colligi potest, ut superius dicebamus, vel Phaedrum gente et familia Thracem aliquo casu in Pieria Macedonica natum fuisse, vel Pieriae natum in Thracum civitatem et iura transiisse.

VII. Opiniones istae fautores fortasse suos nanciscentur: ego tamen neutram tenerem. Nam primum si uterque Phaedriani Prologi locus diligenter invicem comparantur, perspicue, ut arbitror, patet de una prorsus Patria, de una eademque regione Phaedrum loqui: nec credibile est, si duplex ei revera fuisset patria, quum tam opportuna adesset occasio, id eum clare et luculenter noluisse aperire. Praeterea si casu quodam in Pieria natus fuisset Phaedrus, quid tanto hiatu se in ea natum iactasset? Quid sibi cum Musis Pieriis, quid divinam earum et antiquissimam generationem praetexere? Quod adeo magis est animadvertendum, quod vix ad adolescentiam in Pieria Phaedrus permansisse videatur, ut deinceps observabimus (3). Ideoque ineptior forte ea esset gloriatio, nisi ex vetere stirpe in Musarum patria ortus fuisset. Et ita quidem. Nam si Matrem suam comparavit quodammodo Mnemosyne, cui Pierica plane origo adstruebatur, utique et antiquam ibi esse gentem suam indicavit. Restat igitur ut tertiam potius et postremam opinionem probemus, unam nempe Phaedro fuisse patriam, eamque Pieriam Macedonicam, seque in Pieria natum ideo Thracem dixisse, quod Thraces adhuc ex parte saltem Pieriam incolerent, ex quibus quidem ipse non

(1) De legib. lib. II. cap. 2. (2) Vid. IV. Trist. Eleg. 10. v. 3. III. Eleg. 8. v. 9. I. Eleg. 5. v. 66. etc. (3) Cap. III. §. 6.

non ex Macedonibus suam duceret gentem atque originem. Sed verumne Thraces habuisse Pieriam? Verumne Pieres origine Thraces fuisse? Verumne Musas a Thracibus institutas, et Linum tandem atque Orpheum Pierios extitisse? Atqui haec omnia vera esse a probatissimis Auctoribus traduntur.

VIII. Et Thraces quidem habuisse Pieriam inde primum evincitur, quod constet eos quondam totam fere magnam Peninsulam ad ipsum pene Peloponnesum occupasse et tenuisse, ipsamque Boeotiam, ut innuimus (1), et amplius ex Lycophrone (2), et Stephano (3) patet, ipsam Phocidem (4), ipsamque Atticam sub Eumolpo incoluisse (5). Et quamvis ferant ex Atticis et Boeoticis finibus pulsos fuisse (6), nemo tamen tradidit eos trans Peneum aut Axium fuisse reiectos. Quin etiamsi quis id tradidisset ex rerum humanarum ordine fieri debuit, ut plures Thraeum familiae huc illuc immixtae et confusae permanerent, gentemque suam per secuta deinceps tempora producerent. Quod revera factum, inde luculenter patet, quod inter ipsos Athenienses, qui acerrimi in Thraces fuisse dicuntur (7), summo semper in honore fuerunt Eumolpidae (8). Inter Boeotos autem et plures Thracum familias perstitisse inde etiam constat, quod nomina omnia a Thracibus imposita, et Religio, et ceremoniae, et ars musica Thracum non servata modo semper diligenter fuerint, sed maiori etiam in pretio deinceps habita. Strabo praeterea Phaedri coaevus de Homero loquens (9): *Oram quoque maritimam*, ait, *quae subsequitur, Thraciam nimirum ad Peneum usque memorat*. Et haud multo post eum ab Eratosthenis imputationibus defendens (10): *Quasi*, inquit, *nesciverit Homerus Thraciam non protendi ultra Poeonicos et Thessalicos montes*. Atqui Pieria est supra Peneum et Thessalicos montes. Tum idem Homerus montem Athon Thracium dixit (11), et regionem etiam cis Athon Thraciam appellavit (12). Quumque insuper Zephirum ex Thracia spirare dixerit (13), quod et Ammianus Marcellinus observabat (14), et Strabo pro Homero tuebatur (15), perspicue ostendit ad Peneum saltem aetate sua Thraciam patuisse, et propterea totam

(1) §. IV. (2) In Alexandrâ v. 474. (3) In Ανθηδων. (4) Conon. apud Phot. Codic. 186. n. 31. Thucidid. libr. II. pag. 53. edit. Colon. 1513. (5) V. Isocrat in Panegyr. et in Panathenaic. Strabon. libr. VII. p. 321. Pausan. in Attic. (6) V. Isocrat. locis cit. (7) Isocrat. loc. cit. (8) V. Corn. Nepot. in Alcibiad. cap. 4. Suid. in Ευμολπ. (9) Libr. I. p. 6. (10) Libr. cit. p. 28. (11) Hymn. in Apoll. v. 33. (12) Iliad. XIV. v. 227. (13) Iliad. VIII. v. 5. (14) Libr. XXVII. cap. 3. (15) Libr. I. p. 28. et seq.

tam eam regionem Thraces magna saltem ex parte habuisse et frequentasse. Tandem idem Strabo scribit (1): *Cassander a nomine uxoris, quae filia erat Philippi Amintae filii urbem Thessalonicam ita appellavit, atque circumiacentia oppidula in eam deduxit, ut Chalastram, Aeneam, Cissum, et quaedam alia. Ex hac Cisso quispiam existimârit Amphidamantem Homeri fuisse* (2), *quem avus Cissaeus, ut inquit, educavit in Thraciâ, quae nunc Macedonia vocatur*. Extra omnem igitur dubitationis aleam positum est Thraces habuisse et incoluisse Pieriam Thermaicam. Quod autem Pieres ex Thracum gente fuissent inde perspicuum pariter est, quod qui ex Pieriâ Macedonica profecti Boeotiam tenuerunt et Pierium montem, Pieriam urbem, Pieriam regionem constituerunt tum a Strabone (3), tum a Pausania (4), Thraces omnino dicuntur. Quin idem Strabo haec luculentius scribit (5): *A Cantilenâ autem, numeris, instrumentisque etiam Musica omnis Thracia et Asiatica censetur. Atque hoc ex locis intelligi potest, ubi Musae cultae fuerunt. Nam Pieria, Olympus, Pimpla, Libethrum antiquitus Thraciae fuere loca, et montes. Nunc Macedones obtinent*. Tum alibi (6): *Coniecturam facere quis possit Thraces fuisse, qui Heliconam Musis consecrârunt, qui Pieriam quoque, Libethrum, et Pimpliam iisdem Deabus dedicaverunt. Ii fuerunt Pieres dicti, qui quum defecissent Macedones loca ista obtinuerunt*. Pieria ergo Thraciae quondam regio, et Pieres Thraces fuerunt.

IX. Thucydides, cuius testimonium superius adduximus (7), scribit quidem Pieres expulsos fuisse, et Macedones regionem occupasse; tum Strabo, ut modo audivimus, Pieriam, deficientibus Pieribus, Macedones obtinuisse ait: Verumtamen haec sententiam nostram non evertunt: Nam Thucydides de illis tantummodo Pieribus certe loquitur, qui tum victi fuerunt, non de omnibus prorsus, vel de reliquis universis, qui Thracio erant genere. Herodotus enim non modo videtur singillatim Pierum Thermaicorum mentionem iniecisse, de temporibus Xerxis loquens, sed eos etiam a Macedonibus discrevisse: *Terrestres copias*, ait (8), *Xerxi praebuerunt Thraces, et Paeones, et Eordi, et Bottiaei, et genus Chalcidicum, et Brygi, et Pieres, et Macedones, et Perrhaebi, et Enienses, et Dolopes, et Magnetae, et Achaei*. Nec dici potest, ut arbitror, spectasse Historicum Pieres Pierici sinus. Nullo enim pacto eos

(1) In Excerpt. libr. VII. p. 1256. Edit. Amstel. 1707. (2) Iliad. XI. v. 220. (3) Libr. IX. p. 410. (4) In Boeotic. p. 303. (5) Libr. X. p. 471. (6) Libr. IX. p. 410. (7) §. III. (8) Libr. VII. p. 194.

eos post Paones, Bottiaeos, Chalcidicos collocasset, si ad Pangaeum et Nestum incolerent. Praeterea si Philippus Amyntae filius Methonem unam ex Piericis urbibus sibi adversam expugnavit, agrumque Macedonibus divisit (1), utique antea a Pieribus et Thracibus, non a Macedonibus habebatur. Tandem ex Mela (2) Phaedri plane coaevo, et ex Plinio suppari (3) colligitur plusquam centum populos, gentesque diversas Macedoniae finibus fuisse contentas: inter quos nemo iure dubitaverit quin Pieres, Thracesque sint recensendi. Strabo autem non de ipsa quidem Pieriâ et Thraciâ gente est locutus, sed de imperio, potestate, nomine. Gentes enim et populi qui perpetua generatione propagantur et reparantur, utique non extinguuntur. Nec omnino traditum est Pieres ad internecionem a Macedonibus, vel ab aliis populis fuisse deletos: Quin inter potiores Macedoniae populos semper adnumeratos fuisse scimus: nec Macedones tantâ curâ Piericas vetustates servassent, et Pieriae nomen aliis locis imposuissent (4), ni et veterem gentem coluissent, et magno in pretio habuissent, quod invictum est veritatis argumentum. Et Strabo (5), quum Pydnam Piericam urbem singillatim appellat, originem, ut videtur, non locum tantummodo spectat. Defecerunt ergo Pieres, non quod gens universa extincta prorsus fuisset, sed quod non dominarentur amplius regioni suae, quod summa Imperii non apud se, vel Thraces, sed apud Macedones esset, inter quos fuissent immixti. Ita et apud nos penitus defecisse et extinctos esse Gothos, Longobardos, Nortmannos dicimus, etsi magna ex parte ortum ex eis ducamus. Erant igitur aetate Phaedri in Pieriâ Thermaicâ plures Pierum et Thracum familiae, ex quibus ortum suum ipse duceret. Quod ut evidentius etiam pateat en tandem quae coaevus Phaedri Strabo loquitur (6); *Thraces, et Illyrii, et Epirotae etiamnum Graeciae cingunt latera*. Atqui Graecia ultra Thessaliam et Peneum non excurrebat, et Illyrii ac Epirotae occidentem versus habitabant. Thraces ergo ad septentrionem aderant, et propterea Pieriam omnino tenebant. Tum paullo post sic prosequitur: *Hodie eius provinciae, quae citra controversiam est Graecia, multas partes Barbari obtinent. Macedoniam Thraces et quasdam Thessaliae partes*. Pieriam ergo quam a vetustissimis

(1) V. Diodor. Sicul. Libr. XVI. cap. 34. Strabon. in Excerpt. p. 1255. (2) Libr. II. cap. III. (3) Libr. IV. cap. 10. (4) Vid. Pausan. in Boeot. p. 303. 305. etc. (5) Loc. cit. (6) Libr. VII. p. 321.

mis usque temporibus obtinuerant, etiam tum Thraces habebant; ideoque perspicuum fit unam Pieriam Thermaicam et natale solum, et Patriam Phaedri, quod dicebamus, extitisse.

X. Atque id sane eo etiam gravius et luculentius evincitur, quod Linus et Orpheus Thraces, de quibus tamquam civibus suis Phaedrus se iactat, non in Thraciâ ad Hebrum et Rhodopen, sed in eadem Pieriâ nati, et circa ipsum Pierium montem educti, versatique feruntur. Et inde quidem cum primis Orpheus Pierius haberi tuto potest, quod ex Calliope unâ Musarum Pieridum natus ab omnibus praedicetur (1). Tum Apollonius Rhodius haec in Argonauticis de eo canit (2):

Primum igitur Orphei meminerimus, quem ipsa
Fertur Calliope, quum sui fecisset copiam Thraci
Oeagro, genuisse prope speculam Pimplae.
Atque perhibent eum et rigidas in montibus petras,
Et labunda flumina cautibus vocis pellexisse,
Ac fagi agrestes illius monumenta cantus adhuc
In Zones Thraciae litore frondentes,
Ordinatim densaeque eunt in versum, quas illo prorsus
Ire usque e Pieriâ docuerat testudine excantatas.
Orpheum sane talem suorum adiutorem laborum
Adscivit regnatorem Pieriae Bistonidis.

Pimpla autem, qua natum Orpheum scribit Apollonius in Pieriâ Macedonicâ, vel iuxta eam, ab omnibus Scriptoribus constituitur. Iam audivimus (3) quae Strabo docuerit. Scholiastes vero Apollonii adnotat (4): *Pimplia regiuncula iuxta Pieriam, et fons et oppidum Pieriae*: Tzetzes in Lycophronem (5): *Pimplea urbs, fons, et mons Macedoniae*. Hesychius (6): *Pimpliae Musae in Olympo Macedonico* (seu Pierico) *ad fontem Pimplae*. Et Festus (7): *Pimpleides Musae a fonte Macedoniae dictae*. Praeterea si silvae Orphea sequebantur (8), si eas a Pierio monte usque Zonen traxisse fingit Poeta, utique longum quoddam et mirum iter indicatur. Undenam autem nisi a Pieria Thermaica eum profectum fuisse fingemus? Tum enim nulla erat alia Pieria, ut vidimus, nec si fuisset in Bistoniâ, ubi erat Zone, de ea Auctor intelligi potest. Tum enim nuspiam

(1) V. Horat. III. Carm. 4. v. 40. Virgil. Eclog. IV. v. 55. Ovid. in Ibin. v. 484. Hygin. Fab. XIV. et II. Astronom. cap. 7. Apollod. Biblioth. libr. I. Conon. apud Phot. Biblioth. cod. 186. Q. Smyrn. libr. III. v. 646. etc. etc. (2) Libr. I. v. 23. (3) §. VIII. (4) Ad loc. cit. v. 25. (5) Ad v. 275. (6) In Πιμπλειαι. (7) In *Pimpleides*. (8) Vid. et Horat. I. Carm. Ode 12. v. 7. etc.

piam silvas Orpheus traxisset. Quamobrem si Pieriam Orphei Bistonidem Apollonius appellat, more Poetarum potissimum utitur, qui peculiaris populi nomen saepius universae genti imponunt. Unde Itali dicuntur et Oenotri, et Ausones; Graeci autem Hellenes, Achivi, Danai, Pelasgi. Ideoque Pieria Bistonis est Pieria Thracia, quam Thraces et Bistones, unius generis et originis populi, incolebant, et saepius revera universi Thraces Bistones absolute sunt appellati (1).

XI. Sed et Conon Mythographus Orpheum in Macedonia, nempe in Pieriâ regnasse scribit (2): *Orpheus*, ait, *Oeagri filius atque Calliopes, quae una ex novem Musis numeratur, Macedonum rex fuit, atque Odrysidis*: Et tum certe angusti erant regnorum fines, et Aemathia seu vetus Macedonia ultra Axium Pieriae limitem non patebat. Orpheus porro Libethrius dictus fuit, quod natus mortuusve in Libethris fuisset: Sic praeter ceteros (3), Auctor Argonauticôn, quae ipsi Orpheo tribuuntur (4), ex versione I. B. Pii:

Inde celer petii Thracen per summa nivosam,
Libethras *gaudens terram tetigisse paternam:*
Hic antrum subii peramabile, protulit hic me
Magnanimi in lectis Oeagri splendida Mater.

Libethra autem etiam in Pieria juxta Pimplam erat posita, ut ex Strabone colligitur (5), atque ex aliis pluribus patet. Lycophron ex versione Scaligeri (6):

Superque Pimpleam petrae Libethriae.

Ubi Tzetzes: *Libethrus mons Macedoniae*. Mela (7): *Hic in* Macedoniâ, *Libethra carminum fontes*. Plinius (8): *Thessaliae Magnesia adnexa est, cuius fons Libethra*. Suidas (9): *Orpheus ex Libethris Thraciae oriundus*: Libethra *autem est urbs Pieriae vicina, Oeagri et Calliopes filius*. Et iterum Auctor Argonauticôn (10): *disces*, loquitur ipse Orpheus,

Pieriam *ut quondam*, Libethraque *venit ad alta*
Semideûm pariterque Heroum primus Iäson,
Et sibi pro reditu rogat auxiliator ut irem.

Tum Pausanias (11): *Larissae sermonem audivi urbem olim in Olympo* (Pierico) *celebrem Libethra nomine fuisse, qua mons se in*

(1) V. Horat. II. Carm. Od. 19. v. 20. Ovid. XIII. Metam. v. 429. I. ex Pont. 3. v. 59. in Ibin. v. 379. Lucan. II. v. 163. III. v. 200. VII. v. 568. etc. etc. (2) Apud Phot. loc. cit. §. 45. (3) V. Conon. loc. cit. Zenob. Adag. Graec. Cent. I. n. 79. etc. (4) Sub finem. (5) Libr. IX. p. 410. (6) V. 275. (7) Libr. II. c. 3. n. 25. (8) Libr. IV. Hist. cap. 9. (9) In Ὀρφεὺς. (10) V. 50. (11) In Boeotic. p. 305.

in Macedoniam immittit, ab ea urbe non longe Orphei monumentum abesse . . . Deletis iam Libethris Macedones qui Dion tenebant, uti mihi Larissaeus hospes narrabat, Orphei ossa Dion, Fiericam urbem, *translata sibi vindicarunt*: Et aliquanto supra: *Macedones qui subiectam Pierio monti terram incolunt, et urbem Dion, eo ipso in loco a feminis occisum Orphea autumant. A Dio montem versus stadia viginti progressis columna est ad dexteram, superimposita columnae est lapidea urna, in ea Orphei ossa condita esse regionis eius incolae dicunt*. De qua re et Diogenes Laertius ex versione Ambrosii Camaldulensis (1): *Ceterum*, ait, *ex eo epigrammate, quod Dii in Macedonia insculptum est, fulmine Orpheum interiisse cognoscitur*:

Orphea candenti traiectum fulmine Thracem
Cum auratâ Aonides hîc posuere lyra.

Et etiam Strabo ad rem (2): *Urbs Dion non est in litore Thermaei sinus in radicibus Olympi, sed circiter septem stadia distat. Habet autem Dion oppidum vicinum Pimpleam, ubi Orpheus commoratus est*. Conon insuper de Mida loquens (3): *Is post Orpheum*, ait, *in Pierio monte auditum variis artibus Brygibus imperitavit*. Tum Apollodorus (4): *Orpheus Dionysii Mysteriis inventis discerptus a Maenadibus ad Pieriam sepultus proditur*. Et Tertullianus (5): *Orpheus Pieriae, Musaeus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Boeotiae initiationibus homines obligaverunt*. Elegantissime tandem Euripides (6) in Epodo ad Bacchum:

Ad Nyssam fortasse ferarum
Altricem thyrsum fers,
Thyasos agens, o Dionyse, aut
In Corycio vertice:
Aut fortasse in Olympi nemorosis
Thalamis, ubi quondam
Orpheus citharâ ludens
Congregavit arbores
Cantu, congregavit feras saevas.
O beata Pieria!
Colit te Bacchus,
Et veniet ducturus choros
Cum Bacchanationibus,
Et celeriter fluentem

Ubi

(1) Procm. in vitas Philosoph. (2) In Excerpt. libr. VII. p.1255. (3) Apud Phot. Narrat. I. (4) Libr. I. Biblioth. p. 8. edit. Tan. Fabri. (5) In Apolog. c. 21. (6) In Bacchis v. 560. et seqq.

Ubi transierit Axium,
Saltantes etiam Maenadas ducet
In Lydiam.

Olympus autem hic, quo Orpheus canit, est, ut patet, in Pieria, Pierioque monti conterminus. Sic idem Euripides paullo superius (1):

Ubi pulcherrima
Pieria Musarum sedes, et
Sacer clivus Olympi.

Exploratissimum ergo haberi potest Orpheum in Pieria Thermaica natum, eductum, versatumque fuisse.

XII. Sunt quidem plures, qui Orpheum circa Rhodopen et Hebrum commoratum mortuumque velint (2): At id opinionem nostram minime labefactat. Quid enim facilius fieri potuit, quam Poetam celebrem et Musicum illustrem, ut aiunt, ab Axio vel Aliacmone ad Hebrum excurreret? Si usque ad Taenarum et Regna Ditis (3), usque ad Colchos cum Argonautis penetrare potuit (4)? Si

. . Hyperboreas glacies, Tanaimque nivalem,
Arvaque Riphaeis numquam viduata pruinis:

lustrare potuit, ut scribit Virgilius (5): Quidni partem quamdam Thraciae suae percurrere potuit? Praeterea quum plures fuissent Orphei (6), fortasse invicem facta Pierii, et Bistonidis Orphei mixta et confusa sunt. Tertio fieri etiam potuit, ut, ubi lapsu temporum latissimi Thraciae fines sensim minuerentur, et tandem inter Strymonem et Pontum clauderentur, Poetae qui Orpheum perpetuo Thracem appellatum inveniebant, e sua re esse putarent, ut et loca ei adtribuerent, quae in Thracia essent, quam ipsi nossent, ideoque non Peneum, non Axium, sed Hebrum, Strymonemque de eo loquentes memorassent. Nec omnino alia quaedam Pieria circa Hebrum fingi potest (quod aliquis tamen temere fecit (7)), quum iam ex dictis superius pateat, nullam prorsus eius mentionem a quopiam Scriptore iniectam fuisse: Tum Orpheum in Pieria Macedonia natum, moratumque plerosque summae auctoritatis Auctores tradidisse: Et hanc tandem Pieriam plane

(1) Loc. cit. v. 404. (2) Virgil. IV. Georg. v. 460. Ovid. XI. Metam. v. 1. Senec. Hercul. Oet. v. 1031. Lucian. ad Indoct. Claudian. de Rapt. Proserp. Proem. libr. I. etc. (3) Vid. Auctores citat. (4) Apollon. Rhod. Valer. Flacc. in Argon. etc. (5) IV. Georg. v. 516. (6) V. Suidam in Lex. Lorenzo Crasso Istor. de' Poeti Greci voc. *Orfeo*. (7) Interp. Ital. Anonym. Apollon. Rhod. ad loc. cit.

ne antiquissimam fuisse, et multis ante Orpheum aetatibus celebrem, qui Argonautarum temporibus floruisse tradunt, una nempe ferme aetate ante Troianum excidium.

XIII. Nec propterea urgeri potest, quod passim in editis Fabulatoris nostri libris legatur, quod Orpheus suavi cutharae sono Hebri undas continuisset (1):

Hebrique tenuit impetus dulci morâ.

Nam rectissime laudare potuit factum Pierii hominis ad Hebrum Thracium. Tum, animadvertendum est in Pithoeano et Remensi Codice, atque in veteribus editionibus; Pithoei puta, Neveleti, Meursii non *Hebri*, quod primum Rigaltius obtrusit, fuisse, sed *Erebi* (2). Et quid, cedo, obstat quin veterum Librorum lectionem teneamus? Quidni legamus:

Erebique *tenuit impetus dulci morâ*;

Eodem fere pacto ac Claudianus (3) scripsit:

Sedantur gemitus Erebi.

Quum saepius et oppido elegantius, ut notum est, quae continent, pro iis quae continentur, sumantur? Idem sane Phaedrus pariter scripsit (4):

Aegea Minos classe perdomuit freta,
Iustoque vindicavit exemplo impetum:

Supple *fretorum*, *maris*: eorum scilicet qui iniuste maria occupaverant. His praeterea versiculis Virgilius *Erebum* et Orcum sic ex parte describit (5):

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci,
Luctus, et ultrices posuere cubilia Curae,
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus,
Et Metus, et malesuada Fames, et turpis Egestas,
Terribiles visu formae, Letumque, Laborque.
Tum consanguineus Lethi Sopor, et mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverso in limine Bellum;
Ferreique Eumenidum thalami, et Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis . . .
Multaque praeterea variarum monstra ferarum,
Centauri in foribus stabulant, Scyllaeque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac Bellua Lernae,
Horrendum stridens, flammisque armata Chimaera,
Gorgones, Harpyaeque, et forma tricorporis Umbrae.

Quid ergo satius, quid opportunius, quam quemdam tantorum mon-

(1) Prolog. cit. v. 59. (2) Vid. Burmann. et Desbillon. ad hunc locum. (3) II. de Rapt. Proserp. v. 320. (4) Libr. IV. Fab. 6. v. 29. (5) Libr. VI. Aen. v. 273. et seq.

monstrorum in Orpheum impetum Auctor spectasset? Et Virgilius quidem stringentem in ea ferrum Aeneam inducit (1):

Corripit hic subita trepidus formidine ferrum
Aeneas, strictamque aciem venientibus offert.

Tum de Cerbero qui verum et horrendum impetum in venientes facere putabatur, haec subdit (2):

Cerberus haec ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro:
Cui Vates horrere videns iam colla colubris,
Melle soporatam et medicatis frugibus offam
Obiicit.

Quin horum infernorum monstrorum revera tenuisse impetum Orpheum Veteres fabulabantur. Haec ipse Virgilius (3):

Quin ipsae stupuere domus, atque intima Lethi
Tartara, coeruleosque implexae crinibus angues
Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionei vento rota constitit orbis.

Qua de re illud etiam observandum puto, quod idem ferme sit domum Lethi, et Tartara seu Erebum Orphei cantu stupuisse, quam impetum tenuisse: Ideoque utrumque loquendi modum aeque latinum et probatum, Auctoribusque suis dignissimum. Hebrus tandem, ut Servius in Virgilium observat (4), et vetus Horatii Scholiastes confirmat (5), minime rapidus fluvius est etiam per hyemem, sed potius lenis, placidus, et Horatio teste (6), purissimis undis fluit, eique propterea haud recte convenire possunt rapidi illi et turbulenti impetus. Et si vulgo apud Virgilium legitur (7):

. . . *Volucremque fuga praevertitur Hebrum:*

Plures doctissimi Viri Rutgersius, Huetius, Ruaeus, Catrous, Clericus, Komayerus, Heumannus, Burmannus, et alii *Eurum* non *Hebrum* ibi legendum esse contenderunt. Quae profecto vera et genuina Poetae lectio habenda est. Nam praeter plura et luculenta argumenta, quae hi docti Viri adgesserunt (8): satis quidem intelligi non potest, quid hic sit praeverti Hebrum fuga. Etenim si *praevertor* est *transeo*, ut Servius interpretatur, inepta exsurgit et inopportuna sententia, Virgilioque, mea opinione, plane indigna. Si est praeit, anteit, quae ve-

(1) Libr. cit. v. 290. (2) Libr. cit. v. 417. (3) IV. Georg. v. 481. (4) Ad Libr. I. Aen. v. 317. (5) Ad I. Epist. 3. v. 13. (6) Loc. cit. (7) Loc. cit. (8) Vid. Huet. in Huetianis §. 64. Heumann. Tom. II. Poecil. libr. III. p. 379. Komayer. in Novis litterar. Lips. 1731. p. 430. et Burmann. in Virgil. suum ad hunc locum.

vera vocis potestas, tum quid sibi vult anteire Hebrum, praeire flumen, quod perpetuo et continue fluit usque ad mare, nec undae sunt, quae mutuo discernantur, unde celeritatis comparatio institui possit? Contra, praeterquamquod revera penes omnes gentes veloces et celeres, non fluminibus, sed ventis comparantur, quum venti oriantur, et concidant, initiumque et progressum et finem habere putentur, optimè qui currunt ventis possunt comparari.

XIV. Verum ponamus, si licet, *impetum* et *moram* satius et fortasse elegantius de fluminibus dici, quam de Tartaro et Erebo; Quidni Fabulator inferni cuiusdam fluvii, qui *Erebus* diceretur, impetus spectavit, eoque pacto et moratos fluvios, et mirum Orphei sui ad Inferos descensum unâ solertissime memoravit? Et magnum quemdam fluvium *Erebum* nuncupatum apud Inferos esse Veteres fuisse fabulatos auctor est Festus: qui scribit (1): *Erebum Virgilius interdum obscuritatem quamdam esse describit apud Inferos . . . Interdum flumen eiusdem loci dicens*: Et magnos Erebi transnavimus amnes. Multi putant turpiter hic Festum errasse (2): Sed pro eo dici posset, quod amnes et flumina, unus saepe fluvius, et una aquarum collectio dicitur. Sic idem Virgilius (3) dixit *flumina Hebri*: et alibi (4) *tardos amnes Oceani*. Verum etiamsi exploratum ponatur Virgilium eo in loco haudquaquam peculiarem fluvium spectasse, qui *Erebus* diceretur, semper erit verum oportuissé Festum ex auctoritate Poetarum et Mythographorum, vel ex traditione fluvium *Erebum* apud Inferos constituere. Praeterea quum Varro (5), ad illum Ennii versiculum:

Corpore Tartarino prognata Paluda puella.

adnotasset: *Tartarino a Tartaro dictum. Plato in quarto de fluminibus apud Inferos quae sint, in eis unum Tartarum appellat*; Sive aequâ analogiâ, sive quod Tartarus saepe est ipse *Erebus*, teneri iure potest Veteres infernum quemdam fluvium, *Erebum* dictum, apud Inferos extare fabulatos fuisse. Seneca insuper haec scripsit (6):

. . . Dira Furiarum loca,
Et Inferorum carcer, et sonti plaga
Decreta turbae, et si quod exsilium latet
Ulterius Erebo, *Cerbero ignotum et mihi*:

Hus

---

(1) In voc. *Erebum*. (2) Ant. August. et Scaliger. in hunc locum Rob Stephan. in Lexic. lat. etc. etc. (3) Aen. XII. v 331. (4) IV. Georg. v. 233. (5) Lib. VI. de L.L. p. 73. (6) In Herc. Fur. v. 1221.

Huc me abde Tellus: Tartari ad finem ultimum
Mansurus ibo.

Hic autem *Erebum* docti Viri Inferorum fluvium interpretantur. Nec iure tandem dubitari posse videtur, quin Claudianus *Erebum* ut flumen his versiculis (1) habuerit:

. . . Torvos invisa iugales
Alecto temone ligat, qui pascua mandunt
Cocyti, pratisque Erebi *nigrantibus errant,*
Stagnaque tranquillae potant ... marcida Lethes.

Notum est enim Cocytum ut Inferorum fluvium fuisse habitum (2). Rectissime ergo in Phaedro legemus *Erebi impetus*: Orpheumque Thracem optimo iure Pierium habebimus.


XV. Linum porro, de quo Phaedrus loquitur, Pierium pariter extitisse inde luculenter patet, quod aeque ac Orpheus genitus ex Musâ Pieride tradatur, nempe ex Urania. Diogenes Laertius scribit (3): *Linum vero Mercurio Musâque Uraniâ genitum affirmant*. In Epitaphio apud eumdem (4) iterum *Linus Uraniae Musae filius* dicitur. Tum Pausanias (5): *Genitum Linum Amphimaro Neptuni filio ex Uraniâ vulgo proditum est*, Higynus (6): *Linus Apollinis filius ex Uraniâ Musâ*. Praeterea Linum istum gente Thracem excellentissimum Musicum fuisse perhibent, et Graecorum in Musicis praeceptorem. Haec canebat Hesiodus (7):

Urania peperit Linum amabilem filium,
Quem quotquot sunt homines cantores et fidicines
Omnes lugent in conviviis et choreis.

Diodorus Siculus (8): *Linum*, ait, *apud Graecos primum inventorem rithmorum et melodiae fuisse . . . . Eum Poetica et cantu mirabilem multos habuisse discipulos, sed tres illustrissimos Herculem, Thamyrim, et Orpheum.* Pausanias (9): *Musicos eum gloria superiores omnes anteisse* scribit. Quintilianus vero (10): *Quis ignorat*, ait, *. . . Musicen tantum iam illis ant quis temporibus non studii modo, verum etiam venerationis habuisse, ut iidem Musici, et Vates, et Sapientes iudicarentur: Mittam alios, Orpheus et Linus, quorum utrumque Diis genitum . . : memoriae traditum est*. Atqui audiebamus ex Strabone (11) Musicam Graecam totam a Thracia seu Pieriâ, et Asiaticâ fuisse prognatam.

Quod

(1) I. de Rapt. Pros. v.279. (2) V.Virg.VI.Aen. v.295. Ciceron.III. de nat. Deor. c.17. Horat. II. Ode 14. v.17. (3) In Proem. Segm.IV. (4) Loc. cit. (5) In Boeotic. p. 303. (6) Fab. CLXI. (7) Apud Eustath. ad Homer. Iliad. 5. v. 570. (8) Biblioth.III. c.65. (9) Loc. cit. (10) Libr. I. Instit. c. 10. (11) §. VIII.



Quod sic firmat Conon (1): *Thraeum illud et Macedonum genus*, nempe Pierium, *ex quo Orpheus vel in primis Musices studiosum fuit*. Tertio quum Philippus Macedoniae Rex, quae Lini ossa Thebis dicerentur, Macedoniam inferre studuisset, id omnino eo consilio fecisse videtur, ut eum civem sibi vindicaret atque in Patria Tellure sepeliret (2). Quarto Tzetzes, ut superius legimus (3), vetusti certe Scriptoris auctoritate tradit Lini patrem fuisse Pierum Macedonem, qui cum aliis Thracibus Boeotiam incoluit, et Pieriae Boeoticae nomen dedit. Et iam vidimus eos ex Pieria Thermaica advenisse. Tandem haec scribit Apollodorus (4): *Atqui Calliopes et Oeagri Linus, qui et patrem habuisse Apollinem dicitur, filius fuit, quem Hercules interemit; Et Orpheus, qui citharoedicam exercuit*. Et alibi (5): *Demum Hercules a Lino citharoedicam didicit. Is Orphei frater fuit, qui quum Thebas commigrasset, ac Thebanorum civium numero adlectus fuisset cithara percussus ab Hercule interiit.* Ideoque si aequum est fratrem eamdem habere patriam ac frater, et Orpheus Pierius fuit, ut vidimus, utique et Linus Pierius fuit. Ergo Phaedrus et gentem et natale solum cum Lino et Orpheo commune habuit, et propterea non in Thracia circa Hebrum, sed in Pieria Thermaica ex antiquissima Thraeum gente natus est.

CAPUT II.

De aetate Phaedri.

I. Qui de Phaedro scripserunt, de eius etiam aetate varias et discrepantes, ut innuimus, sententias tenuerunt. Schefferus (6) autumabat Phaedrum Romam venisse cum Thracibus et Bessis captivis, quos tum fecisse videtur C. Octavius Augusti pater, quum eos populos magno praelio fudit et debellavit (7): Nempe circa annum Urbis DCXCIII.: Nam C. Octavius eo anno bellum gessit, quo Q. Cicero Marci frater Asiam administrabat (8), Consulque erat C. Iulius Caesar. Et quoniam opus est, ut decennis saltem, puerili scilicet aetate, ut Schefferus ipsemet ait, Phaedrus advenisset, ex Schefferi opinione Phaedrum aliquot annis ante Augustum natum fuisse vide-

(1) Apud Phot. loc. cit. (2) V. Pausan. loc. cit. (3) §. III. (4) Libr. I. Biblioth. p. 8. edit. Tan. Fabri. (5) Libr. II. p. 102. Edit. cit. (6) In vit. cit. (7) V. Sveton. in August. cap. 3. (8) V. Sveton. loc. cit. et Middleton. Stor. della vita di Cicerone.

detur, et circa vigesimum Tiberii annum plusquam centum annos egisse. Brotierius vero (1) natum Phaedrum post ipsum annum Urbis DCCXCIV. ante Christum LX. confidentissime posuit. Cannegieterus insuper post priores Claudii annos primum ad fabellas conscribendas manum adposuisse Phaedrum scripsit (2), et propterea circa medium Augusti Principatum in lucem fuisse editum autumavit (3). Pagenstecherus tandem eum Martialis coaevum vel supparem fuisse contendit (4), eum nempe floruisse plusquam quinquaginta supra centum annos, ex quo natum eum autumabat Schefferus. Verum age ipsi nos pariter quid hac de re tenendum iure sit videamus. Et primum quidem constat Phaedrum vitae suae partem sub Augusto, reliquum deinceps egisse. Etenim rem quampiam aetate et memoriâ suâ gestam, narrans ait (5):

A Divo Augusto tunc petiere Iudices.

Unâ nempe ostendens, et id sub Augusto factum fuisse, et se eo iam defuncto literis tradidisse. Nam Romani tum *Divos* Imperatores suos appellabant, quum consecrassent, et Apotheosi donassent, quod profecto fieri, nisi post mortem, non poterat. *Deûm honor*, ait Tacitus (6), *Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit*. Verum quidem est Augustum appellatum fuisse Deum a Virgilio (7), Horatio (8), Manilio (9), Pedone Albinovano (10), Propertio (11), Ovidio (12), tum vulgo et passim Domitianum (13): Attamen sedulo animadvertendum est neque hos Imperatores, neque alios quosvis a latino Scriptore *Divos* fuisse appellatos viventes adhuc et superstites: Quod nempe usus, *quem penes arbitrium est*, *et lex et norma loquendi*, ut ait Horatius (14), eam vocem uni Consecrationi attribuisset. Augustus autem statim post mortem a Tiberio consecratus fuit (15). Paterculus (16): *Sacravit parentem suum Caesar non imperio, sed religione, non appellavit eum, sed fecit Deum*. Isidorus autem (17): Divus *Imperator ille dicitur, qui post mortem Dei nomen accepit*. Servius ad Virgilium (18): Deos *perpetuos dicimus*, Divos *ex hominibus factos*, *quasi qui diem obie-*

(1) Praef. Phaedr. suo praefix. p. IX. (2) Dissert. cit. cap. X. (3) Pag. 272. (4) In vit. (5) Libr. III. Fab. X. v. 39. (6) XV. Annal. cap. 74. (7) Eclog. I. v. 6. I. Georg. v. 29. (8) Carm. I. Ode 12. v. 3. IV. Od. 5. v. 32. etc. (9) Astron. I. v. 9. (10) Eleg. I. v. 466. (11) III. Eleg. 3. v. 1. (12) I. Trist. 2. 40. II. v. 40. 54. IV. Eleg. 4. v. 45. etc. (13) V. Martial. IV. Epigr. 3. 8. etc. Sveton. in vit. cap 13. D. Hieronym. in Chronic. etc. (14) In Art. Poet. v. 70. (15) Tacit. Ann. I. cap. 11. (16) Libr. II. cap. 126. (17) In Gloss. (18) V. Aen. v. 45.

obierint, *unde* Divos *etiam Imperatores vocamus*. Unde Iuvenalis (1); *Respice rivales* Divorum. Minutius Felix (2): *Divi ceteri Reges*, *qui consecrantur*, *non ad fidem numinis*, *sed ad honorem emeritae potestatis*. Et Macrobius quosdam Hesiodi versiculos (3) data operâ sic vertisse videtur (4):

Indigetes Divi, *fato summi Iovis hi sunt*,
Quondam homines, *modo cum Superis humana tuentes*,
Largi, *munifici ius regum nunc quoque nacti*.

Tum Manilius non modo *Divos* a Diis naturâ discernit, sed sede et domicilio (5):

Illa Deum *sedes*, *haec illi proxima* Divum,
Qui virtute sua similes vestigia tangunt.

Et Statius tandem ex receptâ certe formula de C. Caesare canebat (6):

Primus iter nostris ostendit in aethera Divis.

Sed hac de re qui plura cupit disputationem adeat doctissimi Viri Sebastiani Pauli super titulo *Divi* (7). Defuncto igitur Augusto scribebat Phaedrus. Et ita quidem; nam et de Tiberio Caesare (8), et de Aelio Seiano (9) singillatim meminit.

II. Exploratum praeterea est Phaedrum fabellarum opus iam senem et aetate ingravescente conscripsisse. Nam primum ingenium suum, quum id ageret, odori comparat, qui ex faece Falerni vini epotae iam et iacentis amphorae spirat (10), quod antea Burmannus, Brotierius, ceterique ferme omnes Interpretes (11) animadverterunt. Praeterea nulli dubium est, quin Phaedrus in Fabella ad Philetum (12), sub venatoris Canis symbolo lateat, qui

Languere caeperat annis ingravantibus:

Et quin amicum suum moneat sibi vires haud ultra sufficere, et aequum esse prae aetate ut ab aliis conscribendis Fabellis desistat. Tandem haec ad alium fortasse amicum scribebat (13):

Brevitatis nostrae praemium ut reddas peto,
Quod es pollicitus, *exhibe vocis fidem*:
Nam vita morti propior fit quotidie.
Et hoc minus perveniet ad me muneris,
Quo plus consumet temporis dilatio.

Si.

(1) Satyr. II. v. 115. (2) In Octavio. (3) In oper. et dieb. v. 123. (4) In Somnium Scipion. libr. I. cap. 9. (5) Astr. 1. v. 801. (6) I. Silvar. I. v. 24. (7) V. Raccolt. di Opusc. Scientif. e Filolog. Tom. XV. Venet. 1737. (8) Libr. II. Fab. 5. (9) Prolog. libr. III. v. 41. (10) Libr. III. Fab. I. (11) Adnot. ad hunc loc. (12) Libr. V. Fab. 10. (13) Libr. IV. Epil. v. 8.

Si cito rem perages usus fiet longior;
Fruar diutius, si celerius coepero.
Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae
Auxilio locus est.

Tum ergo Phaedrus erat senex. At animadvertendum porro est, quod *Senes* tum dicebantur a sexagesimo dehinc anno: *Ab LX anno*, scribit Censorinus (1), *usque finem vitae uniuscuiusque quintum gradum factum, in quo qui essent senes appellatos, quod ea aetate corpus senio iam laboraret*. Perfectum vero humanae vitae curriculum circa septuagesimum, vel octogesimum annum statuebant. Ita idem Censorinus (2): *Staseas Peripateticus ..... spatium plenae vitae quatuor et octoginta annorum esse dixit, quem terminum si quis praeterit facere idem, quod σταδιοδρόμοι, ac quadrigae faciunt, quum extra finem procurrunt ... ut et in Elegiâ Solonis cognoscere datur. In nona annorum hebdomadâ* (circa annum LXIII) *omnia fieri languidiora, in decimâ* (circa LXX) *hominem fieri morti maturum*. Tum Varro de seipso aiebat (3): *Quae ut potero exponam, cogitans esse properandum quod, ut dicitur, si est homo bulla, eo magis senex. Annus enim octogesimus admonet me, ut sarcinas colligam antequam proficiscar e vita*. Phaedrus autem ad libellorum suorum finem iam properans eodem cit. loco haec e vestigio subdit:

. . . . - *Me olim senio debilem*
Frustra adiuvare bonitas nitetur tua,
Quum iam desierit esse beneficio utilis,
Et mors vicina flagitabit debitum.

Ideoque palam est tum multum adhuc a *senio*, atque a vulgari vitae termino, nempe ab octogesimo ferme anno Phaedrum distasse; et proinde valde commode teneri posse eum circa septuagesimum aetatis annum hos versiculos conscripsisse, et postremos propterea Fabellarum suarum libellos.

III. Sed quoniam qui aliquam vitae partem sub Augusto degit septuagenarius ad Vespasianum usque pervenire potuerit: aliudque vero sit sub primisne Tiberii annis, an sub postremis quis floruerit aut scripserit, vel sub Caio, vel sub Claudio, vel sub Nerone tandem, aut Vespasiano, operae pretium est, ut Phaedri aetatem tempusque, quo scripserit, certioribus limitibus claudere conemur. Et primum quidem commode, ut arbitror, teneri potest eum ad Augusti obitum quinquagenarium ferme extitisse. Phaedrus enim ut ex iam observatis colligi-

(1) De die. Natal. cap. XIV. (2) Loc. cit. (3) De R. R. Libr. I. cap. I.

Igitur quum eam historiolam scribebat, qua de Augusto meminit, annos agebat a sexagesimo ad septuagesimum. Et quoniam tum nos aliquid memoria nostra gestum dicimus, quum plurimorum auditorum aut legentium memoriam et aetatem non attingit; nam secus non memoria tantummodo nostra, sed et sua factum fuisset: ideo quod Phaedrus narrat fieri oportuit triginta ferme annis antequam literis committeret, nempe quum ageret quadragesimum vel trigesimum annum. Quod profecto ipsa res gesta gravis, involuta, difficilis, quae maturiorem quamdam aetatem postulat, ut recte et plane perspiciatur et teneatur, luculenter indicat. Quamobrem si id circa decimum tantummodo, aut vicesimum ante Augusti obitum annum factum ponimus, palam est tum quinquagesimum ferme annum Phaedrum egisse, et circa decimum quintum et vicesimum Tiberii annum Fabellarum opus conscripsisse.

IV. Eadem autem aetas inde etiam arguitur, quod Bathyllum Alexandrinum Pantomimum celeberrimum in Scena agentem viderit, vel videre saltem potuerit. Ea enim de Tibicine Principe historiola (1), quam ita graphice, ita evidenter narrat, et plane oculis subiicit, vel revera sub oculis suis gesta fuit, quod Vossius Pater (2), quod Pithoeus (3), quod Funccius (4), quod alii doctissimi viri tenuerunt, vel saltem aetate sua, et de personis sibi notissimis, quod ad idem omnino recidit. Bathyllus autem Pyladis Cilicis eiusdem professionis hominis coaevus et aemulus fuit. At Pyladem artem suam anno quarto Olympiadis CLXXXIX, anno nempe Urbis DCCXXXIII, quinque supra triginta ante Augusti obitum annis primum Romae protulisse Eusebius et Hieronymus (5) sunt Auctores. Quamobrem teneri potest et circa eumdem annum Bathyllum quoque in Scenam processisse. Et ita quidem: Nam triennio post, anno scilicet Urbis DCCXXXVI, Augustus ut ex Dione constat (6), Pyladem revocavit in Urbem, inde iam antea per factiones quae Bathyllo favebant eiectum, et corripuit etiam quod cum eo rixaretur. Quin forte Bathyllus aliquot annis in producenda arte sua Pyladem praevertit. Nam haec leguntur in Excerptis Athenaei (7): *Is Athenaeus primum Auctorem fuisse tradit Bathyllum Alexandrinum, quem recte saltasse affirmat Seleucus. Aristonicus, et Pylades, qui de saltatione librum edidit, Italicam saltationem ab hoc Bathyllo scribunt con-*

fla-

(1) Libr. V. Fab. 7. (2) De Poet. Lat. cap. III. (3) Epist. ad Fratr. Phaedr. suo praefix. (4) De Immin. Lat. Ling. senectut. cap. III. §. 17. (5) In Chronic. (6) Libr. LIV. Historiar. (7) Libr. I. cap. 7.

flatam è Comicâ, quam Cordaca nominabant. Ideoque quum per ea tempora maxime floruisse Bathyllus videatur (1), sextum circiter lustrum tum dubio procul agebat. Nam secus de eo, quum tanta potissimum celebritate frueretur, ut de adolescente et puero meminissent. Verum quidem est ex Dione et Tacito (2) colligi eum a Mecaenate, cuius libertum fuisse scribit vetus Persii Scholiastes (3), amatum fuisse. Attamen aliquot annis ante id fieri potuit. Quin forte in hanc etiam aetatem huiusmodi amores produci potuisse ex his quae apud Petronium Arbitrum Encolpius iam maturus iuvenis et vir loquitur, arguitur (4): *Eumolpus qui tam frugi erat, ut illi etiam ego puer viderer*. Quapropter Bathyllus si usque ad Augusti obitum vixit plusquam sexagenarius tum fuit: Quumque ars Pantomimica vigentes vires, et iuvenile corpus expostulet, dicendum est viginti saltem ante annis Bathyllum a Scena recessisse. Et re quidem vera Cassius Severus Augustaei aevi Orator Senecae Rhetori haec dicebat (5). *Et ut ad morbum meum te vocem, Pylades in Comoedia, Bathyllus in Tragoedia multum a se aberant*. Ex quo fit iam aliquot annis antequam iste sermo haberetur Bathyllum a Scenâ recessisse. Atqui iste sermo habitus est florente adhuc et incolumi Cassio, decimo scilicet ad minimum anno ante obitum Augusti, quum septimo in exsilium actus fuisset. Etenim Cassius Severus, Hieronymo teste (6), anno quarto Olympiadis CCII defunctus est, quum quinque supra viginti annos exsulasset. Et propterea si aliquot illi anni decem ferme fuisse ponuntur, iam illos viginti circiter annos iterum habebimus. Et quoniam Phaedrus haud ante tertium, quartumve aetatis suae lustrum Romam advenisse videtur, ut singillatim observabimus (7), si historiola ista de Principe tibicine aliquot annis post Phaedri adventum, ut omnino par est, et aliquot ante annis, quam Bathyllus a Scena recederet, gesta fuit, perspicue colligimus Phaedrum quinquaginta circiter annos ad Augusti obitum numerasse, et ideo iterum circa decimumquintum et vicesimum Tiberii Caesaris annum Fabellas suas conscripsisse.

V. Fabula porro, quam singillatim de Tiberio Phaedrus conscripsit, atque in secundum Fabellarum libellum coniecit (8) haec est:

Ce-

(1) V. Dion. loc. cit. Xiphilin. in Epitom. Tacit. I. Ann. cap. 55. (2) Loc. cit. (3) Ad Satyr. V. v. 123. (4) Satyr. cap. 146. vid. et. Platon. in Parmenid. init. (5) Apud eumd. Senec. Praef. in libr. III. Controvers. (6) In Chronic. (7) Cap. III. §. 7. (8) Num. 5.

Caesar Tiberius quum petens Neapolim,
In Misenensem villam venisset suam;
Quae monte summo posita Luculli manu,
Prospectat Siculum, et prospicit Tuscum mare:
Ex altecinctis unus Atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat districta, cirris dependentibus,
Perambulante laeta Domino viridia;
Alveolo coepit ligneo conspergere
Humum aestuantem, come officium iactitans;
Sed deridetur. Inde nótis flexibus
Praecurrit alium in xystum, sedans pulverem,
Agnoscit hominem Caesar, remque intelligit.
Is ut putavit esse nescio quid boni:
Heus, inquit Dominus. Ille enimvero adsilit,
Donationis alacer certae gaudio;
Tum sic iocata est tanta Maiestas Ducis:
Non multum egisti, et opera nequidquam perit,
Multo maioris alapae mecum veneunt.

Quae autem in istâ fabellâ narrantur octavo Tiberii anno facta omnino videntur. Tiberius enim, qui antea numquam ne pedem quidem ferme portâ extulerat (1), tum primum in Campaniam secessit, ut Tacitus (2), et Dio (3) tradunt, ibique ad maximam anni partem mansit, quum vix inito Romae consulatu inde abiisset (4), nec nisi eo absoluto rediisset (5). Et quum idcirco venisset, ut valetudinem suam, ut aiebat, curaret (6), nullus certe opportunior in totâ regione erat locus, quam Neapolitana ora et Misenensis. Quin id plane perspicue ex Tacito colligitur, qui de Druso Tiberii filio loquens, qui tum unâ cum Patre erat: *Huc decidisse cuncta,* scribit (7), *ut ne Iuvenis quidem tanto honore accepto adiret Urbis Deos, ingrederetur Senatum .... Bello eum scilicet, aut diverso terrarum distineri, litora ac lacus* Campaniae *eum maxime peragrantem? Sic imbui Rectorem generis humani, id primum e paternis consiliis discere. Sane gravaretur aspectum Civium senex Imperator, fessamque aetatem, et actos labores praetenderet. Druso quod, nisi ex adrogantia, impedimentum?* Petiit quidem iterum Campaniam Tiberius quadriennio post, sed Historici de Nola et Capua tantummodo meminerunt (8). Quin Tacitus et Neapolim

et

(1) V. Sveton. in vit. cap. 38. (2) Libr. III. Annal cap. 31. (3) Libr LVII. p. 616. (4) Tacit. loc. cit. (5) Dio libr. cit. p. 617. (6) Tacit. loc. cit. (7) Libr. cit. cap. 59. (8) Tacit. libr. IV. Ann. cap. 57. Sveton. in vit. cap. 40.

et Misenum perspicue prorsus his verbis exclusit (1): *At Caesar dedicatis per Campaniam templis ..... perosus Municipia et Colonias, omniaque in Continenti sita Capreas se in insulam abdidit*. Et tandem si Miseni Tiberius est mortuus, eiusque villae mentionem tum primum iniicere Historici visi sunt (2): haudquaquam fit tum primum eam Caesarem invisisse, eoque tempore historiolam illam gestam fuisse. Historici enim saepius rerum gravitati et opportunitati inserviunt, pluraque non suo sed commodiori loco reservant. Praeterea de Neapoli hic nulla prorsus est mentio, nec esse poterat, quum Tiberius Capreas petens oras regionis tantummodo de more praelegisset. Tertio Tiberius advectus est aeger ad Misenum, nec venit volens prudensque, ut eo tempore venit de quo Phaedrus loquitur, sed invitus et morbo coactus, nec multis sane post diebus interiit (3): Unde ne tempus quidem illi facto opportunum et par suppetere potuit. Tandem quod Phaedrus narrat gestum est, ut patet, *aestuante humo*, in *pulverulenta* aestate (4): At Tiberius defunctus est postridie Idus Martias (5) hiemali nempe adhuc tempestate. Quae igitur de Tiberio Phaedrus refert facta omnino videntur desinente octavo Principatus eius anno, Iulio forsan vel Augusto mense, et propterea nono fortasse anno ineunte, quem adgrediebatur quinto circiter die post Idus Augusti: *quum simul excessisse Augustum, et rerum potiri Neronem fama eadem tulerit*, ut scribit Tacitus (6); et Augustus XIV. Kal. Septembris supremum diem obierit (7).

§ VI. Quo vero singillatim deinceps anno Fabellam istam Phaedrus conscripserit constitui certo non potest. Tuto tamen ego tenerem nec proximis omnino annis, nec defuncto iam Tiberio eam literis traditam et vulgatam a Fabulatore fuisse: Sed aliquot tantummodo annis post octavum Principatus Tiberii, quum adhuc is viveret. Et plane proximis quidem annis non fuisse conscriptam inde iure colligitur, quod nil prorsus id indicet innuatve: nec dubitare fas est, quin Phaedrus aliquod *nuper*, aut simile addidisset, ut alibi fecit (8), si factum recentissimum fuisset; quum potissimum Romanos Ardeliones emendare constituisset, et satius esset praesens plane factum praesenti vitio opponere. Quamobrem haud temere teneri potest Fabellam ante XVI. fere Tiberii annum haud fuisse

(1) Libr. cit. cap. 67. (2) Tacit. libr. VI. Ann. cap. 50. Sveton. in vit. cap. 73. Dio libr. LVIII. (3) V. Sveton. loc. cit. (4) V. 15. et 19. (5) Sveton. loc. cit. (6) I. Annal. cap. 5. (7) Sveton. in Octav. cap. 100. (8) In Fabel. nov. num. XV. v. 1.

se conscriptam. Sed nec post Tiberii mortem compositam editamque fuisse tenendum est. Quomodo enim credibile est liberi ingenii hominem, acremque Tyrannidis osorem virtutis et humanitatis vindicem, Tiberium mortuum, omnibus plane invisum, ipsique plebeculae execrabilem, quique vitae potissimum finem inauditis et infandis flagitiis clauserat tam scite, tam ornate, tam humili etiam adulatione laudaret? Haec sane inter cetera de Tiberio Tacitus (1): *Idem inter bona malaque mixtus incolumi matre, intestabilis saevitia, sed obtectis libidinibus dum Seianum dilexit timuitve, postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore et metu suo tantum ingenio utebatur*. Svetonius vero haec (2): *Morte eius ita laetatus est populus, ut ad primum nuntium discurrentes pars Tiberium in Tiberim clamitarent, pars Terram matrem, Deosque Manes orarent, ne mortuo sedem ullam nisi inter impios darent, alii uncum et Gemonias cadaveri minarentur, exacerbati super memoriam pristinae crudelitatis, etiam recenti atrocitate . . . Corpus ut moveri a Miseno coepit conclamantibus plerisque Atellam potius deferendum, et in Amphiteatro semiustulandum Romam per milites deportatum est*. Quid ergo magis non dicam stultum et turpe, sed a communi etiam sensu alienum talem hominem post tantam infamiam scita laude celebrare? At si de Tiberio vivente loquimur prudentiam potius et sagacitatem Fabulatoris suspiciemus. Nam quum invidiosum Scripturae genus tam iniquis temporibus adgressus fuisset, necesse erat ut Delatorum, quorum plena erat Urbs, et ipsius fortasse Tiberii aures scitâ et gratâ laude praeoccuparet, et quibusdam blanditiis falleret. Praeterea ubi Phaedri Fabula mature perpenditur clare, ut arbitror, perspicitur argutas illas laudes, exquisitas illas sermonis munditias nonnisi in homine, qui adhuc viveret, cadere posse. Tertio si Tiberii Villa (3)

Prospectat Siculum et prospicit Tuscum mare:

Utique Phaedrus scripsit, quum Villae Dominus erat Tiberius, nempe quum is adhuc viveret. Tandem illa verba (4):

Tunc sic iocata est tanta Maiestas Ducis:

Nonne Caesarem ipsum praesentem quodammodo, oculisque subiectum constituunt? Quin omnino peterem an *tanta Maiestas* de defuncto possit usurpari. Hoc quidem Fabellae loco vulgo legunt *tanti*, sed temere et nulla auctoritate. Nam Codices habuerunt *tanta*, quam lectionem iure merito restituit Brotierius

(1) Libr. VI. Ann cap. 50. (2) Invit. cap. 75. (3) V. 10. (4) V. 22.

rius (1). Ovidius sane de Diis sempiternis, et propterea viventibus loquens ait (2):

Di quoque carminibus, si fas est dicere, fiunt,
Tantaque Maiestas *ore canentis eget.*

Tum Paterculus de ipso Tiberio et vivente, quod ingentis est auctoritatis (3): Tanta*que*, ait, *unius Viri* Maiestas *fuit*, *ut nec bonis, neque contra malos opus armis foret.* Et Valerius Maximus de eodem Tiberio, et vivente (4): *Eodemque tempore* Drusus *et fraternae, Tiberii,* Maiestati *cessit, et vitâ excessit.* Omnino igitur certum exploratumque videtur Phaedrum Fabellam de Tiberio Caesare et propterea quamdam saltem partem Fabellarum suarum eo adhuc vivente conscripsisse atque edidisse.

VII. Sed quid, nonnulli inquiunt (5), sub principatu tam saevi et immanis hominis Phaedri Fabulae conscribi et edi potuerunt? Et quidni, ego inquam? Quid tantum obstitit ne id fieret? Nil certe est in Phaedri fabulis, quod Tiberium aperté lacessat, aut Domum Caesarum contumelia afficiat. Quin luculentae emicant ipsius Tiberii laudes, quas audivimus, egregium Augusti factum extollitur (6), praeconia eius memorantur (7), et domus Caesarum *divina* a Fabulatore appellatur (8). Praeterea Tiberius illos tantummodo insectabatur, qui apertis eum conviciis et contumeliis impetebant, et quidem saepe per ius et iustitiam. Quin interdum ea et patienter tulit (9), et nonnullis etiam, qui probrosis carminibus rectà lacessiverant pepercit (10). Et si quae acerbiora in eius vitâ occurrunt ad Seiani tyrannidem, de qua mox dicemus, sunt referenda. Phaedrus autem etsi Tiberium saepius in suis Fabellis spectasset, ita tamen involvit et obstruxit sententiam, ita res singulas aptavit, ut omnes falleret, et calumniam eluderet (11). Quomodo eum tenere, quomodo certo argumento maiestatis arguere? Tandem Seneca Rhetor sub Tiberii principatu, quae eius modo scripta extant, composuit et edidit. Et si ei licuit aperte et manifeste mores aevi et tyrannidem increpare, si tantum vetera et praeterita iactare, ut multam praesenti tempori invidiam crearet: Quidni licere potuit Phaedro obscuris et involutis Fabellis *mortalium errorem corrigere* (12): Et *vitam prudenti*

(1) V. Adnot. ad hunc locum. (2) IV. de Pont. Eleg. 8. v. 55. (3) Lib. II. cap. 124. (4) Libr. V. cap. 5. n. 3. (5) Cannegier. loc. cit. (6) Libr. III. Fab. 10. v. 39. (7) Libr. V. Fab. 7. v. 27. (8) Loc. cit. v. 38. (9) V. Tacit. libr. VI. cap. 38. Sveton. in vit. cap. 28. Dion. libr. cit. p. 607. (10) Tacit. IV. Ann. cap. 31. II. cap. 50. (11) Libr. III. Prolog. v. 37. (12) Libr. II. Prolog. v. 3.

denti consilio monere (1)? Nil igitur omnino obstat, quin Phaedrus libellos suos Fabellarum Tiberio Principe scriberet vulgaretque.

VIII. Phaedrus porro de Aelio Seiano quoque, ut innuimus, meminit, innocensque ab eo oppressus, breviter quidem, sed acerrime iniustitiam eius perstrinxit his versiculis (2):

Quod si accusator alius Seiano foret,
Si testis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.

Scilicet: Quod si mihi non Seianus omnium nequissimus et deterrimus unâ *fores* et accusator meus, et testis in me, et iudex, sed quivis alius, faterer quodammodo me tantis malis quae perpetior esse dignum. Nam quum ita nequam et malus esse non posset, putarem me revera aliquam culpam admisisse, qua iure plecti viderer: Nec istas fabellas scribendo solamen gravissimo dolori meo quaererem. Seianus autem a nono quidem Tiberii anno satis potens in Romana Republica evaserat (3), sed tempora, quae Phaedrus indicat ea omnino esse videntur, quae Capreensem Tiberii secessum, et Liviae Augustae mortem proxime exceperunt. Tum enim Seianus in omnia atrocia, *veluti frenis exsolutus prorupit*, ut scribit Tacitus (4), tum *praerupta et urgens dominatio*, ut idem ait (5), tum tyrannus, tum accusator, tum testis, et idem denique iudex. Ideoque valde probabile est circa decimumsextum Tiberii annum Phaedrum a Seiano oppressum fuisse. At eone adhuc vivo, vel eo iam necato illos versiculos edidit Phaedrus? Equidem hoc alterum tenere mallem. Nam quis putaverit atrocissimam iniuriam tum per Romam fuisse vulgatam, quum *facinorum omnium repertor* (6) universam Urbem, ipsamque Domum Caesarum caedibus complebat, optimos Romanorum et doctos viros levissimis de caussis perdebat? *Anxia tum*, ait Tacitus (7), *et pavens Civitas, ... congressus, colloquia, notae ignotaeque aures vitari, etiam muta atque inanima, tectum, et parietes circumspectabantur*. Svetonius porro ista omnino tempora spectans subdit (8): *Tum omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simplicium que verborum. Obiectum est Poetae, quod in Tragoedia Agamemnonem probris lacessisset, obiectum est historico quod Brutum Cassiumque ultimos Romanorum dixisset. Animadversum statim in Aucto-*

---

(1) Libr. I. Prolog. v. 4. (2) Loc. cit. v. 41. (3) V. Tacit. IV. Ann. cap. 1. (4) Libr. V. cap. 3. (5) Loc. cit. (6) Tacitus Libr. IV. Annal. cap. 11. (7) Libr. cit. cap. 69. (8) In Tiber. cap. 61.

Auctores, scriptaque abolita, quamvis probarentur aliquot ante annos, etiam Augusto audiente recitata. Seneca autem Marciam sic alloquitur (1). *Propone illud acerbissimum tibi tempus, quo Seianus Patrem tuum clienti suo Satrio Secundo congiarium dedit. Irascebatur illi ob unum aut alterum liberius dictum, quod tacitus ferre non potuerat: Seianum in cervices nostras nec imponi quidem, sed ascendere*. Et recte tandem Gabriel Brotierius Tacitum suum supplebat (2): *Violentior quoque Seiani dicteriis fictisque sententiis inlusi ira, praemiis irritata vestigatorum et accusatorum aviditas, praeclaros quosque, et in Civitate praestantes corripuit, civilique bello gravius confecit. Excipiebatur laetantium risus, querentium dolor, iocantium simplicitas, ipse ebriorum sermo. Nihil erat tutum, omnis saeviendi placebat occasio, unusque reorum omnium eventus aut mors propera, aut turpe supplicium*. Quidnam ergo de Liberto futurum erat, qui non ioco et verbo, sed gravissima omnium contumelia potentissimum hominem laeserat? Atqui Phaedrus Seiani Tyrannidi superfuit, eumque satis cautum hisce in rebus fuisse novimus. Nam de quibusdam improbis loquens a Seiani impotentia dubio procul plurimum distantibus, a quibus vexabatur scribit (3):

Qui sint requires, apparebunt tempore,
Ego quondam legi quam puer sententiam,
Palam mutire Plebeio periculum est;
Dum sanitas constabit pulchre meminero.

Haec igitur spectans fidenter dicerem Phaedrum Prologum Libri tertii post Seiani necem, post initia scilicet decimi octavi Tiberii anni edidisse: circa quem annum Valerius Maximus etiam qui de Seiano antea ne mutiverat quidem, in eum acriter et palam est invectus (4). Verum quidem est illud *foret* saepius significare *esset*, quo sensu si hic sumeretur de Seiano vivente agi videretur. Attamen animadvertendum est *foret* saepe etiam valere ipsum *fuisset*, ut notum est (5). Et si in Phaedri versiculis, in quibus de Seiano loquitur, non apparet participium, quod vocant, praeteriti temporis, neque in isto Propertii disticho apparet, quo Poeta de Cleopatrâ loquitur (6):

Dî melius, quantum mulier foret una triumphus,
Ductus erat per quas ante Iugurtha vias.

Praeterea quum in versiculis, qui statim praecedunt, et unam cum illis sententiam absolvunt scripsisset *feci*, *cogitavi*, perspi-

(1) Consolat. cap. 22. (2) Libr. V. Annal. cap. 7. (3) Epilog. libr. IV. v. 32. (4) Libr. IX. c. 11. Ext. 4. (5) Vid. libr. I. Epit. Fab. XXVIII. ad v. 6. (6) Lib. IV. Eleg. 6. v. 65.

spicue, ut arbitror, ostendit se de praeterito, non de futuro vel praesenti tempore loqui. Verum etsi quis contendere omnino vellet ex Phaedri verbis patere, quod nemo tamen facile concedet, de Seiano adhuc vivo agi, id rationes a nobis initas haud magnopere turbat: Nam a Phaedro oppresso ad Seianum necatum vix biennium intercessit.

IX. Verum si tertius Fabellarum Phaedri liber Seiano iam necato vulgatus fuit, id certe proxime, et ipso forte anno fieri debuisse videtur. Illae enim querelae, ubi de longiori temporis intervallo agatur, absurdae sunt et ineptae, quum iam et familia, et amici, et fautores Seiani ab eius statim casu e medio sublati fuissent, eorumque memoria fere prorsus deleta, et deperdita (1). Praeterea si ex iis ipsis versiculis palam est Phaedrum ea de caussa fabellis conscribendis dedisse operam, ut sese in malis, quae sibi a Seiano facta fuerant, solaretur, quodammodo et levaret, ut tantum dolorem Fabellarum remediis deliniret, certe haud multo post a recepto malo, sed quum illud ferret, quum Tyrannidis damna et effectus adhuc pateretur haec scribere oportuit. Quod sane ex his etiam versiculis, qui proxime praecedunt aeque luculenter patet (2):

Aesopi illius semitam feci viam,
Et cogitavi plura quam reliquerat,
In calamitatem deligens quaedam meam.

Scilicet inveniens, conscribens quasdam Fabulas, quae me in calamitate mea solarentur et ulciscerentur. Burmannus quidem (3), Desbillonius (4), aliique Interpretes autumant *deligere quaedam in calamitatem*, esse seligere quaedam, quae calamitatem et aerumnam facerent, perinde ac si Phaedrus ob Fabellas a se editas calamitatem sibi creasset. Sed parum recte docti viri hic Fabulatorem interpretantur. *Deligere* enim est legere, seligere, eligere, et quidem curâ, solertiâ, diligentiâ, ingenio. Unde Cicero (5): *Bona deligere, reiicere contraria.* Ideoque Phaedrum vel dementem faciunt, vel in Latini Sermonis proprietate plane incuriosum et negligentem. At qui sapit neutrum dicet. Praeterea quomodo, cedo, fieri potuit, ut qui propter Fabulas atrociter vexatus et oppressus fuerat, statim eas iterum adgrederetur, atque eas quidem non doloris et calamitatis suae caussas, sed remedia et levamen praedicaret? Nonne

---

(1) V. Tacit. VI. Ann. cap. 19. Dion. libr. LVIII. Valer. Max. libr. IX. cap. 11. ext. 4. Brotier. suppl. ad Tacit. V. Ann. cap. 39. (2) N. 38. etc. (3) Comm. nov. ad h. loc. (4) Disput. I. de vitâ Phaed. p. XI. (5) De legib. libr. I.

ne id desipere est? Quin Phaedrus non modo numquam dixit sibi ob Fabulas aliquam creatam fuisse calamitatem, sed potius, quod iam innuimus, calumniam fabulis elusisse perspicue ostendit. Haec enim in eodem Prologo (1) scripsit:

Nunc Fabularum cur sit inventum genus
Brevi docebo: Servitus obnoxia,
Quia quae volebat non audebat dicere,
Affectus proprios in Fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit iocis.
Aesopi illius semitam feci viam.

Quamobrem certum est Phaedrum alias fabulas Aesopo ignotas invenisse, ut calamitati suae aptaret, eoque pacto dolorem suum levaret, et tuto se ulcisceretur: Ideoque etiam patet circa Seiani necem omnino scripsisse.

X. Quod si igitur Phaedrus circa decimumsextum Tiberii annum a Seiano oppressus fuit, et potissimum, ut sese eo dolore levaret, manus ad Fabellas componendas admovit, si Librum tertium paullo post Seiani necem edidit; valde commode, ut puto, de prioribus Phaedri Libellis constitui potest: Primum scilicet ipso fere decimosexto Tiberii anno conscriptum fuisse; secundum sequenti, tertium vero sub finem anni decimioctavi, vel potius decimonono: Quumque reliquis quatuor vel quinque Tiberii annis non duo tantummodo Fabularum libelli, sed quatuor forte vel quinque conscribi commode potuissent, ideo minime temere dici potest sub postremis Tiberii temporibus Phaedrum Fabellarum suarum opus plane absolvisse. Quod autem nos singulis Phaedri libellis annum solidum aut amplius etiam assignaverimus ea ratio est, quia constat Phaedrum sensim, et singillatim libellos suos conscripsisse et vulgasse. Et re quidem vera ex Prologo et Epilogo Libri secundi patet iam editum fuisse primum Libellum: Ex Prologo tertii (2), ex Fabella decima (3), et duodecima (4), et decimatertia (5) non modo constat primum et secundum Libellum iam vulgatos fuisse, sed ad Auctoris aures iam quaedam de iis iudicia, et invidorum querelas pervenisse. Idem quoad superiores Libellos ex Prologo Quarti, ex Fabella sexti, et ex vicesima patet: atque ex Prologo Libri quinti, et ex Iambico Carmine ad Particulonem (6) reliquos iam longe lateque notos lectosque fuisse. Ideoque quum ostenderimus (7) Libellos Phaedri pleniores antea fuisse quam nunc sunt, vel plures, aut

(1) V.34. et seq. (2) V.1.29.63. etc. (3) V.60. (4) V.8. (5) V.17.
(6) Post Fabell. 5. (7) Dissert. II. in Cod. Perott. c. II. §. 7. et 8.

aut potius utrumque: haud sat longum temporis spatium est annus ad tam scitas; et ut ipse Phaedrus loquitur (1) *arte fictas* fabulas inveniendas, conscribendas, vulgandas, et ad iudicia de eis expectanda et colligenda. Quin ex Epilogo Libri quarti patet Fabellarum opus ibi fuisse interruptum, et ignoratur quamdiu plane Phaedrus a Fabellis conscribendis vacaverit. Istud quidem tempus haud diuturnum videtur, potissimum si genuina habeatur Prologorum et Epilogorum Phaedri facta a Brotierio dispositio (2). Verum, nemo ut puto, est qui non videat et tutius et verisimilius statui Phaedrum circa postrema Tiberii tempora Fabellarum suarum opus absolvisse.

XI. Et ad hanc ipsam quidem Phaedri aetatem magis magisque firmandam eiusdem Phaedri Fabula, quam Perottinus Codex servat, nosque modo in lucem emisimus luculentum etiam argumentum suppeditat. In eâ enim historiola quaedam de Matronâ et Milite narratur (3), quam Auctor aliquot tantummodo annis, antequam literis consignaret gestam fuisse scribit:

Per aliquot annos quaedam dilectum Virum
Amisit, et Sarcophago corpus condidit;

Atqui Petronius Arbiter ipsam hanc historiolam exhibet (4), et senem quemdam Eumolpum nomine provectae iam aetatis eam non paucis auditoribus narrantem, et haec pollicentem inducit: *Nec se*, scilicet, *Tragoedias veteres curare, aut nomina seculis nota, sed rem suâ memoriâ factam expositurum se esse*. Et propterea quum isti auditores magna saltem ex parte virili et integra aetate esse, et trigesimum certe annum iam excessisse fingantur, perspicuum est historiolam illam quadraginta forte annis, vel saltem plusquam triginta, antequam ab Eumolpo narraretur, gestam fuisse. Petronius autem, ut satis longa Disputatione evicisse putamus (5), circa decimum Neronis annum scribebat, scilicet circa annum Christi LXIII. Unde colligitur historiolam istam de Ephesia matrona geri oportuisse circa annum Christi XXIII, scilicet circa annum Tiberii IX. vel ante annum XIX. Ideoque si *aliquot* illi Auctoris nostri anni octo ferme ponuntur, eam dubio procul circa XVII. eiusdem Tiberii annum scripsit, et si τὸ *ante* duos tresve annos notat circa XXIII tandem ipsius Tiberii annum literis tradidit. Quamobrem iterum, quod antea dicebamus colligitur: teneri nempe optimo iure posse, quod Phaedrus Fabularum Aeso-

(1) Epil. libr. II. v. 13. (2) In sua edit. 1783. Paris. (3) Num. XV. (4) In Satur. cap. 110. et seqq. (5) Dissert. III. in Codic. Perott.

sopiarum libellos circa postremos Tiberii annos prorsus absolvisset.

XII. Annaeus quidem Seneca in Corsica exsul, tertio fere Claudii anno (1), ad Polybium doctum et potentem Imperatoris Libertum inde scribens (2): *Non audeo te, ait, usque eò producere, ut Fabellas quoque, et Aesopios logos, intentatum Romanis ingeniis opus, solita tibi venustate connectas*: Perinde ac si nemo ullus adhuc Romanorum Scriptorum ad Fabellas conscribendas accessisset. Verum id leve profecto erat, ut Cannegieterus hoc silentio plane frangeretur, et parum apte statueret Phaedrum post tertium Claudii annum Fabularum opus primum adgressum fuisse (3): Utque porro absurde Desbillonius suadere voluerit (4) Phaedri fabulas conscriptas quidem sub Tiberio et Caligula fuisse; nonnisi tamen post priores Claudii annos ab eo in vulgus emissas. Nam palam est, ut vidimus (5), unà Phaedrum conscripsisse atque evulgasse fabulas suas; unà eas lectas, laudatas, reprehensas fuisse (6); unà nonnullos inventos qui eas sibi adseribere et tribuere voluissent (7), aliosque auctoritatis ergo praeclaras Fabulatoris sententias in chartas suas transtulisse (8). Ego porro bona fide peterem an ex Critices legibus cuiuspiam Scriptoris silentium tanti ponderis esse possit, ut multa, gravia, et perspicua argumenta ex ipsis fabellis, ex ordine et necessitate rerum petita plane evertat ac destruat: vel aequum et commodum sit fingere Phaedrum post quindecim ferme annos de Seiano tamquam adhuc vivente loqui, tamquam omnino nuperrime ab eo se oppressum queri, fabellasque adgredi, ut dolorem leniret viginti ferme ante annis perceptum? Quid profecto absurdius, et ab humano sensu alienius? Cannegieterus quidem id vidit, subdiditque statim Seianum, de quo loquitur Phaedrus, non esse Equitem illum Romanum sub Tiberio famosum, sed Narcissum Claudii libertum. O mirum inventum, quo omnia belle et facile solvuntur! Sed qui sapit ab ista temeritate abhorrebit, cui si esset locus universa Historia confundi posset et perdi. At quid tantum et tam grave est, quod Seneca Fabellas Phaedri non noverit? Quid hoc monstri est? Nonne plura, quae sub ipsis, ut ita dicam, oculis nostris conscribuntur, etsi typographicae ar-

(1) V. Lipsium in Senec. Consol. ad Polyb. cap. 27. (2) Loc. cit. (3) Loc. cit. (4) Disput. cit. p. XV. (5) §. X. v. et. Cannegiet. loc. cit. (6) V. libr. III. Prol. v. 45. Fab. X. v. 60. Fab. XII. libr. IV. Fab. 6. etc. (7) Libr. III. Fab. 13. v. 16. (8) Libr. V. Prol. I. v. 18.

artis commoditate, et Ephemeridum opportunitate latissime statim pervolitent, ita serius tamen ad nos non raro perveniunt, ut qui id factum fuerit, miremur? Roma autem incredibilis tum erat magnitudinis (1), Phaedrus tenuissimae fortunae libertus, et Seneca vel ante exsilium potentiorum Civium familiaritate occupatus (2). Quid ergo mirum si ad istius aures Phaedri fabellae citius non pervenerint, quarum forte pauca etiam exemplaria ob Auctoris tenuitatem versabantur?

XIII. Verum esto, ponamus Senecam nullo pacto Fabellas Phaedri ignorare potuisse, si iam editae fuissent: Nonne labi e memoriâ notitia potuit, eumque quum scriberet fugere? Quin id et exsuli et misero homini accidere facillimum fuit, quum potissimum in eodem libello Polybio suo testetur ex situ et squalore exsilii, ex barbarorum consuetudine ita ingenii vires hebetatas, ita memoriam fractam, ut vix ei latina amplius verba succurrerent. *Haec utcumque potui*, ait (3), *longo iam situ obsoleto et hebetato animo composui, quae si aut parum respondere ingenio tuo, aut parum mederi dolori videbuntur, cogita ... quam non facile latina ei verba succurrant, quem barbarorum inconditus gravisque fremitus circumsonat*. Praeterea rectissimâ coniectura colligebat Fabricius (4) Senecam non de carmine et poesi, sed de prorsa oratione ad Polybium locutum fuisse. Nam scribit *solita tibi venustate connectas*. Atqui Polybius et Homerum et Virgilium in Latinam prosam converterat. Sic ad eum idem Seneca (5): *Tunc Homerus et Virgilius tam bene de humano genere meriti, quam tu et de omnibus et de illis meruisti, quos pluribus notos esse voluisti, quam scripserant, tecum morentur*. Et aliquanto post (6): *Agedum illa quae multo ingenii tui labore celebrata sunt, in manus sume, utriuslibet Auctoris carmina, quae tu ita resolvisti, ut quanvis structura illorum recesserit, permaneat tamen gratia. Sic enim illa ex alia lingua in aliam transtulisti, ut quod difficillimum erat, omnes virtutes in alienam orationem te secutae sint*. Tum Polybius nulla alia opera praeter ista conscripserat: Nam si fecisset, sine dubio ea Seneca laudasset, vel memorasset. Illud igitur *connectas* prorsam orationem evidenter spectat. Ideo quum Phaedrus carmine scripserit, et nemo Romanorum hactenus Fabellas pedestri sermone vel confecerit, vel verterit, recte Seneca etiamsi Phaedrum quotidie versaret, specimen illud Romanis ingeniis intentatum appellare potuit.

XIV.

---

(1) V. Isaac. Voss. de ant. Urb. Romae magnitud. (2) V. Dion. libr. LX. p. 670. Ed. cit. (3) Cap. 37. (4) In Biblioth. Graec. lib. II. cap. 9. §. 12. (5) Cap. 26. (6) Cap. 30.

XIV. Quin immo animadvertendum insuper est, Senecam scripsisse *Romanis* quidem *ingeniis* intentatum adhuc Fabellarum opus fuisse, non vero ingeniis ceterarum Gentium. Phaedrus autem Gente fuit Thrax, Patria vero Macedo, ut iam ostendimus. Ideoque cupiebat potius Seneca aliquem ex *Romanis ingeniis* Phaedro opponi: Unde patet huius Fabellas iam antea edi oportuisse. Equidem scio, istam verborum Senecae interpretationem passim et certatim a doctis viris fuisse reiectam (1), perinde ac si inde fieret nec Terentium Afrum, nec Ausonium Gallum, nec Senecam ipsum Cordubensem Latinos Scriptores dici posse. At eorum pace temere et iniuria. Nam Seneca non de Latinis Scriptoribus, sed de *Romanis ingeniis* loquitur. *Romana* autem *ingenia* sunt, qui Romae, qui in Italia gignuntur et educuntur, omnes tum ob civitatem *Romani* dicti; quos Romanum Coelum, Terra Itala fert, alitque; non qui externi atque ex alia gente orti, aliaque terra et coelo usi Latine casu quodam scribunt. *Ingenium* non sermonem notat, sed originem, non linguam, sed ingenitam naturam significat. Quamobrem ipse Propertius civitate Romanus, quod Patria Umber se *Romanum* esse *ingenium* non putabat (2) scribens:

Tunc me non humilem mirabere saepe Poetam,
Tunc ego Romanis *praeferar* ingeniis:

Nec umquam, quod ego quidem scirem, sive Terentius, sive Ausonius, sive Seneca, sive alius quivis externus absolute et simpliciter *Romanum ingenium* umquam appellatum fuit. Et quis, cedo, Phaedrum praesertim, etsi elegantissimum latinum Scriptorem, *Romanum ingenium* dixerit, si Patriam suam prae Romana Civitate iactavit, si de externa sua origine et Romae scribens tantopere est gloriatus, i non modo numquam se Romanum quomodocumque dixit, sed etiam luculenter se a *Romanis ingeniis* secrevit, seque iis quodammodo opposuit? Ad Romanum quidem hominem scribit (3): *Ego, quem Pierio mater enixa est iugo*: Ego nempe, qui non Romae, non in Italia natus sum, sed in Pieria: Et si dixit (4):

Quod si labori faveris Latium *meo*,
Plures habebit quos opponat Graeciae.

Perspicue ostendit habere semetipsum non Latinum, sed Latio externum, et advenam. Polybius contra videtur Romanus pa-

(1) V. Vavassor. de Ludier. dict. Sect. II. c. 4. Cannegiet. Dissert. Tirabosch. locis cit. Anonym. Galli in Magas. Encyclop. Tom. XXXII. p. 455. etc. (2) Libr. 1. Eleg. 7. v. 21. (3) Libr. III. Prol. v. 17. (4) Libr. II. Epil. v. 8.

patria et gente, vel saltem Italus, et propterea *ingenium* omnino *Romanum*. Nam Seneca tum Fratrum eius, tum Domus illustris, et fortasse veteris meminit: Quod minime mirum de Liberto. Nam plures ingenui homines, et vetere genere nati sein servitutem clarissimorum et potentissimorum Virorum mancipabant, ut divitias, potestatem, claritatem adipiscerentur. Quod ut uno exemplo, utpote de nota re, firmemus haec Tacitus de Pallante ipsius Claudii liberto (1): *Additum a Scipione Cornelio grates publice agendas Pallanti, quod Regibus Arcadiae ortus veterrimam nobilitatem usui publico postponeret, seque inter ministros Principis haberi sineret.* Praeterea plura exempla, quae Seneca ad eum solandum adducit, omnia ex Romanorum Annalibus factisque desumit, nec aliquid, si memini, occurrit, quod ex Graecis historiis petierit; quod omnino fecisset Seneca, si Polybius Graecus extitisset, aut advena. Quin quum Caligulae luctum perstrinxisset ipsum Polybium spectans; *Procul*, ait (2), *illud exemplum ab omni Romano viro*. Nec obstat nomen, quod miror Lipsium non vidisse (3). Tum enim Romani Liberti receptissimo more Graecis nominibus utebantur, ut ex innumeris inscriptionibus patet (4). Seneca igitur Romanos tantummodo Scriptores aut Italos spectavit: Consultoque fortasse Phaedrum ut Thracem exclusit: Unde perspicuum est iam ante tertium Claudii annum Phaedrianum opus absolvendum fuisse.

XV. Colligentes ergo unā quae de Phaedri aetate scire, vel coniicere recte possumus: optimo, ut puto, iure tenebimus Phaedrum septuagesimum circiter annum ad postrema Tiberii tempora egisse, et sub Claudii fortasse principatu fato suo functum fuisse. Tum quinquagenarium ferme extitisse ad Augusti obitum, ideoque natum circa annum Urbis DCCXX, sexto ferme Principatus Augusti. Quumque circa tertium quartumve aetatis suae lustrum Romam advenisse videatur (5), praestantiores certe Romanorum Scriptorum novisse non temere dicemus: Propertium puta, Horatium, Ovidium, Livium, Pedonem Albinovanum, Manilium, Valerium Maximum, Senecam Rhetorem aliosque doctos Viros, qui per haec tempora vixerunt: Et forte Virgilium quoque et Tibullum, qui anno Urbis DCCXXXV extincti sunt (6).

CA-

(1) Ann. XII. cap. 53. (2) Cap. 36. (3) Ad loc. cit. (4) V. Gruter. et Murator. in Thesaur. (5) Cap. III. §. 6. (6) V. Saxium in Onomast.

CAPUT III.

De conditione, et fortunâ Phaedri.

I. Phaedrum conditione antea servili, postea libertinâ fuisse in confesso est. In Pithoeano enim et Remensi Codice *Augusti libertus* inscribebatur. Sed non aeque certum inter doctos Viros adhuc fuit Octavianone, an Tiberio Phaedrus serviisset. Nam Pithoeus (1), Schottus (2), Lipsius (3), Barthius (4), Dempsterus (5), Borrichius (6), Bidermannus (7) eum Tiberii libertum dixerunt: Schefferus contra (8), Vossius (9), Walchius (10), Morhofius (11), Funccius (12), Cuperus (13), Tiraboschius (14), Desbillonius (15) Octaviani. Ego vero plane certum exploratumque habendum esse contendo Phaedrum non Tiberii, sed Octaviani libertum extitisse. Nam primum absolute et simpliciter *Augusti libertus* dicitur, nec inter Romanos Imperatores alius absolute et simpliciter *Augustus* est appellatus praeter unum Octavianum. Non inficior et ceteros Imperatores *Augustos* fuisse appellatos: Sed ingens prorsus intercedit discrimen. Nam isti Imperatores Augusti dicti sunt ratione tantummodo muneris, et ut ita dicam adiectivè, cumque ceteris nominibus suis. Unus vero Octavianus absolute Augustus dictus fuit, ei uni hoc nomen tamquam proprium et peculiare perpetuo haesit. Sic Seianus quoque apud Tacitum (16), ad Tiberium scribens eum appellat, et sic Tiberius ad Seianum rescribens. Nec pueri ignorant ubi *Augusti* nomen absolute occurrat de uno Octaviano esse omnino sumendum. Phaedrus ergo, si *Augusti libertus* absolute dicitur, utique Octaviani non Tiberii libertus fuit.

II. Et id quidem eo luculentius patebit, ubi animadvertemus Tiberium honorum et titulorum incuriosum, vel ut officii munerisque Imperatorii adiectum *Augusti* cognomentum, quod Senatus, Populusque Romanus decernere ei volebant, constantissime recusasse: unoque *Caesaris* nomine contentum rarissime, et tantum quidem ad Externos scribens, se Augustum ad ma-

(1) Epist. ad Fratr. cit. (2) Observ. Hum. libr. II. cap. 19. (3) In Cons. Senecae ad Polyb. c. 27. (4) Advers. XXXVI. c. 21. (5) Ad Antiqu. Rom. Rosin. (6) De Ieiunit. Lat. Lex. (7) In Utop. libr. I. (8) In vit. (9) De Poet. Lat. c. II. (10) In Hist. Crit. Lat. Ling. c. IX. §. 2. (11) In Polyhist. libr. IV. c. 12. §. 4. (12) De immin. Lat. Ling. senect. c. III. §. 8. (13) Observ. libr. I. c. 15. (14) Loc. cit. (15) Loc. cit. (16) Libr. IV. Ann. c. 39.

maiestatem muneris significandam appellaverit. *Intercessit* Tiberius, Svetonius scribit (1), *et quominus in Acta sua iuraretur, et ne mensis September Tiberius, October Livius vocaretur. Praenomen quoque Imperatoris, cognomenque Patris Patriae, et civicam in vestibulo coronam recusavit. Ac ne* Augusti *quidem nomen, quamquam hereditarium ullis nisi ad Reges ac Dynastas epistolis addidit*. Tum Dio ex versione Xilandri (2): *Eodem modo in aliis quoque rebus se gerebat* Tiberius. *Nam neque Dominum se ab homine libero, neque Imperatorem nisi a militibus vocari patiebatur: Patris Patriae nomen plane recusabat;* Augusti *nomen non usurpabat, neque id sibi umquam decerni concessit . . . Omnino autem Caesaris, et quandoque propter res a Germanico gestas Germanici, Principisque Senatus more antiquo nomen ipse sibi tribuebat: Saepius dicens Dominum se Servorum, Imperatorem militum, Principem ceterorum esse*. Ex quo revera factum est, quod alibi observavimus (3), unico ferme *Caesaris* cognomento penes Scriptores universos Tiberium innotuisse. Qui ergo *Augustus* absolute appellatur Tiberius certe non est. Non negaverim quasdam adhuc Inscriptiones libertorum Tiberii extare (4), in quibus hi *Augusti liberti* inscribuntur: Sed plane aequum est addi, quod praenomen vel nomen ipsius Imperatoris perpetuo sit praepositum, quod Liberti, ut omnes sciunt, quum libertatem adsecuti fuerant adsumebant. In Phaedriana autem epigraphe nil huiusmodi offenditur. Quin si et Inscriptiones sunt (5), in quibus Octaviani liberti absolute *Augusti liberti* dicuntur; evidenter iterum fit Phaedrum Octaviani non Tiberii libertum extitisse.

III Et quid, quaeso, est, quod vel minimum obstet, quin Phaedrus Octaviani libertus habeatur? Nonne is literarum amantissimus, nonne generosus, facilis, liberalis? Nonne Phaedrus a vicesimo ferme aetatis suae anno ad quinquagesimum circiter Romae eo Principe vixit? Et si Phaedrus ob ingenii praestantiam, ob liberales artes, quibus excellebat, manumittendus fuit, quid facilius Octaviano Domino, quid difficilius Tiberio Caesare? Is quidem non indoctus homo fuit, sed alienae virtutis osor, difficilis, invidi, et trucis ingenii. Grammaticis quidem interdum utebatur, sed levissimis ex caussis vel exsilio vel morte multabat (6). Nec sine indignatione profecto legi possunt, quae in peritissimum Architectum et Fa-

(1) In vit. c. 26. (2) Libr. LVII. p. 607. (3) Dissert. III. in Cod. Perott. c. 1. (4) Apud Gruter. Murator. etc. (5) Apud Murat. p. VII. etc. (6) V. Sveton. in vit. c. 56.

Fabrum unâ ignavissimâ actus invidiâ est ausus (1). Tum in libertate donandâ, utpote naturâ avarus et tenax, parcissimus fuit. *Ludis, qui ab aliquo ederentur*, scribit Svetonius (2), *rarissime interfuit, ne quid exposceretur: utique postquam Comoedum Actium coactus est manumittere*. Quae tenacitas inde etiam luculenter arguitur, quod missiones Veteranorum rarissime fecerit, ex *senio mortem*, ut idem Svetonius ait (3), *ex morte compendium captans*. Quin ipse Phaedrus tenacitatem istam versiculis illis spectavit, quos in ipsius Tiberii ore posuit:

Non multum egisti, et opera nequicquam perit:
Multo maioris alapae mecum veneunt.

Et si non pauci Tiberii Liberti, ut innuimus, occurrunt, ii sane sunt, qui Domum suam administrabant, qui negotia sua curabant, qui apud se assidue versabantur (4). Tandem si Phaedrus Maiestatis insimulatus sub Tiberio fuit, ut paullo post observabimus, utique Phaedrus Tiberii libertus non fuit. Statim enim iterum in servitutem abreptus fuisset, et ad Patroni nutum pependisset in cruce. Quae igitur vel levissima species restat, qua Tiberii libertus Phaedrus quomodocumque dici possit? Quod viginti ferme annos isto Principe vixerit? Sed quinquaginta Octaviano Caesare vixerat. Quod Tiberium eleganti et argutâ Fabellâ laudaverit? Quin inde adversum plane colligitur. Quomodo enim tam opportuna occasione beneficium libertatis non memorasset? Et si Libertum Imperatoris se praedicavit, quomodo factum Patroni sui narraturus quamdam maiorem dignitatem non captasset, se eius esse libertum professus? Quod si non fecit quum facere potuisset, et quodammodo debuisset, utique Tiberii Libertus Phaedrus non fuit. Sed nec Octaviani, inquies, se libertum dixit, quum bis de eo mentionem iniecisset. Ita quidem: Sed comparatio parum apta est. Nam de Octaviano plane obiter et aliud agens meminit, nec poterat institutam narrationem Fabulator abrumpere, ut ad libertatem suam inepte diverteret. Tum Augustus iam defunctus fuerat, et multâ verborum ac inopportunâ ambage opus erat ad eum ut Patronum suum laudandum. Et satis quidem est, quod Augusti *domum*, in quam tamen Tiberius adlectus adhuc non fuerat, *divinam* dixerit (5), qua laude maior ne excogitari quidem poterat. Phaedrus ergo non Tiberii, sed Octaviani omnino Libertus fuit.

IV.

---

(1) V. Petron. Satur. c. 51. Dion. libr. cit. p. 617. (2) In vit. c. 47. (3) Cap. 48. (4) V. Inscript. cit. Tacit. IV. Ann. c. 7. etc. (5) Libr. V. Fab. 7. v. 38.

IV. Quonam autem casu in servitutem inciderit Phaedrus; cuiusque conditionis parentibus ortus fuerit perspicue constitui nequit. Nonnulli quidem putant ex quapiam Threissâ Servâ natum, et fortasse vulgo quaesitum fuisse, quod unius Matris, non vero Patris meminisset (1). At id plane iniuria. Nam primum incredibile est, quod tanta infamia volens prudensque semetipse Phaedrus aspergere voluisset. Tum si nothus et servus natus, quomodo gentem suam memorasset, si servi nati gentem amittebant? Quomodo se Orphei et Lini civem iactasset, si neo civis, nec ingenuus Thrax? Quomodo etiam se Pieridibus quodammodo, quoad ortum, comparasset, matremque suam opposuisset, ut ita dicam, Melpomene? Quibus perspectis ego contra putaverim Phaedrum habendum esse ingenuae et liberalis originis; Quod inde etiam, mea sententia, non obscure colligitur, quod libertatem semper laudaverit, servitutem oderit, animumque ingenuissimum semper ostenderit. Nec minimum obstat, quod unius Matris meminerit. Nam quum de Natali solo, non de parentibus suis ageret, et Natale solum una mater faceret, de una matre loqui poterat. Praeterea, quum tunc arbitrarentur Pieridum Musarum quidem Matrem Pierium montem incoluisse, non Iovem Patrem, et ipse tradere voluisset se in ipso natali earum loco natum, unius Matris meminisse opus fuit. Sed si Phaedrus ingenuae fuit originis, quomodo inquies, in servitutem incidere potuit? Pluribus, inquam, modis. Potuit fieri servus iure belli, ubi quaedam pars Pierum et Thracum in Romanos rebellasset: Potuit cuiuspiam improbi hominis impotentia, ut Plato (2): Potuit, egestate et inopia cogente: Potuit libera voluntate et lubenter, ut Augustum coleret: Et ita porro. Quin potius si de Patre suo nu piam meminit Phaedrus, si de Matre tantum dicit, quod fuerit eum enixa; Quidni forte Phaedro accidit, quod C. Cilnio Melisso? Eum nempe vel expositum vel derelictum a suis fuisse; Unde ab aliquo collectus, et diligenter educatus Augusto Caesari tandem dono a studiis daretur? Haec quidem Svetonius de Melisso (3): *C. Melissus Spoleti natus ingenuus, sed ob discordiam parentum expositus, curâ et industriâ Educatoris sui altiora studia percepit, ac Mecaenati pro Grammatico muneri datus est. Cui quum se gratum et acceptum in modum amici videret, quamquam adserente Matre, permansit, tamen in statu servitutis, praesentemque conditionem verae origini anteposuit, quare cito manumissus et Augusto insinuatus est.*

V.

(1) Prolog. libr. III. v. 17. (2) Diogen. Laert. in vit. (3) De clar. Gramm. c. 21.

V. Id quidem coniecturâ tantummodo proponimus. Sed graviter semper animum meum adfecit ipsius Phaedri Fabula de Agno et Cane (1), quae tam acri et vehementi stilo conscripta est, ut nullo pacto scribi potuisse videatur, nisi ab eo qui ingratos improbosque parentes nactus fuisset. Ista quidem Fabula et in hac Perottina Epitome occurrit (2), sed ut Lectores commodius de proposita re iudicent heic modo subiungimus:

Inter capellas Agno balanti Canis
Stultè, inquit, erras; non est hîc Mater tua,
Ovesque segregatas ostendit procul.
Non illam quaero, quae quum libitum est concipit,
Dein portat onus ignotum certis mensibus,
Novissime prolapsam effundit sarcinam:
Verum illam, quae me nutrit admoto ubere,
Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.
Tamen illa potior, quae te peperit. Non ita est.
Unde illa scivit niger an albus nascerer?
Age porro parere si voluisset feminam,
Quid profecisset, quum crearer masculus?
Beneficium sane magnum natali dedit,
Ut expectarem Lanium in horas singulas.
Cuius potestas nulla in gignendo fuit,
Cur hac sit potior, quae iacentis miserita est,
Dulcemque sponte praestat benevolentiam?
Facit parentem bonitas non necessitas.

Quod si haec tam atrociter dicuntur, eaque concitatione et tumultu, ut quamdam omnino partem in eis quae scribit Phaedrus sumere videatur; si alibi profiteri visus est (3) se quandoque affectus proprios in Fabellas transtulisse: dici utique haud temere potest, ingratos eum parentes fuisse sortitum: et sese in agno, parentes in ove expressisse. Nec dici potest de una Matre in Fabellâ agi. Nam fieri secus non poterat, quum in brutis animantibus unius plerumque Matris ratio haberi possit.

VI. Ut ut autem Phaedrus in servitutem inciderit, mature certe Romam venit, neque ultra tertium quartumve aetatis suae lustrum. Nam primum nullo pacto fieri potuit, ut Thrax et Macedo, qui barbare loquebatur, tam absolutam, tam perfectam Romanae eloquentiae peritiam adsequeretur, ita Latinae

nae

(1) Libr. III. Fab. 15. (2) Libr. II. num. 17. ubi vid. adnotat. nostras. (3) Prol. libr. III. v. 36.

nae Linguae proprietatem, et venustatem exprimeret, nisi in Latinis literis, natus, ut ita dicam, eductusque fuisset. Praeterea ipsemet Phaedrus versiculum Ennii adducens (1), eum ait se *puerum* didicisse. *Pueritia* autem circa vicesimum omnino aetatis annum apud Romanos finiebatur. A. Gellius (2) ex C. Tuberone scribit Servium Tullium tres tantum aetatis gradus constituisse, et *pueros* existimasse usque ad annum decimum septimum. Ex Isidoro autem (3): et aliis Forcellinius (4): *Primus gradus vitae*, ait, *est infantia, quae dicitur tempus vitae usque ad annum septimum; ab eo anno usque ad decimumquartum, vel decimumquintum, vel etiam decimumseptimum secundum alios est* pueritia, *seu aetas puerilis*. Unde Noster *puerum* appellavit, qui iam iam virilem togam sumturus erat (5). Quin Cicero de Octaviano Caesare, qui tum decimumnonum aetatis annum agebat (6), scribit (7): Puer *egregius, praesidium sibi primum et nobis, deinde summae Reipublicae comparavit*. Quis autem dixerit Phaedrum in Pieria, parum illustri tum regione, Ennio obscurissimo et involutissimo Latinorum Poetarum operam dare potuisse? Et quamvis ponatur dari tum quamdam operam Latinis literis in Pieriā, non Ennium certe, Poetam ipsis Romanis obscurum, et quoad sermonem ferme inutilem, sed Ciceronem potius, Varronem, Catullum, Caesarem pueio Magistri explicuissent. Romae igitur *puer* Phaedrus Ennio dare operam debuit: ideoque in eam Urbem haud ultra quartum aetatis lustrum advenire. Sed nec ante tertium advenisse arbitror. Etenim si infans, vel primis pueritiae annis Romam adductus fuisset, ea nempe aetate, qua Patriam suam nosse recte non potuisset, quomodo tantum de ea gloriatus fuisset, quomodo ista iactasset, et quidem ut inde notum esset id multum ad suas literas contulisse?

Ego quem Pierio Mater enixa est iugo:
Ego literatae qui sum propior Graeciae:
Quamvis in ipsâ paene sim natus Scholâ:
Cur somno inerti deseram Patriae decus?

Qui in Patria sua aliquamdiu non vixit, qui mores eius, instituta, iura, linguām, literas ex aliqua saltem parte non didicit, de ea se iactare non potest. Nam haec vere Patriam non iste aut ille natalis locus efficiunt. Atqui Phaedrus Patriam cer-

(1) In Epil. libr. IV. v. 44. (2) X. Noct. c. 28. (3) XI. Orig. c. 2. (4) In Lex. (5) Libr. III. Fab. 10. v. 13. (6) V. Tacit. XIII. Ann. c. 6. Paterc. II. cap. 61. (7) XII. ad Famil. Epist. 25. vid. et IV. Philipp. cap. 1.

certe suam novit et dilexit, in ea igitur saltem ad decimumquartum aetatis annum mansit, Romamque venit non infans, non primis pueritiae annis, sed circa tertium quartumve aetatis suae lustrum.

VII. Qua autem fortunâ Romae Phaedrus usus fuerit, inde perspicuum est, quod uni sibi semper et literis vixerit: Quod ab officiis ambiendis, muneribus expetendis, a captanda dignitate ad quam Caesarum favor aditum certe praebebat constanter abstinuerit: Quod numquam dives fuerit, numquam inhiaverit opibus; quas imo ut periculosas, et forti viro inconvenientes est perosus (1), totoque conatu incubuit, ut et ceteri etiam contemnerent (2). Quamobrem amicum suum sic alloquebatur (3):

Phaedri libellos legere si desideras,
Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,
Ut liber animus sentiat vim carminis . . .
Verum, inquis, tanti non est ingenium tuum,
Momentum ut horae pereat officiis meis . . .
Mutandum tibi propositum est et vitae genus,
Intrare si Musarum limen cogitas . . .
Ego quem Pierio Mater enixa est iugo,
Quamvis in ipsa paene sim natus Schola,
Curamque habendi penitus corde eraserim,
Et laude invictâ vitam in hanc incubuerim,
Fastidiose tamen in coetum recipior.
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quaerit omni vigiliâ,
Docto labori dulce praeponens lucrum?

Quin videtur ita a lucro Phaedrum abhorruisse, tamque intentum literis vixisse, ut aliquando vel iis commodis eguerit, quibus facilius vitam traheret. Sic enim Mecaenatem quemdam suum alloquitur (4):

Brevitati nostrae praemium ut reddas peto,
Quod es pollicitus, exhibe vocis fidem.
Nam vita morti propior est quotidie;
Et hoc minus perveniet ad me muneris,
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, usus fiet longior,

Fruor

(1) V. libr. Fab. 1. v. 1. libr. V. Fab. 4. v. 7. (2) V. lib. I. Fab. 27. libr. II. Fab. 7. lib. IV. Fab. 11. Fab. 19. libr. V. Fab. 4. In novis Fab. 1. et XXIX. (3) Prol. libr. III. v. 1. (4) In Epilog. libr. IV. v. 8.

Fruar diutius, si celerius coepero.
Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae
Auxilio locus est. Olim senio debilem
Frustra adiuvare bonitas nitetur sua.

Ex his autem perspicuum est de quodam praemio et munere agi, quo Phaedrus senex iuvaretur, et ut omnia ostendunt sat magno et utili, quo sensim et saepe Phaedrus frueretur. Unde forte haud temere quis conticeret de quapiam villula, agellulo, suburbano rusculo agi, ex cuius reditibus commodius Phaedrus reliquum vitae absolvere potuisset.

VIII. Sed neque suus hic tenuitatis, ut ita dicam, recessus, ab invidia, calumniaque satis tutum Phaedrum praestitit. Nam plures extiterunt, qui Fabellas suas livido dente carperent, modo nempe, ut nimium breves (1), modo ut tenues et humiles (2), modo ut acres et mordaces (3), et modo aliis etiam rationibus (4). Quae sane molestiam non parvam Fabulatori crearunt, ideoque sese tueri et defendere in temerarios obtrectatores oportuit. Quin graviora insuper mala perpessus est Phedrus. Nam primum sub Seiani Tyrannide cuiusdam gravissimi criminis insimulatus fuit. Ait enim, quod superius etiam legimus:

Quod si accusator alius Seiano foret,
Si testis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.

Cuius quidem generis istud fuerit crimen perspicuum omnino non est: Valde tamen probabile videtur fuisse crimen Maiestatis. Nam si aliud erat nec de eo Seianus cognoscere poterat, nec contra in iudicio stare, nec Phaedrum etiam accusare vel postulare. Sed in Maiestatis crimine omnia unâ agere Seianus potuit. Praeterea sic Mecaenatem illum suum pergit alloqui (5):

Stultum admovere tibi preces perspexeris,
Proclivis ultro quum sit misericordia:
Saepe impetravit veniam confessus reus;
Quanto innocenti iustius debet dari?
Tuae sunt partes, fuerunt aliorum prius:
Dein simili gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac iudicio tuo,

Exce-

(1) V. libr. III Fab. 10. v. 60. (2) Libr. IV. Fab. 5. (3) Lib. III. Prol. v. 45. (4) V. lib. IV. Fab. 20. (5) Epilog. libr. IV. v.20.

Excedit animus, quem proposuit, terminum,
Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sincerae conscius,
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint requires, apparebunt tempore.
Ego quondam legi quam puer sententiam:
Palam mutire plebeio periculum est;
Dum sanitas constabit pulchre meminero.

In his autem, ut patet, de religione et fide Iudicis, deque accusatione et iudicio agitur. Quumque in uno Maiestatis crimine Delatores saepius potentes sint, nobiles, ignoti, obscuri, ut hic, ideo haud temere colligitur Seiano necato Phaedri caussam pendentem adhuc aliis Iudicibus absolvendam fuisse commissam: Vel iterum ab aliis improbis eiusdem criminis fuisse insimulatum. At quodnam singillatim fuit crimen istud? Equidem vix conücere aliquid in tanta obscuritate auderem. Desbillonius (1) et alii putant, appositum Phaedro hoc crimen fuisse, quod Tiberium et Seianum in Fabellis exagitasset. Sed nos iam ostendimus coniectionem hanc longe a veritate distare (2). Multo certe satius alii docti Viri, qui tantam invidiam ideo factam Phaedro putant, quod Germanici domum reliquias Domus Patroni sui Augusti, Romani Populi delicias, odiumque contra atrox Tiberii et Seiani coleret impensius, et qua poterat parte studioque tueretur.

IX. Quamvis vero Phaedrus in tam tenui fortunâ viveret, tamque saepe a noxiorum insolentiis innocens premeretur: magni tamen a pluribus habebatur, atque inter literatos aevi sui viros, inque *coetum* (3) clarissimorum virorum percensebatur. Quin multi sive potentes, sive docti et probi viri eum benigne foverunt, et sunt complexi, magnumque in pretium Fabellas suas habuerunt (4): Ita quidem ut aliqui ex istis verba ipsa et dicta, quae summa honoris significatio est, ad auctoritatem et ornatum orationum suarum, addito elogio, mutuarentur, inque suas chartas transferrent. Phaedrus sic quemdam ex iis alloquitur (5):

Quare, Particulo, quoniam caperis Fabulis,
Quintum libellum dum vacabit perleges . . .
Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui
Vestras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longâ iudicatis memoriâ.

Tan-

(1) Dissert. cit. pag. XI. (2) Cap. II. §. 9. (3) Prol. libr. III. v. 23. (4) V. Prologos lib. III. lib. IV. lib. V. (5) Pro. lib. V. v. 10.

Tandem sic generatim de Musa sua loquebatur Phaedrus (1):

Hoc qualecumque est Musa quod ludit mea,
Nequitia pariter laudat et Frugalitas;
Sed haec simpliciter, illa tacite irascitur.

CAPUT IV.

De moribus, studiis, et fabulis Phaedri.

I. Si verum est, ut quidem verissimum, quod initio huiusce Disputationis dicebamus, Scriptores omnes in libellis suis se, ingeniumque suum exprimere, et quodammodo expingere: dubitari cum primis nequit, quin ingenuo et libero animo Phaedrus instructus fuerit. Quam nobili enim sollicitudine incumbit ut sordidam avaritiam, propudiosam lucri cupiditatem, stultam impotentiam, humilem fraudem a mortalium cordibus evellat? Quam egregiam operam ponit, ut homines seipsos agnoscant, ingenuas virtutes complectantur, et sese ad bonarum artium industriam acuant (2)? Quam libere tandem et fortiter aequas Naturae leges et iura humanitatis tuetur et vindicat? Quin nescio an maiorem ea tempestate animi vim ostendere potuisset, si Socratis aemulus, Socratis mortem minime detrectare professus est (3):

Socratis non fugio mortem, si famam adsequar,
Et cedo invidiae, dum sic absolvar cinis.

Tum altissimi certe animi pignus et argumentum est contemtus ille divitiarum et dignitatis, quem superius ex ipsis eius verbis notavimus: Ex quibus etiam patet, potuisse ditescere, si voluisset. Nemo enim qui lucrari facile nequit, *lucrum vitasse* praedicare potest (4), nec qui ditescere non potest, quod ex *corde* suo *curam habendi penitus eraserit* (5).

II. Castigatis autem moribus, integrumque vitae Phaedrum extitisse universum etiam Fabellarum opus perspicuo est argumento. Quomodo enim mortalium errorem corrigendum (6), humanumque genus ab avaritiâ, luxuriâ, fràude, improbitate emendandum sumsisset, si ipse avarus, si ganeo, si fraudulentus, si denique improbus extitisset? Et quo pacto mortales ad Religionem maxime, et ad Pietatem omnis virtutis fundamentum, ad frugalitatem, temperantiam, iustitiam, patientiam

(1) V. Epilog. Epitom. (2) Prol. libr. II. (3) Libr. III. Fab. 9. (4) Lib. V. Fab. 4. v.8. (5) Prol. lib. III. v.21. (6) Prol. lib. II. v.2.

tiam malorum adducere studuisset, ni et ipse pius, frugalis, temperans, iustus, et patiens fuisset? Nec dici potest plures esse, qui aliud praecipiant, aliud faciant. Nam quum plures maligni et invidi homines in Phaedrum surrexissent, multaque impudenter ei, ut observavimus, obiecissent, ipseque sensim et paullatim Fabellas suas sub eorum ferme oculis conscripserit: fieri non potuit, quin ab ipsis acriter exagitaretur, si improbis et perversis moribus praeditus fuisset: Nec credibile est Phaedrum querelas omnes, si quae de suis moribus fortasse factae fuissent, potuisse silentio plane praeterire: Nec quod gravius est numquam in genuinam naturam suam, si mala fuisset, erumpere potuisse: si illud verum est (1):

Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.

Phaedrus praeterea non dubitavit de se ad Mecaenatem illum et Iudicem suum scribere (2):

Integritatis qui sincerae conscius,
A noxiorum premitur insolentiis.

Phaedrus igitur qui literis vixit, divitias et dignitatem sprevit, virtutem pietatemque mortales docuit, probus utique et integer homo fuit.

III. At inquies: Nonne frequenter quadam animi levitate se iactat, et sua gloriose extollit? Nonne interdum inimicos suos exagitat, et acrior, argutior fictis iocis eos insectatur? Nonne tandem quaedam etiam adtingit, a quibus castissimae aures abhorrent? Haec quidem vera sunt, sed minime eum malum et improbum hominem faciunt. *Vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est, qui minimis urgetur* (3). Neque est qui vel integerrimus et probissimus quum sit, per humanam conditionem interdum non labatur et fallat. Tum in Phaedro spectanda omnino est conditio temporum, in quibus ea levissima prorsus erant, vel honesta potius et aequa habebantur. Quis tum Poetarum, quis Oratorum magis etiam libere et effuse non se iactavit? Nos hac de re non pauca ad Prologum Epitomes (4) adnotavimus, plura addituri, si operae pretium fuisset: Unum modo subiicere placet, quod Aristides scilicet Graecus Rhetor, quum sese aliquantulum in quapiam oratione extulisset, ideoque se reprehensum a quibusdam finxisset, omnium ferme Veterum exemplis, Heroum puta Homericorum, Hesiodi, Sapphonis, Thucydidis, Demosthenis etc. se est tutatus

(1) Horat. I. Epist. 10. v. 24. (2) Epil. libr. IV. v. 30. (3) Horat. I. Satyr. 3. v. 78. (4) Ad. v. 15.

tus (1). Et quidem si hic de gloriâ secundum conditionem nostram loqui fas est, quis dubitaverit eam nobilem esse humani animi affectum, qui nonnisi praestantes et egregias animas ta ngat? Nam si Gloria unius virtutis, et eminentis quidem praemium esse potest, qui Gloriam affectat, vel iam nunc virtute est instructus, vel sese instruere, et exornare adlaborat. *Nullam enim virtus*, ait Cicero (2), *aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, praeter hanc laudis et* gloriae: *Qua quidem detractâ, Iudices, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo, et tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus? . . . Nunc insidet quaedam in* optimo *quoque virtus, quae noctes et dies animum gloriae stimulis concitat, atque admonet non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nostram, sed cum omni posteritate exaequanda*. Tum Xenophon (3): *Et enim mihi ea re homines ceteris animantibus videntur antecellere, quod honoris sunt appetentes . . . Honoris et* gloriae *studium neque in bestiis est, neque adeo in omnibus hominibus. Quibus vero honoris et laudis amor est ingenitus hi sunt . . . praestantiores*. Quae porro Phaedri aetate erant absolutae virtutis exempla, quae Religio praebebat, quae Poetae, quae Philosophi? Quin potius quae infanda et nequissima exempla in Tiberii aula, in aulâ Seiani, et Româ potius universâ non prostabant? Praeterea nota sunt, quae de Socrate ipso, divino, ut aiebant, homine, quique Sapientiam de Coelo devocasse scribebant (4), de Platone, de Diogene Cynico, aliisque multis (5), vel parum pia, vel parum pudica, et honesta retulerunt, quamvis isti probissimi viri et sanctissimi semper habiti fuerint. Nonne tandem Horatius homo sane qui non male audiit, etsi Civitatem emendare instituisset, gravius etiam quam Phaedrus in illis vitiis peccavit? Nam et sese gloriosius iactavit (6), et inimicos acrius exagitavit (7), et plura lascivius pertractavit.

IV. Quid vero perges, si Martialis suppar Auctor aperte et absolute Phaedrum *improbum* dixit? Scribens enim de C. Canio Rufo amico suo ait (8):

An aemulatur improbi *iocos* Phaedri?

Hic versiculus mire revera torsit Interpretes, qui propterea in diversa abierunt. Farnabius aiebat (9) hic non de Phaedro Fabulatore agi, probo certe homine, sed de alio quovis Mimogra-

(1) Tom. III. Orat. 5. (2) Pro Archia c. 11. (3) In Tyranno. (4) Cicero V. Tusc. c. 6. (5) V. Diogen. Laert. in vit. Philosophor. (6) V. II. Od. 20. III. Od. 30. etc. (7) V. Epod. IV. VI. X. etc. (8) Libr. III. Epigr. 20. v 5. (9) Ad hunc loc. Martial.

grapho, et Ioculario. Brotierius (1) cum ceteris omnibus doctis Viris sentiens, Martialem nempe Phaedrum nostrum spectasse, contendebat hoc Martialis iudicium ne minimum quidem morari nos posse, utpote notissimae dicacitatis hominis, et *sine fine mordacis* (2), et Tyrannorum adulatoris. Rigaltius (3), Pagenstecherus (4), Anonymus Gallus (5), et alii Phaedrum dici putant *improbum*, quod improbula, et lasciva quaedam adtigerit. Desbillonius tandem (6), et alii arbitrantur ideo Phaedrum appellatum fuisse *improbum*, quod *callidus* et *vafer* in Fabellis conscribendis fuisset. Sed age videamus, si licet, quid tenendum sit. Et primum Farnabii opinio probari nequit: Nam nullo fundamento innititur, et iure prorsus docti Viri tenent Phaedrum de quo loquitur Martialis, ipsum esse Fabulatorem nostrum, qui haud plurimis annis ante *iocos* sive fabellas conscripserat (7). Nec illa Brotierii: quae indigna etiam docto et moderato Viro videtur. Haudquaquam enim tam impudenter mendax Martialis esse potuit, in re praesertim ex qua nec timere quidpiam, nec sperare poterat. Praeterea quis non videt Martialem adduxisse *Iocos* Phaedri ad laudem et ad honorem, non quidem ad iniuriam et contumeliam, ut recte etiam animadvertit Anonymus (8)? Totus enim locus is est:

Dic, Musa, quid agat Canius meus Rufus?
Utrumne chartis tradit ille victuris
Legenda temporum acta Claudianorum,
An quae Neroni falsus adstruit Scriptor?
An aemulatur improbi iocos Phaedri?
Lascivus Elegis, an severus Herois?
An in cothurnis horridus Sophocleis?

Haud ergo *improbus* in Martialis versiculo esse potest malus et nequam. Nec Martialis improbum et nequam hominem imitandum amico suo proponere poterat, vel fingere quod is improbum aemularetur.

V. Non negaverim lasciviores homines, quique facile nequitias appetunt *improbos* interdum appellari: Minime vero hoc sensu in Martialis versiculo vox sumi potest. Nam primum quis putaverit Martialem lascivum et mollem hominem, lascivum appellasse Phaedrum, qui vix paucula adtigit nequitiis suis longe leviora? Tum si Phaedrus lascivus diceretur ob lascivos iocos, et iam antea

(1) Praf in Phaedr. suum. (2) Sidon Apoll. Carm. IX. ad v. 264. (3) Ad Fab. 13. lib. IV. (4) In vit. Phaedr. (5) V. Magasin. de M. Millin. Tom. XXXII. p. 457. (6) Disput. cit. p. XVIII. (7) V. nostr. I. Dissert. de Auct. Fabell. nov. cap. 1. §. 11. (8) Loc. cit.

tea Catullus dixerat, saepe Poetas castos esse et pios, quamvis eorum versiculi essent *molliculi*, *et parum pudici* (1): Et ipsemet Martialis canebat (2): *Lasciva est nobis pagina*, *vita proba*: Utique is scribere debebat *improbos iocos* Phaedri, non iocos *improbi Phaedri*, si vocem hac sententiâ usurpasset. Tertio ad laudem, ut vidimus, Martialis Phaedrum adducit; at obscenus homo appellari quispiam ad laudem non potest. Quarto ut quis absolute lascivus Poeta vocetur, opus plane est, ut pleraque suorum Poematum sint lasciva. Atqui duo tresve extant sive fabellae sive fragmenta Phaedri, in quibus quaedam obscenitas offendatur: Et quamvis ponas tres alias, quatuor, et decem etiam fabellas huiusmodi excidisse, quod nemo fortasse concesserit, quid iste exiguus numerus est prae ceteris universis fabellis? Quinto si C. Canius aemularetur lascivos iocos Phaedri, quomodo iterum lascivos Elegos scribere fingeretur? Id ut quisque videt, parum apte. Tandem ille Scriptor lascivus dicitur, non qui lasciva quomodocumque adtingit; sed qui in nequitiis sese oblectat, qui datâ operâ in eis commoratur, eas exornat et narrat ad aurium voluptatem. Saepe quidem Medici, et qui Christianam Ethicen profitentur de turpibus et obscenis rebus uberius agunt; itane vero propterea lascivi et obsceni Scriptores dici possunt? At recte contra dicuntur Catullus, Propertius, Ovidius, Petronius, Martialis, quia suas aliorumque nequitias non doctrinae gratiâ, non cuiuscumque eruditionis caussâ narrant, sed plane ad improbam voluptatem. Atqui Phaedrus haudquaquam, ut isti Poetae, turpiuscula illa adtigit; sed omnino ut obscenitatis caussam aperiret, ut ea aetate, qua vulgatissimae prorsus huiusmodi essent nequitiae *pravum gaudium*, ut caste vocat (3), homines moniti vitassent. Phaedrus igitur ne ob illa quidem turpiuscula lascivus et propterea *improbus* dici poterat.

VI. Sed *improbus* saepe Latinis est vafer, versutus, audax, qui fallere videtur, et dolose quodammodo agere, etsi ceteroquin probus et integer (4) Quis autem nescit plura Phaedrum in Fabellis suis vafre obvolvisse? Quis ignorat affectus suos in eas transtulisse, ita tamen ut astutissime calumniam eluderet, neque intelligeretur nisi ab aeque astutis et doctis Viris? Ita quidem ipsemet de Fabellis suis loquitur (5):

Non

(1) Carm. XVI. v. 8. (2) Libr. I. Epigr. 5. v. 8. (3) Lib. IV. Fab. 14. (4) Vid. Virgil. Aen. XI. v. 512. Statium VI. Theb. v. 804. I. Silv. 2. v. 74. Martial. lib. XIV. Epigr. 16. Iuvenal. Satyr. III. v. 282. Satyr. V. v. 71. Lucil. apud Nonium cap. IV. n. 250. (5) Prolog. lib. IV. v. 5.

Non semper ea sunt quae videntur, decipit
Frons prima multos, rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.

Et re quidem vera vel tum plures erant, qui intimam Fabellarum suarum sententiam non capiebant: unde in eos et Fabellam ipse conscripsit (1). Nec dubitari potest quin hâc sententiâ vafer et dolosus quodammodo dici Phaedrus possit, qui blandâ saepe fabellâ, quave simpliciter quidpiam narrare videtur, nescio quid grave, arduum, et magnum obvolvit, quo plures decipiuntur. En ergo Phaedri *improbitatem*, de qua loquitur Martialis: En calliditatem, qua Phaedrus laudatur, et evidenter etiam designatur. En tandem, ut hoc sensu scitissime Martialis non *improbos iocos* scripsit, sed *iocos improbi Phaedri*. Nam ipsi ioci sive Fabellae simplices, apertae, candidae videbantur, sed Auctor astutus erat, et improbulus, non modo quod ad alia et difficilia significanda eas destinabat, sed quod lectores ea specie detentos saepius falleret, magnoque ingenii acumine et sollertia opus esset, ut eius mens deprehenderetur. Castigati ergo moris, vitaeque integer, quod dicebamus, Phaedrus fuit.

VII. Animus autem ingenuus, malisque artibus vacuus, cupiditas gloriae, et fortasse obnoxia servitus Phaedrum a teneris usque unguiculis literarum studio manciparunt. Nam gloriatus est se in ipsa Musarum, et Artium patria, in ipsa paene Schola, inter ipsas literas in lucem editum fuisse. Et quamvis haec ad natale solum suum aperiendum potissimum dixisset, ut vidimus, nullo pacto dubitari potest, quin et maturam quoque suam in literis institutionem significasset. Nam secus gloriatio illa ineptior et vana esset, quum praesertim vix ad tertium quartumve aetatis lustrum moratus in Patria videatur. Praeterea iam vidimus eum puerum et peradolescentulum dedisse operam Ennio omnium ferme Latinorum Poetarum obscurissimo. Unde licet coniicere iam tum Romanae linguae, et Literarum Latinarum prudentiam fuisse adsecutum. Et si Phaedrus iam senex ad Romanum Civem scribebat se inter literas natum *invicta laude* in vitam istam literarum incubuisse (2): Ubique vita eius in literarum studio insumta fuit. Quapropter non temere colligitur omni eum bona et liberali arte imbutum fuisse. Et re quidem vera Graecis literis eruditum fuisse demonstratione non indiget, quum Graecas fabellas expoliverit, et exornaverit. Tum partem quamdam Fabellae sextae Libri quarti

(1) 12. Libri III. (2) Pros. lib. III. v. 22.

ti non ex Ennio (1), sed ex ipso Euripide (2) dubio procul est mutuatus, et quam sane venustius et elegantius fecit, quam Ennius. Nec dici potest Graecum sermonem fuisse Phaedro ab infantia familiarem. Nam nec Macedones nec Thraces Graece loquebantur (3). Marte igitur suo Phaedrus tum Graecis, tum Latinis literis insignem operam dedit. Ethicis porro disciplinis, quibus hominis natura altius investigatur, et latius explicatur plurimum incubuisse Fabellarum opus prodit. Tum Philosophiae Socraticae, Stoicaeque nobilissimis tum et illustrissimis nomen dedisse, quae superius de vitae suae tenore diximus, quaeque de Iove, de Fato, de Poenis Tartari, aliisque huius modi (4) eloquitur, clarissime evincunt. Quin insuper in naturalium rerum notitiis eum non leviter fuisse versatum nonnulla indicant (5) et plura etiam (6) in Iurisprudentia, atque in Civili Iure sat prudentem et doctum ostendunt.

VIII. His autem praesidiis Phaedrus instructus ad magnum et difficillimum Fabellarum opus, ipse primus inter Latinos Scriptores, ut alibi ostendimus (7), manum admovit: unusque simul et adgredi, et perficere visus est. Etenim potioribus omnibus Aesopi Fabellis, quae ad ingentem numerum abibant, expolitis, plurimas etiam a se proprio marte confectas adiecit, ut nos etiam observavimus; ita ut Fabellarum eius libelli, qui vulgo versantur, quaedam potius Epitome absoluti operis dicendi sint (8). Quanto autem ingenio, quanta solertia, et dignitate id confecerit Phaedrus, qui paullum in praestantium Scriptorum lectione versatus est nullo negotio pervidet. Quam scite materiam vel invenit, vel eligit; ut egregie personarum characteres servat, ingenium, indolem! Ut suaviter narrat, et leniter exponit. Quod adeo magis mirum, quod omni conatu et pretio brevitatem, qua saepe Scriptores involuti et obscuri fiunt, sectari voluerit (9): Scripturaeque genus, quo humilius eo difficilius sit, quo tenuius, eo maiorem curam et industriam exposulet. Ubique ferme est, quo Fabulator offendere possit, quod verisimilitudinem corrumpat, quod in decorum

---

(1) V. Auctor. Rhetor. ad Herenn. lib. II. c. 22. et Ciceron. de Invent. libr. I. c. 49. (2) Ex Medea Scen. 1. (3) V. Strabon. lib. VI. p. 687. Athenaeum Deipn. libr. III. c. 33. Curtium lib. VI. c. 18. (4) V. Lib. II. Epil. v. 8. Libr. IV. Fab. 10. v. 19. Fab. 19. v. 25. lib. V. Fab. 6. v. 5. Fab. II. et VI. ex novis, etc. (5) Lib. III. Fab. 3. 15. etc. (6) V. Lib. I. Fab. 10. 16. 17. libr. III. Fab. 10. 13. lib. IV. Fab. 4. etc. (7) Dissert. 1. de Auct. Fabell. nov. c. 1. §. 1. etc. (8) V. Dissert. cit. cap. II. §. 6. (9) V. Libr. IV. Fab. 25. lib. V. Fab. 6. ad Partic. lib. II. Prol. v. 12.

rum et decens peccet. Phaedrianae porro sententiae, quae fabellis praeponuntur vel adnectuntur quam verae sunt, quam congruentes, quam solertes saepe, et sublimes. Et quam exquisite tandem omnia exposita, et limata sunt, quam diligenter ad aequissimam normam exacta. Quapropter iure ipsemet opus suum *laborem, curam, studium* appellavit (1), nec dubitavit profiteri eas *arte* fuisse *fictas* (2), *manusque suas*, quae tantum Aesopus inceperat *perfecisse* (3). Et proinde haud iniuria doctus quidam Vir affirmavit eum esse in re sua Phaedrum, qui in sua Virgilius et Horatius extiterunt.

IX. De stilo vero Fabellarum Phaedri, de elegantia et puritate Latini sermonis, qua conscriptae sunt, non est quod hic loquar. Id enim iamdiu occupatum ab aliis fuit, nec pauca etiam ipsi alibi de ista re adtigimus (4). Tota profecto doctissimorum Virorum cohors Phaedri fabulas altissimis laudibus exornarunt, dignasque repererunt Augustaeo seculo. Vavassorus (5), Rittershusius (6), Barthius (7), Brietius (8), Lipsius (9), Faber (10), Morhofius (11), Bailletus (12), Gallosius (13), Baylius (14), Brouckhusius (15), S. Aubinus (16) de Phaedriani stili elegantia et puritate sunt multi. Extitere satis nonnulli, quibus Phaedri stilus sordeit, sed quandonam istis inepti et depravati iudicii hominibus caruimus? Si Cicero, si Livius, si Virgilius non paucis barbari et soloeci visi sunt, quid mirum si uni aut alteri Phaedrus non se probaverit? Sed id etiam occupavimus, et fortasse iam fecimus satis (17). Dicendum vero de aliis est, qui sin minus cum his senserunt, Phaedri tamen stilum ut minime semper purum et elegantem reprehenderunt. Eorum instar sit Walchius multi inter Criticos nominis, qui de Phaedro singillatim loquens, hoc iudicium protulit (18): *Stilus Phaedri humilis et mediocris, non ubique castus, et purus . . . Nam habet nonnullas voces, et compositiones, quae non sunt imitandae: Exempli gratia* Reliquia,

---

(1) Epil. lib. II. (2) Loc. cit. v. 13. (3) Lib. IV. Fab. 20. v. 8. (4) Dissert. I. de Auct. Fab. nov. cap. I. §. 13. (5) De ludicr. dict. Sect. II. c. 4. (6) Epist. ad Camerar. Phaedr. suo praef. (7) Advers. XLVIII. c. 20. XXXV. c. 21. (8) De Poet. Latinis. (9) In Senec. Consol. ad Polyb. c. 27. (10) Praef. in Phaedr. suum. (11) De Patavin. Livian. cap. XII. (12) Iugem. des Savans T. IV. p. 147. (13) Iournal. des Savans Fevr. 1665. (14) Diction. voc. Phedre. (15) In Tibull. I. Eleg. 5. v. 13. (16) Traduct. de trois Comedies de Terenc. (17) Dissert. cit. cap. I. (18) In Hist. Critic. Latin. Lingu. c. IX. §. 2.

vero addere quod *vulturius* pro *vulture* parum Latinum dixerit. Nam *vulturius* usurpavit Plautus (1), usurpavit Lucretius (2), usurpavit Catullus (3), usurpavit ipse Cicero (4).

XII. Equidem cum Walchio sentirem si Phaedrus *fauce improba* pro *magno clamore* usurpasset. At quis non videt *improba fauce* esse ibi *fame improba*, profunda gula, ut Svetonii voce (5) utar, et propterea Walchium inepte et perverse Fabulatorem interpretari? Quid enim *fauces* cum voce, quid *improbae*; quid ea in Fabella clamor et magnus: scilicet ut Pastores et Rustici accurrerent? Quid tandem *incitatus*? Ipse sane Christius (6), quum diu super ista voce se torsisset rectam et veterem tandem fateri coactus fuit, nec adoptare dubitavit, scribens *fauce scelesta*, vim tamen et venustatem τῦ *improba* nec ipse capiens? Quid porro *laniger* pro agno etiam insolens et parum latinum? Sed Accius apud Ciceronem (7) scripsit *lanigerum pecus*: Plinius (8) *lanigerae arbores*: Virgilius (9) *lanigeri greges*. Quin absolute *laniger* pro ariete, qui est agnus maior, usurpavit Ovidius (10); et omnino passim Manilius (11). De *onere* autem pro *foetu* diximus ad hunc locum in Epitome (12). Et neminem fore puto, qui tam honestam et opportunam vocem in Fabulatoris potissimum loco non laudet. Sed *dare letho* quis rectum dixerit et Latinum? Scilicet, nam ea voce usus est Ovidius (13), usus est Virgilius (14), usus est Cicero (15). A reliquis autem minoribus Criticis abstinemus: Nam plures praestantissimi Interpretes iam Phaedrum in eos vindicarunt, nosque spicilegium in Commentario, ut potuimus, fecimus.

XIII. Iure igitur ob tantam ingenii artisque praestantiam, ob tantam sermonis venustatem est factum, ut Phaedri Fabulae maximopere apud omnes probarentur, earumque Auctor inter praecipuos Latinos Scriptores accenseretur, maximusque Fabulator tum Veterum, tum recentiorum haberetur. Ex Veteribus quidem unus fortasse Babrius Phaedro opponi potuisset, sed vix paucissima de eo fragmenta supersunt, quae haud satis sunt, ut absolutum judicium ferre possimus. Quis autem

---

(1) Trucul. II. 3. v. 16. (2) Lib. IV. v. 680. (3) Carm. LXVII. v. 124. (4) In Pison. c. 16. (5) In Vitell. c. 13. (6) In Fabulis veter. Aesop. p. 10. e 97. (7) I. de Divin. c. 22. (8) Lib. XII. c. 10. (9) III. Georg. v. 287. (10) VII. Metam. v. 312. (11) Lib. I. Astr. v. 672. II. v. 34. 178. 210. 228. 405. 424. 550. 556. 610. 619. etc. etc. (12) Lib. II. Fab. 17. v. 5. (13) II. Epist. Her. sub fin. (14) I. Aen. v. 806. (15) II. de Leg. c. 9.

tem Aesopum, ut vocant, Gabriam, Aphthonium, ceterosque eum Phaedro contulerit? Fabulae quae Aesopi dicuntur materiâ quidem satis sese commendant, haud vero ingenio, solertiâ, et leporibus Auctoris sui, ut recte etiam animadvertebat doctissimus de Batteaux (1). Ex recentioribus vero plures ex Italis, Gallis, Anglis, Hispanis Aesopias Fabulas tentarunt, et multi ex eis et solerter et venuste. Sed nemo adhuc extitit, qui Phaedro praeferri, vel plane ex aequo componi possit. Galli quidem de suo de la Fontaine merito gloriantur, quumque ut optimum Fabulatorem praedicant recte faciunt: Sed eos Patriae amor transversos agit, quum eum Phaedro omnino et absolute praeponunt (2). Id equidem statueram pluribus persequi. Sed quum verbo tantummodo Fabulatorem suum praestare affirmaverint, non vero ostenderint, haud fuisset opportunus animadversionibus nostris locus. Uti tamen aliquis ex eis rectam comparationem inter fabellas unâ a Phaedro et Fontaine conscriptas instituens has praestare plane contenderit: nos contra ostendere conabimur in his ipsis Fabellis Fontaine omnino esse Phaedro minorem.

XIV. Sed nostrum modo propositum exsequamur, deque MSS. Phaedri Codicibus, deque praecipuis Fabellarum eius Editoribus et Interpretibus nonnulla hic delibemus. Id enim satis superque iam praestiterunt Fabricius (3), Brotierius (4), Desbillonius (5), Anonymus Gallus (6), aliique plures: nosque ipsi alibi (7) ex parte occupavimus. Quatuor igitur omnino Phaedri MSS. hactenus innotuerunt: Primum nempe Pithoeanum a Francisco Pithoeo annô 1595 vel 96 repertum, vel comparatum: Alterum isti per omnia ferme simile a Iacobo Sirmondo circa annum 1610 ex Remensi Bibliothecâ depromtum: Tertium a Petro Daniele Aurelio habitum, sed solas duas priores Fabularum libri partes continens: Quartum tandem MS. Nicolai Perotti Archiepiscopi Sipontini duas et triginta fabulas notas, totidem novas habens. Ex quibus tamen Codicibus duo modo tantum extare dicuntur: Danielianum nempe, et Perottinum; quorum illud usque ad praeteritos annos in Vaticana Bibliotheca asservatum nunc in Parisiensem fer-

(1) Corso di belle Lettere. Part. II. Sez. I. Art. I. §. 3. (2) La Harpe Lycée Tom. II. cap. VIII. Sect. 2. p. 129. Le chev. de Jaucourt Encyclop. Art. Fabl. etc. (3) Biblioth. Latin. cum Ernest. lib. II. c. 3. (4) Praefat. in Phaedr. suum. (5) Disput. II et III. in Phaedr. suum. (6) Magas. de M. Mill. Tom. XXXII. p. 440. (7) Dissert. I. in Codic. §. 12.

fortasse est inlatum: istud in Regiâ hac Bibliothecâ, qua par est diligentiâ, custoditur. Sed Remense iam ab anno 1774 incendio periit: Pithoeanum vero post viginti ferme annos, Bibliothecâ Domini sui expilatâ et disiectâ amplius non apparuit. Quoad aetatem autem horum MSS. explorata plane res est Pithoeanum et Remense circa IX vel X Aerae nostrae seculum fuisse descripta: et circa XI vel XII Danielianum: Perottinum tandem circa annum 1470. Tum enim iam adoleverat Pyrrhus Perottus Nicolai nepos (1), in cuius pueri gratiam Epitomen illam Fabellarum Patruus (anno 1480 (2) defunctus) conscripserat. Nonnulli porro et Divionense MS. praedicant, ex quo quinque illas Fabulas concinnavit Gudius, quae passim Paedri Fabulis solent adiici. Sed iniuria. Nam MS. ineptiorem quamdam Phaedrianarum fabularum interpretationem, non Fabulas ipsas habebat. Primus autem qui Phaedri Fabulas edidit Petrus Pithoeus fuit Francisci frater Septembri mense 1596. Sed is nudum Auctoris textum, et parum quidem emendatum vulgavit. Ideo illico Conradus Rittershusius, et Caspar Scioppius in illustrando Fabulatore operam suam praestiterunt: quorum adnotationes Franciscus Raphelengius Plantinianis typis anno 1598 edidit. Accessit anno sequenti Nicolaus Rigaltius, qui porro anno 1617 longe praestantiorem Phaedri editionem emisit, tum Pithoeano tum Remensi Codice diligenter collatis, et aliam anno 1630: Circa quos annos in Phaedro edendo illustrandoque studium etiam suum collocarunt Ioannes Meursius, Isaacus Neveletus, D. Albinus. Tum multo plures deinceps, inter quos peculiari mentione digni sunt: Tanaquillus Faber, Henricus Ursinus, Nicolaus Heinsius, Ludovicus Praschius, Ioannes Schefferus, I. Fridericus Gronovius. Et ineunte seculo XVIII, Marquardus Gudius, Georgius Walchius, David Hoogstratanus, Richardus Bentleius, Petrus Burmannus. Denique reperto Perottino MS. in emendandis maxime edendisque Phaedri fabulis incubuerunt Natalis Stephanus Sanadonus, Stephanus Andreas Philippe, Gabriel Brotierius, G. C. Crolius, Iosephus Desbillonius, et Vitus Iuvenatius noster, cuius nonnullas in Phaedrum adnotationes in Variantibus dedimus. Et haec ad rem nostram dicta sint satis.

(1) V. Praefat. Pyrrhi Perotti in Cornucop. circa annum 1475. confectam. (2) V. Zenum Dissert. Voss. c. 47.

INDEX

FABULARUM EPITOMES.

LIBER PRIMUS

FABELLAE NOVAE.

LI.

LIBER ALTER

FABELLAE VETERES.

FABELLARUM PHAEDRI EPITOME.

PROLOGUS (*).

AEsopi ingenio (1) statuam posuere Attici,

Ser-

(*) Hoc Carmen in vulgatis Phaedri libris, ut libri secundi Epilogus passim occurrit. Attamen, qui illud attente perleget in Prologum potius, quam in Epilogum ab Auctore suo constitutum fuisse fatebitur. Et quoniam exploratum est plurimas Phaedri fabulas, integrosque fortasse libellos fuisse deperditos, quod nos Prolegomenis in Perottinum Codicem Dissert. II. cap. 2. pluribus observavimus; tum aeque certum nec in veteribus Codicibus, nec in prioribus Editionibus Carmen hoc ut Epilogum notatum fuisse ac inscriptum: haud temere coniicitur in Prologum aliarum a vulgaris fabularum Phaedrum forte illud conscripsisse. Quod profecto eo plus ponderis habiturum puto, quod sagacissimi ingenii Vir Gabriel Brotierius iam ostenderit passim Prologos Epilogosque Phaedri inversos fuisse et translatos. Ideo arbitramur aequi bonique consulturum esse prudentem Lectorem, quod nos pulcherrimos hosce versiculos ad istam Epitomen in Prologum constituerimus, novisque etiam Fabellis praefixerimus.

(1) *Aesopi ingenio*. Hanc esse genuinam Phaedri lectionem non *Aesopo ingentem*, ut vulgo legitur, omnino exploratum haberi potest. Praeter enim auctoritatem Codicis nostri, et ex parte etiam Pithoeani et Remensis, haec una lectio veram sinceramque Auctoris sententiam probat. Nam palam est haud eam fuisse Fabulatori mentem, ut Aesopo absolute et simpliciter positam ab Atheniensibus statuam fuisse scriberet, sed Aesopo omnino ob ingenium, Aesopo ratione praestantis, solertis, excellentis ingenii, scilicet *ingenio Aesopi*. Et dubio procul quemadmodum in tertio versiculo *genus* Aesopi servitutem spectat, ita *virtus* non totum Aesopum, si ita loqui fas est, sed eius tantummodo ingenium spectare debet. Franciscus Hare Epist. Critic. in Bentleii notas ad Phaedr. et Iosephus Desbillonius dubitarunt an bene latina locutio esset: *ingenio alicuius statuam ponere*, idque *nul-*

lo

Servumque (2) collocarunt aeterna in basi,
Patere honori (3) scirent ut cuncti (4) viam,
Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.

5 Quo-

lo exemplo dici autumarunt. Verum quomodo neuter in ipso Phaedro Prolog. lib. III. v. 53. non legit:

Aeternam famam condere ingenio suo:

ubi *ingenio suo*, ut palam est, non auferendi, sed dandi est casus, et *condere famam* ipsum fere est, ac *ponere statuam*? Nonne Ovidius III. Trist. Eleg. X. v. 50. scripsit:

Da, precor, ingenio praemia digna meo?

Sed hac de re iam alii egerunt. Vid. Burmann. in Comment. nov. etc.

(2) *Servumque*. Nempe ipsum Aesopum, qui servus fuit, ut Veteres omnes testantur. Herodotus in Euterp. Plinius lib. XXXVI. c. 12. aliique plures. Id autem haud otiose a Phaedro dictum est, sed ut luculentius ostenderet quodnam esset ingenii pretium, quantumque valerent literae: Servi enim plane res, non personae Veteribus erant, nullaque prorsus erat eorum in civitate ratio.

(3) *Patere honori viam*. Nempe ad honorem, ad obtinendam gloriam. Sic Livius lib. XXVII. c. 18, *Patere viam fugae* dixit, scilicet ad fugam, ad capessendam fugam. Quamobrem lectio Codicis nostri vulgatae praeferenda est, quae habet *honoris*.

(4) *Scirent ut cuncti*. Hanc Codicis nostri lectionem plures eruditissimi Critici antea coniectura probarunt, vel postea eo detecto receperunt. Alii vero legere maluerunt *cunctis*, quod nescio an alicuius MS. Codicis fide nitatur: Interque eos ita plane legendum esse Burmannus in Comm. novo contendit: Ait enim positam Aesopo statuam, non ut *cuncti* scirent patere viam honori, sed patere *cunctis*, tum *scirent* absolute sumi recte posse, ut exempla aliorum Scriptorum docent. Sed haec parvi momenti sunt. Nam verum quidem est non raro verba in tertia persona plurali, ut Grammatici loquuntur, absolute poni, id tamen fit ubi nulla surgit ambiguitas, et sententia clarissima est. Hic autem haud perspicue Lector videt τῷ *scirent* subesse *homines*, atque statim sunt *collocarunt*, et *Attici*. Praeterea quum legimus: *ut cuncti scirent patere viam honori*: quis non videt eamdem sententiam, quam Burmannus malebat his verbis praeseferri? *Patere* quum absolute ponitur, idem est ac omnibus, cunctis patere, ut nemo non videt, secus enim absolute *patere* dici non posset. Sic Sallustius Bell. Catil. c. X. *Cuncta maria, terraeque patebant*. Virgilius VI. Aen. v. 127.

Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.

Aliique passim. Quin quomodo non vidit Burmannus facillime in lectione nostra subintelligi *sibi*, quod hic est ipsum *cunctis*? Id quidem commentario non eget.

(5) Al-

Quoniam occupârat alter (5), ne primus forem (6),
Ne solus esset studui, quod superfuit (7):
Neque haec invidia, verum est aemulatio (8).
Quod si labori faverit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Graeciae (9).

Si

(5) *Alter*. Nempe Aesopus. Nicolaus Heinsius ad Ovid. IV. de Pont. Eleg. XVI. v. 30. C. Cilnium Melissum Mecaenatis libertum non Aesopum intelligebat. Sed nos iam Prolegom. in Perottin. Codic. Dissert. II. c. 1. coniectionem doctissimi ceteroquin viri longe a veritate distare pluribus ostendimus.

(6) *Ne primus forem*. Ne ego Phaedrus primus omnino essem in confingendis ac conscribendis fabellis.

(7) *Quod superfuit*. Supple *mihi*: quod mihi scilicet reliquum fuit, quod unum ego potui. Sic Virgilius Aen. V. v. 69.

Vel tu quod superest, *infesto fulmine morti,*
Si mereor, demitte.

Ovidius XIX. Epist. Heroid. v. 16. *Quod superest facio*. Et Martialis lib. VIII. Epigr. 63.

Quod superest *iterum, Cinname, tonsor eris.*

Sensus autem totius versiculi est. Nam quum Aesopus me in confingendis fabellis anteverrisset, quod unum mihi restabat, dedi operam ne Aesopus unicus solusque esset Fabulator, sed ego secundus ab illo dicerer.

(8) *Aemulatio*. *Dupliciter aemulatio dicitur*, ait Cicero IV. Tuscul. quaest. c. 4., *ut et in laude, et in vitio nomen hoc sit. Nam et imitatio virtutis aemulatio dicitur, et est aemulatio aegritudo, si eo, quod quis concupierit, alius potiatur, ipse careat.* Hic autem *aemulatio* quum invidiae opponatur nobilis omnino et generosa animi virtus est, qua ad imitandum ex alio, et veluti effingendum virtutem ferimur. Sic apud Cornel. Nepotem in vir. Attic. c. 5. *Efficiebat ut inter quos tantae laudis esset* aemulatio, *nulla intercederet obtrectatio*. Phaedri igitur aemulatio est generosus conatus imitandi Aesopi, et quidem eo pacto, ut qui inter Graecos Aesopus, ipse inter Latinos haberetur.

(9) *Quos opponat Graeciae*. Graeci quibus revera *ingenium, oreque rotundo loqui Musa dederat*, ut ait Horatius in Art. Poetic. v. 323. quique *intulerant artes agresti Latio*, ut idem scribit lib. II. Epist. 1. v. 156. maximi semper quoad literas a Latinis sunt facti, dinque, ut summi plane scriptores, extraque omnem comparationem positi fuerunt habiti. Attamen ubi Romana ingenia pro dignitate exculta sunt, Latinusque sermo copiam et maiestatem suam adeptus fuit, quum Graeca gens literariae suae gloriae esset plane insolens (Cestius Pius apud Senec. Suasor. VII.), in suam laudem effusissima (Plin. lib. III. Hist. c. 5.), in alie-

* nam

tus (1). Et quidem si hic de gloriâ secundum conditionem nostram loqui fas est, quis dubitaverit eam nobilem esse humani animi affectum, qui nonnisi praestantes et egregias animas ta ngat? Nam si Gloria unius virtutis, et eminentis quidem praemium esse potest, qui Gloriam affectat, vel iam nunc virtute est instructus, vel sese instruere, et exornare adlaborat. *Nullam enim virtus*, ait Cicero (2), *aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, praeter hanc laudis et* gloriae: *Qua quidem detractâ, Iudices, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo, et tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus? . . . Nunc insidet quaedam in* optimo *quoque virtus, quae noctes et dies animum gloriae stimulis concitat, atque admonet non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nostram, sed cum omni posteritate exaequanda.* Tum Xenophon (3): *Et enim mihi ea re homines ceteris animantibus videntur antecellere, quod honoris sunt appetentes . . . Honoris et gloriae studium neque in bestiis est, neque adeo in omnibus hominibus. Quibus vero honoris et laudis amor est ingenitus hi sunt . . . praestantiores.* Quae porro Phaedri aetate erant absolutae virtutis exempla, quae Religio praebebat, quae Poetae, quae Philosophi? Quin potius quae infanda et nequissima exempla in Tiberii aula, in aulâ Seiani, et Româ potius universâ non prostabant? Praetereà nota sunt, quae de Socrate ipso, divino, ut aiebant, homine, quique Sapientiam de Coelo devocasse scribebant (4), de Platone, de Diogene Cynico, aliisque multis (5), vel parum pia, vel parum pudica, et honesta retulerunt, quamvis isti probissimi viri et sanctissimi semper habiti fuerint. Nonne tandem Horatius homo sane qui non male audiit, etsi Civitatem emendare instituisset, gravius etiam quam Phaedrus in illis vitiis peccavit? Nam et sese gloriosius iactavit (6), et inimicos acrius exagitavit (7), et plura lascivius pertractavit.

IV. Quid vero perges, si Martialis suppar Auctor aperte et absolute Phaedrum *improbum* dixit? Scribens enim de C. Canio Rufo amico suo ait (8):

An aemulatur improbi *iocos* Phaedri?

Hic versiculus mire revera torsit Interpretes, qui propterea in diversa abierunt. Farnabius aiebat (9) hic non de Phaedro Fabulatore agi, probo certe homine, sed de alio quovis Mimogra-

(1) Tom. III. Orat. 5. (2) Pro Archia c. 11. (3) In Tyranno. (4) Cicero V. Tusc. c. 6. (5) V. Diogen. Laert. in vit. Philosophor. (6) V. II. Od. 20. III. Od. 30. etc. (7) V. Epod. IV. VI. X. etc. (8) Libr. III. Epigr. 20. v 5. (9) Ad hunc loc. Martial.

grapho, et Ioculario. Brotierius (1) cum ceteris omnibus doctis Viris sentiens, Martialem nempe Phaedrum nostrum spectasse, contendebat hoc Martialis iudicium ne minimum quidem morari nos posse, utpote notissimae dicacitatis hominis, et *sine fine mordacis* (2), et Tyrannorum adulatoris. Rigaltius (3), Pagenstecherus (4), Anonymus Gallus (5), et alii Phaedrum dici putant *improbum*, quod improbula, et lasciva quaedam adtigerit. Desbillonius tandem (6), et alii arbitrantur ideo Phaedrum appellatum fuisse *improbum*, quod *callidus* et *vafer* in Fabellis conscribendis fuisset. Sed age videamus, si licet, quid tenendum sit. Et primum Farnabii opinio probari nequit: Nam nullo fundamento innititur, et iure prorsus docti Viri tenent Phaedrum de quo loquitur Martialis, ipsum esse Fabulatorem nostrum, qui haud plurimis annis ante *iocos* sive fabellas conscripserat (7). Nec illa Brotierii: quae indigna etiam docto et moderato Viro videtur. Haudquaquam enim tam impudenter mendax Martialis esse potuit, in re praesertim ex qua nec timere quidpiam, nec sperare poterat. Praeterea quis non videt Martialem adduxisse *Iocos* Phaedri ad laudem et ad honorem, non quidem ad iniuriam et contumeliam, ut recte etiam animadvertit Anonymus (8)? Totus enim locus is est:

> *Dic, Musa, quid agat Canius meus Rufus?*
> *Utrumne chartis tradit ille victuris*
> *Legenda temporum acta Claudianorum,*
> *An quae Neroni falsus adstruit Scriptor?*
> An aemulatur improbi iocos Phaedri?
> *Lascivus Elegis, an severus Herois?*
> *An in cothurnis horridus Sophocleis?*

Haud ergo *improbus* in Martialis versiculo esse potest malus et nequam. Nec Martialis improbum et nequam hominem imitandum amico suo proponere poterat, vel fingere quod is improbum aemularetur.

V. Non negaverim lasciviores homines, quique facile nequitias appetunt *improbos* interdum appellari: Minime vero hoc sensu in Martialis versiculo vox sumi potest. Nam primum quis putaverit Martialem lascivum et mollem hominem, lascivum appellasse Phaedrum, qui vix paucula adtigit nequitiis suis longe leviora? Tum si Phaedrus lascivus diceretur ob lascivos iocos, et iam antea

(1) Praf. in Phaedr. suum. (2) Sidon Apoll. Carm. IX. ad v. 264. (3) Ad Fab. 13. lib. IV. (4) In vit. Phaedr. (5) V. Magasin. de M. Millin. Tom. XXXII. p. 457. (6) Disput. cit. p. XVIII. (7) V. nostr. I. Dissert. de Auct. Fabell. nov. cap. 1. §. 11. (8) Loc. cit.

tea Catullus dixerat, saepe Poetas castos esse et pios, quamvis eorum versiculi essent *molliculi*, *et parum pudici* (1): Et ipsemet Martialis canebat (2): *Lasciva est nobis pagina*, *vita proba*: Utique is scribere debebat *improbos iocos* Phaedri, non iocos *improbi Phaedri*, si vocem hac sententiâ usurpasset. Tertio ad laudem, ut vidimus, Martialis Phaedrum adducit; at obscenus homo appellari quispiam ad laudem non potest. Quarto ut quis absolute lascivus Poeta vocetur, opus plane est, ut pleraque suorum Poematum sint lasciva. Atqui duo tresve extant sive fabellae sive fragmenta Phaedri, in quibus quaedam obscenitas offendatur: Et quamvis ponas tres alias, quatuor, et decem etiam fabellas huiusmodi excidisse, quod nemo fortasse concesserit, quid iste exiguus numerus est prae ceteris universis fabellis? Quinto si C. Canius aemularetur lascivos iocos Phaedri, quomodo iterum lascivos Elegos scribere fingeretur? Id ut quisque videt, parum apte. Tandem ille Scriptor lascivus dicitur, non qui lasciva quomodocumque adtingit; sed qui in nequitiis sese oblectat, qui datâ operâ in eis commoratur, eas exornat et narrat ad aurium voluptatem. Saepe quidem Medici, et qui Christianam Ethicen profitentur de turpibus et obscenis rebus uberius agunt; itane vero propterea lascivi et obsceni Scriptores dici possunt? At recte contra dicuntur Catullus, Propertius, Ovidius, Petronius, Martialis, quia suas aliorumque nequitias non doctrinae gratiâ, non cuiuscumque eruditionis caussâ narrant, sed plane ad improbam voluptatem. Atqui Phaedrus haudquaquam, ut isti Poetae, turpiuscula illa adtigit; sed omnino ut obscenitatis caussam aperiret, ut ea aetate, qua vulgatissimae prorsus huiusmodi essent nequitiae *pravum gaudium*, ut caste vocat (3), homines moniti vitassent. Phaedrus igitur ne ob illa quidem turpiuscula lascivus et propterea *improbus* dici poterat.

VI. Sed *improbus* saepe Latinis est vafer, versutus, audax, qui fallere videtur, et dolose quodammodo agere, etsi ceteroquin probus et integer (4) Quis autem nescit plura Phaedrum in Fabellis suis vafre obvolvisse? Quis ignorat affectus suos in eas transtulisse, ita tamen ut astutissime calumniam eluderet, neque intelligeretur nisi ab aeque astutis et doctis Viris? Ita quidem ipsemet de Fabellis suis loquitur (5): *Non*

(1) Carm. XVI. v. 8. (2) Libr. I. Epigr. 5. v. 8. (3) Lib. IV. Fab. 14. (4) Vid. Virgil. Aen. XI. v. 512. Statium VI. Theb. v. 804. I. Silv. 2. v. 74. Martial. lib. XIV. Epigr. 16. Iuvenal. Satyr. III. v. 282. Satyr. V. v. 71. Lucil. apud Nonium cap. IV. n. 250. (5) Prolog. lib. IV. v. 5.

Non semper ea sunt quae videntur, decipit
Frons prima multos, rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.

Et re quidem vera vel tum plures erant, qui intimam Fabellarum suarum sententiam non capiebant : unde in eos et Fabellam ipse conscripsit (1). Nec dubitari potest quin hâc sententiâ vafer et dolosus quodammodo dici Phaedrus possit, qui blandâ saepe fabellâ, quave simpliciter quidpiam narrare videtur, nescio quid grave, arduum, et magnum obvolvit, quo plures decipiuntur. En ergo Phaedri *improbitatem*, de qua loquitur Martialis: En calliditatem, qua Phaedrus laudatur, et evidenter etiam designatur. En tandem, ut hoc sensu scitissime Martialis non *improbos iocos* scripsit, sed *iocos improbi Phaedri*. Nam ipsi ioci sive Fabellae simplices, apertae, candidae videbantur, sed Auctor astutus erat, et improbulus, non modo quod ad alia et difficilia significanda eas destinabat, sed quod lectores ea specie detentos saepius falleret, magnoque ingenii acumine et sollertia opus esset, ut eius mens deprehenderetur. Castigati ergo moris, vitaeque integer, quod dicebamus, Phaedrus fuit.

VII. Animus autem ingenuus, malisque artibus vacuus, cupiditas gloriae, et fortasse obnoxia servitus Phaedrum a teneris usque unguiculis literarum studio manciparunt. Nam gloriatus est se in ipsa Musarum, et Artium patria, in ipsa paene Schola, inter ipsas literas in lucem editum fuisse. Et quamvis haec ad natale solum suum aperiendum potissimum dixisset, ut vidimus, nullo pacto dubitari potest, quin et maturam quoque suam in literis institutionem significasset. Nam secus gloriatio illa ineptior et vana esset, quum praesertim vix ad tertium quartumve aetatis lustrum moratus in Patria videatur. Praeterea iam vidimus eum puerum et peradolescentulum dedisse operam Ennio omnium ferme Latinorum Poetarum obscurissimo. Unde licet coniicere iam tum Romanae linguae, et Literarum Latinarum prudentiam fuisse adsecutum. Et si Phaedrus iam senex ad Romanum Civem scribebat se inter literas natum *invicta laude* in vitam istam literarum incubuisse (2) : Utique vita eius in literarum studio insumta fuit. Quapropter non temere colligitur omni eum bona et liberali arte imbutum fuisse. Et re quidem vera Graecis literis eruditum fuisse demonstratione non indiget, quum Graecas fabellas expoliverit, et exornaverit. Tum partem quamdam Fabellae sextae Libri quar-

(1) 12. Libri III. (2) Pros. lib. III. v. 22.

ti non ex Ennio (1), sed ex ipso Euripide (2) dubio procul est mutuatus, et quam sane venustius et elegantius fecit, quam Ennius. Nec dici potest Graecum sermonem fuisse Phaedro ab infantia familiarem. Nam nec Macedones nec Thraces Graece loquebantur (3). Marte igitur suo Phaedrus cum Graecis, tum Latinis literis insignem operam dedit. Ethicis porro disciplinis, quibus hominis natura altius investigatur, et latius explicatur plurimum incubuisse Fabellarum opus prodit. Tum Philosophiae Socraticae, Stoicaeque nobilissimis tum et illustrissimis nomen dedisse, quae superius de vitae suae tenore diximus, quaeque de Iove, de Fato, de Poenis Tartari, aliisque huius modi (4) eloquitur, clarissime evincunt. Quin insuper in naturalium rerum notitiis eum non leviter fuisse versatum nonnulla indicant (5) et plura etiam (6) in Iurisprudentia, atque in Civili Iure sat prudentem et doctum ostendunt.

VIII. His autem praesidiis Phaedrus instructus ad magnum et difficillimum Fabellarum opus, ipse primus inter Latinos Scriptores, ut alibi ostendimus (7), manum admovit: unusque simul et adgredi, et perficere visus est. Etenim potioribus omnibus Aesopi Fabellis, quae ad ingentem numerum abibant, expolitis plurimas etiam a se proprio marte confectas adiecit, ut nos etiam observavimus; ita ut Fabellarum eius libelli, qui vulgo versantur, quaedam potius Epitome absoluti operis dicendi sint (8). Quanto autem ingenio, quanta solertia, et dignitate id confecerit Phaedrus, qui paullum in praestantium Scriptorum lectione versatus est nullo negotio pervidet. Quam scite materiam vel invenit, vel eligit; ut egregie personarum characteres servat, ingenium, indolem: Ut suaviter narrat, et leniter exponit. Quod adeo magis mirum, quod omni conatu et pretio brevitatem, qua saepe Scriptores involuti et obscuri fiunt, sectari voluerit (9): Scripturaeque genus, quo humilius eo difficilius sit, quo tenuius, eo maiorem curam et industriam expostulet. Ubique ferme est, quo Fabulator offendere possit, quod verisimilitudinem corrumpat, quod in decorum

(1) V. Auctor. Rhetor. ad Herenn. lib. II. c. 22. et Ciceron. de Invent. libr. . c. 49. (2) Ex Medea Scen. I. (3) V. Strabon. lib. VI. p. 687. Athenaeum Deipn. libr. III. c. 33. Curtium lib. VI c. 18. (4) V. Lib. II. Epil. v. 8. Libr. IV. Fab. 10. v. 19. Fab 19. v. 25. lib. V. Fab. 6. v. 5. Fab II. et VI. ex novis. etc. (5) Lib. III Fab. 3. 15. etc. (6) V. Lib. I. Fab. 10. 16. 17. libr. III. Fab. 10. libr. IV. Fab. 4. etc. (7) Dissert. 1. de Auct. Fabell. nov. c. 1. §. 1. etc. (8) V. Dissert. cit. cap. II. §. 6. (9) V. Libr. IV. Fab. 25. lib. V. Fab. 6. ad Partic. lib. II. Prol. v. 12.

rum et decens peccet. Phaedrianae porro sententiae, quae fabellis praeponuntur vel adnectuntur quam verae sunt, quam congruentes, quam solertes saepe, et sublimes. Et quam exquisite tandem omnia exposita, et limata sunt, quam diligenter ad acquisitissimam normam exacta. Quapropter iure ipsemet opus suum *laborem, curam, studium* appellavit (1), nec dubitavit profiteri eas *arte* fuisse *fictas* (2), *manusque suas*, quae tantum Aesopus inceperat *perfecisse* (3). Et proinde haud iniuria doctus quidam Vir affirmavit eum esse in re sua Phaedrum, qui in sua Virgilius et Horatius extiterunt.

IX. De stilo vero Fabellarum Phaedri, de elegantia et puritate Latini sermonis, qua conscriptae sunt, non est quod hic loquar. Id enim iamdiu occupatum ab aliis fuit, nec pauca etiam ipsi alibi de ista re adtigimus (4). Tota profecto doctissimorum Virorum cohors Phaedri fabulas altissimis laudibus exornarunt, dignasque repererunt Augustaeo seculo. Vavassorus (5), Rittershusius (6), Barthius (7), Brietius (8), Lipsius (9), Faber (10), Morhofius (11), Bailletus (12), Galloisius (13), Baylius (14), Brouckhusius (15), S. Aubinus (16) de Phaedriani stili elegantia et puritate sunt multi. Extitere sane nonnulli, quibus Phaedri stilus sordeit, sed quandonam istis inepti et depravati iudicii hominibus caruimus? Si Cicero, si Livius, si Virgilius non paucis barbari et soloeci visi sunt, quid mirum si uni aut alteri Phaedrus non se probaverit? Sed id etiam occupavimus, et fortasse iam fecimus satis (17). Dicendum vero de aliis est, qui sin minus cum his senserunt, Phaedri tamen stilum ut minime semper purum et elegantem reprehenderunt. Eorum instar sit Walchius multi inter Criticos nominis, qui de Phaedro singillatim loquens, hoc iudicium protulit (18): *Stilus Phaedri humilis et mediocris, non ubique castus, et purus . . . Nam habet nonnullas voces, et compositiones, quae non sunt imitandae: Exemplii gratia* Reliquia,

(1) Epil. lib. II. (2) Loc. cit. v. 13. (3) Lib. IV. Fab. 20. v. 8. (4) Dissert. I. de Auct. Fab. nov. cap. 1. §. 13. (5) De ludicr. dict. Sect. II. c. 4. (6) Epist. ad Camerar. Phaedr. suo praef. (7) Advers. XLVIII. c. 20. XXXV. c. 21. (8) De Poet. Latinis. (9) In Senec. Consol. ad Polyb. c. 27. (10) Praef. in Phaedr. suum. (11) De Patavin. Livian. cap. XII. (12) Iugem. des Savans T. IV. p. 147. (13) Iournal. des Savans Fevr. 1665. (14) Diction. voc. Phedre. (15) In Tibull. I. Eleg. 5. v. 13. (16) Traduct. de trois Comedies de Terenc. (17) Dissert. cit. cap. I. (18) In Hist. Critic. Latin. Lingu. c. IX. §. 2.

quia, orum (1): Vescor *cum casu accusandi* (2): Araneum *pro tela aranearum* (3): Strigare (4): Impotare *pro postulare aliquid sibi apponi gratiae* (5): Vulturius, *idest* Vultur (6): *Necnon Poeticas figuras: ex. gr.* Fauce improbâ *pro clamore magno* (7); Laniger (8), Onus Naturae, *idest infans sub matris utero* (9): *Aliquem* letho dare (10).

X. At quandonam, ego inquam, insolentiam suam deponent Grammatici, qui barbare etiam saepius, quam Latine loquuntur? Ut aliquid in vetere Scriptore iure reprehendatur, opus primum est, ut genuinae Codicum lectiones sint certissimae. Plura saepe ex Amanuensium audaciâ vel inscitiâ fuerunt corrupta, quae Auctori tribuere iniquum et ineptum est. Secundo opus est ut absolutam Latinae linguae prudentiam habeamus. Nam quis secus dicere poterit, id non latinum, id minus esse, ni omnia latina noverit? Et quis autem ita audax erit, ut se universum Latinum sermonem callere se possit iactare? Isaacus Casaubonus fatebatur se ne millesimam quidem partem Latini sermonis nosse. Et ex parte vere. Nam Scriptores qui modo supersunt ad universos comparati pauci sunt, nec quotquot Latine scripserunt, universum Latinum sermonem servare potuerunt. Tandem necesse est ut ingenium, naturâ, syntaxis Latinae linguae, et quidem per varias eius aetates et conditiones sint perspectissima: et evidens sit hoc et hoc convenire vel discrepare regulis et legibus notissimis et receptissimis. Qua ergo ratione *nos homunculi*, Burmannus ait (11), *simul ac novi quid et ante nobis inauditi obvenerit, ex nostra ignorantia reliquorum industriam et ingenium metientes non dubitamus eiicere voces, et locutiones nobis parum Latinas visas, et singularia unicuique Auctori auferentes, omnes sine discrimine genii aut aetatis in unum ordinem cogemus, et ad formulas a nobis praescriptas loqui iubebimus?* Quamobrem haud ita praeceps et subitus Phaedri stilum damnare debebat Walchius, ni antea haec quae diximus sibi proposuisset.

XI. At micam profecto Latini sermonis prudentiam Walchius prodidit ea singillatim in Phaedro reprehendens et damnans! Non inficior rarius occurrere *reliquia, orum*: Sed usurpat Plautus in Milite Glorioso (12), ut omnes veteres Editiones habent:

At

---

(1) Lib. I. Fab. 22. v. 6. (2) Lib. I. Fab. 31. v. 11. (3) Lib. II. Fab. 8. v. 23. (4) Lib III. Fab. 6. v. 9. (5) Lib. I. Fab. 22. v. 8. (6) Lib. I. Fab. 27. v. 8. (7) Lib. I. Fab. 1. v. 3. (8) Fab. cit. v. 6. (9) Lib. I. Fab. 18. v. 5. (10) Lib. III. Fab. 16. v. 18. (11) Praef. in Phaedr. cum comm. novo. (12) I. 1. v. 54.

At peditatus reliquia *erant si viverent*. Idque satis est. Praeterea quidni a Phaedro fuit *reliquis*, a *reliqua orum*, quod latinissimum? Nemo autem nescit *reliqua* saepe esse quadrisyllabum, et quidem in Auctore nostro (1). Quamobrem revera Gudius *reliquis* probavit, recepitque (2). Quidni tandem Amanuensis in Phaedri Fabellâ pro *quas* scripsit *quae*, *e* in *s* nullo negotio immutato? Quod revera factum plures praestantissimi Interpretes tenuerunt. At *vescor* cum accusandi casu? Hoc eo tamen casu usurpavit Accius apud Nonium (3), eo Iustinus (4), eo Tacitus (5), eo Plinius (6), quin eo Tibullus (7), eo ipse Virgilius (8), ut ex fide veterum MSS. Pierius Valerianus testatur (9). Nos cum istis omnibus lubentissime errabimus. *Araneum* porro pro tela aranei? Sed Cornelius Fronto professione Grammaticus absolute decernit (10): Araneum *quod textum est*, aranea *quae texit*. Tum Plinius Phaedro nostro suppar (11): *Ideoque multa aranea imbrium signa sunt*. Alibi (12): *Inest fistulae* araneum, *quod vocant florem*. Tum (13): *Est etiamnum peculiare olivis et vitibus* (vitium) araneum *vocant*; *quum veluti telae involvunt fructum et absumunt*. *Araneum* ergo quod auctoritas tuetur, quod analogia, quod proprietas non damnandum quidem, sed recipiendum et probandum est. De *strigare* autem nihil iudico: Sed ostendere debebat Walchius Phaedrum sic revera scripsisse; Nos pluribus ostendimus Phaedrum non ita scripsisse (14). *Imputare beneficium* fastidit Walchius, sed nulla ratione. Si auctoritatem postulat multa est. Seneca (15): *Quidam ultro officia nostra nobis* imputant. Tacitus (16): *Gaudent muneribus Germani, sed nec grata* imputant, *nec acceptis obligantur*: Et similia saepius (17): Tum Plinius Caecilius in Panegyrico opere, ut omnes norunt, elaboratissimo (18): *Ipsum sibi eripere tot beneficiorum occasiones, tam numerosam obligandi*, imputandique *materiam*. Si vero sententiam ipsam, et intimam verbi rationem spectat; quid satius breviusque sumi potest pro collati beneficii loco ponere, vel tamquam beneficium iactare? Pudet ve-

(1) Lib. III. Fab. 4. v. 2. (2) V. Adnot. ad hunc loc. (3) Cap. IV. n. 478. (4) Lib. II. c. 6. lib. XLIV. c. 4. (5) In vit. Agricol. cap. 28. (6) Lib. VIII. Hist. cap. 50. (7) Lib. II. Eleg. 5. v. 63. (8) Lib. III. Aen. v. 339. (9) V. Variant. ad hunc loc. (10) De different. verborum. (11) Lib. XI. c. 24. (12) Lib. XII. cap. 21. (13) Lib. XVII. cap. 24. (14) Dissert. I. in Codic. Perott. §. VIII. (15) De Tranquill. c. 6. (16) In German. c. 21. (17) Hist. lib. III. fin. lib. V. cap. 24. etc. (18) Cap. 39. vid. et lib. VIII. Ep. 21.

vero addere quod *vulturius* pro *vulture* parum Latinum dixerit. Nam *vulturius* usurpavit Plautus (1), usurpavit Lucretius (2), usurpavit Catullus (3), usurpavit ipse Cicero (4).

XII. Equidem cum Walchio sentirem si Phaedrus *fauce improba* pro *magno clamore* usurpasset. At quis non videt *improba fauce* esse ibi *fame improba*, profunda gula, ut Svetonii voce (5) utar, et propterea Walchium inepte et perverse Fabulatorem interpretari? Quid enim *fauces* cum voce, quid *improbae*; quid ea in Fabella clamor et magnus: scilicet ut Pastores et Rustici accurrerent? Quid tandem *incitatus*? Ipse sane Christius (6), quum diu super ista voce se torsisset rectam et veterem tandem fateri coactus fuit, nec adoptare dubitavit, scribens *fauce scelesta*, vim tamen et venustatem τὸ *improba* nec ipse capiens? Quid porro *laniger* pro agno etiam insolens et parum latinum? Sed Accius apud Ciceronem (7) scripsit *lanigerum pecus*: Plinius (8) *lanigerae arbores*: Virgilius (9) *lanigeri greges*: Quin absolute *laniger* pro ariete, qui est agnus maior, usurpavit Ovidius (10); et omnino passim Manilius (11). De *onere* autem pro *fetu* diximus ad hunc locum in Epitome (12). Et neminem fore puto, qui tam honestam et opportunam vocem in Fabulatoris potissimum loco non laudet. Sed *dare letho* quis rectum dixerit et Latinum? Scilicet, nam ea voce usus est Ovidius (13), usus est Virgilius (14), usus est Cicero (15). A reliquis autem minoribus Criticis abstinemus: Nam plures praestantissimi Interpretes iam Phaedrum in eos vindicarunt, nosque spicilegium in Commentario, ut potuimus, fecimus.

XIII. Iure igitur ob tantam ingenii artisque praestantiam, ob tantam sermonis venustatem est factum, ut Phaedri Fabulae maximopere apud omnes probarentur, earumque Auctor inter praecipuos Latinos Scriptores accenseretur, maximusque Fabulator tum Veterum, tum recentiorum haberetur. Ex Veteribus quidem unus fortasse Babrius Phaedro opponi potuisset, sed vix paucissima de eo fragmenta supersunt, quae haud satis sunt, ut absolutum iudicium ferre possimus. Quis autem

---

(1) Trucul. II. 3. v. 16. (2) Lib. IV. v. 680. (3) Carm. LXVII. v. 124. (4) In Pison. c. 16. (5) In Vitell. c. 13. (6) In Fabulis veter. Aesop. p. 10. e 77. (7) I. de Divin. c. 22. (8) Lib. XII. c. 10. (9) III. Georg. v. 287. (10) VII. Metam. v. 312. (11) Lib. I. Astr. v. 672. II. v. 34. 178. 210. 228. 405. 424. 550. 556. 610. 619. etc. etc. (12) Lib. II. Fab. 17. v. 5. (13) II. Epist. Her. sub fin. (14) I. Aen. v. 806. (15) II. de Leg. c. 9.

tem Aesopum, ut vocant, Gabriam, Aphthonium, ceterosque cum Phaedro contulerit? Fabulae quae Aesopi dicuntur materiâ quidem satis sese commendant, haud vero ingenio, solertiâ, et leporibus Auctoris sui, ut recte etiam animadvertebat doctissimus de Batteaux (1). Ex recentioribus vero plures ex Italis, Gallis, Anglis, Hispanis Aesopias Fabulas tentarunt, et multi ex eis et solerter et venuste. Sed nemo adhuc extitit, qui Phaedro praeferri, vel plane ex aequo componi possit. Galli quidem de suo de la Fontaine merito gloriantur, quumque ut optimum Fabulatorem praedicant recte faciunt: Sed eos Patriae amor transversos agit, quum eum Phaedro omnino et absolute praeponunt (2). Id equidem statueram pluribus persequi. Sed quum verbo tantummodo Fabulatorem suum praestare affirmaverint, non vero ostenderint, haud fuisset opportunus animadversionibus nostris locus. Uti tamen aliquis ex eis rectam comparationem inter fabellas unâ a Phaedro et Fontaine conscriptas instituens has praestare plane contenderit: nos contra ostendere conabimur in his ipsis Fabellis Fontaine omnino esse Phaedro minorem.

XIV. Sed nostrum modo propositum exsequamur, deque MSS. Phaedri Codicibus, deque praecipuis Fabellarum eius Editoribus et Interpretibus nonnulla hic delibemus. Id enim satis superque iam praestiterunt Fabricius (3), Brotierius (4), Desbillonius (5), Anonymus Gallus (6), aliique plures: nosque ipsi alibi (7) ex parte occupavimus. Quatuor igitur omnino Phaedri MSS. hactenus innotuerunt: Primum nempe Pithoeanum a Francisco Pithoeo anno 1595 vel 96 repertum, vel comparatum: Alterum isti per omnia ferme simile a Iacobo Sirmondo circa annum 1610 ex Remensi Bibliothecâ depromtum: Tertium a Petro Daniele Aurelio habitum, sed solas duas prioris Fabularum libri partes continens: Quartum tandem MS. Nicolai Perotti Archiepiscopi Sipontini duas et triginta fabulas notas, totidem novas habens. Ex quibus tamen Codicibus duo modo tantum extare dicuntur: Danielianum nempe, et Perottinum; quorum illud usque ad praeteritos annos in Vaticana Bibliotheca asservatum nunc in Parisiensem

fer-

(1) Corso di belle Lettere. Part. II. Sez. I. Art. I. §. 3. (2) La Harpe Lycee Tom. II. cap. VIII. Sect. 2. p. 129. Le chev. de Iaucourt Encyclop. Art. Fabl. etc. (3) Biblioth. Latin. cum Ernest. lib. II. c. 3. (4) Praefat. in Phaedr. suum. (5) Disput. II. et III. in Phaedr. suum. (6) Magas. de M. Mill. Tom. XXXII. p. 440. (7) Dissert. I. in Codic. §. 12.5

fortasse est inlatum: istud in Regiâ hac Bibliothecâ, qua par est diligentiâ, custoditur. Sed Remense iam ab anno 1774 incendio periit: Pithoeanum vero post viginti ferme annos, Bibliothecâ Domini sui expilatâ et disiectâ amplius non apparuit. Quoad aetatem autem horum MSS. explorata plane res est Pithoeanum et Remense circa IX vel X Aerae nostrae seculum fuisse descripta: et circa XI vel XII Danielianum: Perottinum tandem circa annum 1470. Tum enim iam adoleverat Pyrrhus Perottus Nicolai nepos (1), in cuius pueri gratiam Epitomen illam Fabellarum Patruus (anno 1480 (2) defunctus) conscripserat. Nonnulli porro et Divionense MS. praedicant, ex quo quinque illas Fabulas concinnavit Gudius, quae passim Paedri Fabulis solent adiici. Sed iniuria. Nam MS. ineptiorem quamdam Phaedrianarum fabularum interpretationem, non Fabulas ipsas habebat. Primus autem qui Phaedri Fabulas edidit Petrus Pithoeus fuit Francisci frater Septembri mense 1596. Sed is nudum Auctoris textum, et parum quidem emendatum vulgavit. Ideo illico Conradus Rittershusius, et Caspar Scioppius in illustrando Fabulatore operam suam praestiterunt: quorum adnotationes Franciscus Raphelengius Plantinianis typis anno 1598 edidit. Accessit anno sequenti Nicolaus Rigaltius, qui porro anno 1617 longe praestantiorem Phaedri editionem emisit, tum Pithoeano tum Remensi Codice diligenter collatis, et aliam anno 1630: Circa quos annos in Phaedro edendo illustrandoque studium etiam suum collocarunt Ioannes Meursius, Isaacus Neveletus, D. Albinus. Tum multo plures deinceps, inter quos peculiari mentione digni sunt: Tanaquillus Faber, Henricus Ursinus, Nicolaus Heinsius, Ludovicus Praschius, Ioannes Schefferus, I. Fridericus Gronovius. Et ineunte seculo XVIII, Marquardus Gudius, Georgius Walchius, David Hoogstratanus, Richardus Bentleius, Petrus Burmannus. Denique reperto Perottino MS. in emendandis maxime edendisque Phaedri fabulis incubuerunt Natalis Stephanus Sanadonus, Stephanus Andreas Philippe, Gabriel Brotierius, G. C. Crolhus, Iosephus Desbillonius, et Vitus Iuvenatius noster, cuius nonnullas in Phaedrum adnotationes in Variantibus dedimus. Et haec ad rem nostram dicta sint satis.

(1) V. Praefat. Pyrrhi Perotti in Cornucop. circa annum 1475. confectam. (2) V. Zenum Dissert. Voss. c. 47.

INDEX

FABULARUM EPITOMES.

LIBER PRIMUS

FABELLAE NOVAE.

LI-

LIBER ALTER

FABELLAE VETERES.

FABELLARUM PHAEDRI EPITOME.

PROLOGUS (*).

AEsopi ingenio (1) statuam posuere Attici,

Ser-

(*) Hoc Carmen in vulgatis Phaedri libris, ut libri secundi Epilogus passim occurrit. Attamen, qui illud attente perleget in Prologum potius, quam in Epilogum ab Auctore suo constitutum fuisse fatebitur. Et quoniam exploratum est plurimas Phaedri fabulas, integrosque fortasse libellos fuisse deperditos, quod nos Prolegomenis in Perottinum Codicem Dissert. II. cap. 2. pluribus observavimus; tum aeque certum nec in veteribus Codicibus, nec in prioribus Editionibus Carmen hoc ut Epilogum notatum fuisse ac inscriptum: haud temere coniicitur in Prologum aliarum a vulgaris fabularum Phaedrum forte illud conscripsisse. Quod profecto eo plus ponderis habiturum puto, quod sagacissimi ingenii Vir Gabriel Brotierius iam ostenderit passim Prologos Epilogosque Phaedri inversos fuisse et translatos. Ideo arbitramur aequi bonique consulturum esse prudentem Lectorem, quod nos pulcherrimos hosce versiculos ad istam Epitomen in Prologum constituerimus, novisque etiam Fabellis praefixerimus.

(1) *Aesopi ingenio*. Hanc esse genuinam Phaedri lectionem non *Aesopo ingentem*, ut vulgo legitur, omnino exploratum haberi potest. Praeter enim auctoritatem Codicis nostri, et ex parte etiam Pithoeani et Remensis, haec una lectio veram sinceramque Auctoris sententiam probat. Nam palam est haud eam fuisse Fabulatori mentem, ut Aesopo absolute et simpliciter positam ab Atheniensibus statuam fuisse scriberet, sed Aesopo omnino ob ingenium, Aesopo ratione praestantis, solertis, excellentis ingenii, scilicet *ingenio Aesopi*. Et dubio procul quemadmodum in tertio versiculo *genus* Aesopi servitutem spectat, ita *virtus* non totum Aesopum, si ita loqui fas est, sed eius tantummodo ingenium spectare debet. Franciscus Hare Epist. Critic. in Bentleii notas ad Phaedr. et Iosephus Desbillonius dubitarunt an bene latina locutio esset: *ingenio alicuius statuam ponere*, idque *nul-*

 lo

Servumque (2) collocarunt aeterna in basi;
Patere honori (3) scirent ut cuncti (4) viam;
Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.

5 Quo-

lo exemplo dici autumarunt. Verum quomodo neuter in ipso Phaedro Prolog. lib. III. v. 53. non legit:

Aeternam famam condere ingenio suo:

ubi *ingenio suo*, ut palam est, non auferendi, sed dandi est casus, et *condere famam* ipsum fere est, ac *ponere statuam*? Nonne Ovidius III. Trist. Eleg. X. v. 50. scripsit:

Da, precor, ingenio praemia digna meo?

Sed hac de re iam alii egerunt. Vid. Burmann. in Comment. nov. etc.

(2) *Servumque*. Nempe ipsum Aesopum, qui servus fuit, ut Veteres omnes testantur. Herodotus in Euterp. Plinius lib. XXXVI. c. 12. aliique plures. Id autem haud otiose a Phaedro dictum est, sed ut luculentius ostenderet quodnam esset ingenii pretium, quantumque valerent literae: Servi enim plane res, non personae Veteribus erant, nullaque prorsus erat eorum in civitate ratio.

(3) *Patere honori viam*. Nempe ad honorem, ad obtinendam gloriam. Sic Livius lib. XXVII. c. 18. *Patere viam fugae* dixit, scilicet ad fugam, ad capessendam fugam. Quamobrem lectio Codicis nostri vulgatae praeferenda est, quae habet *honoris*.

(4) *Scirent ut cuncti*. Hanc Codicis nostri lectionem plures eruditissimi Critici antea coniectura probarunt, vel postea eo detecto receperunt. Alii vero legere maluerunt *cunctis*, quod nescio an alicuius MS. Codicis fide nitatur: Interque eos ita plane legendum esse Burmannus in Comm. novo contendit: Ait enim positam Aesopo statuam, non ut *cuncti* scirent patere viam honori, sed patere *cunctis*, tum *scirent* absolute sumi recte posse, ut exempla aliorum Scriptorum docent. Sed haec parvi momenti sunt. Nam verum quidem est non raro verba in tertia persona plurali, ut Grammatici loquuntur, absolute poni, id tamen fit ubi nulla surgit ambiguitas, et sententia clarissima est. Hic autem haud perspicue Lector videt τῷ *scirent* subesse *homines*, atque statim sunt *collocarunt*, et *Attici*. Praeterea quum legimus: *ut cuncti scirent patere viam honori*: quis non videt eamdem sententiam, quam Burmannus malebat his verbis praeseferri? *Patere* quum absolute ponitur, idem est ac omnibus, cunctis patere, ut nemo non videt, secus enim absolute *patere* dici non posset. Sic Sallustius Bell. Catil. c. X. *Cuncta maria, terraeque patebant*. Virgilius VI. Aen. v. 127.

Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.

Aliique passim. Quin quomodo non vidit Burmannus facillime in lectione nostra subintelligi *sibi*, quod hic est ipsum *cunctis*? Id quidem commentario non eget.

(5) Al-

Quoniam occupârat alter (5), ne primus forem (6),
Ne solus esset studui, quod superfuit (7):
Neque haec invidia, verum est aemulatio (8).
Quod si labori faverit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Graeciae (9).

Si

(5) *Alter*. Nempe Aesopus. Nicolaus Heinsius ad Ovid. IV. de Pont. Eleg. XVI. v. 3c. C. Cilnium Melissum Mecaenatis libertum non Aesopum intelligebat. Sed nos iam Prolegom. in Perottin. Codic. Dissert. II. c. 1. coniectionem doctissimi ceteroquin viri longe a veritate distare pluribus ostendimus.

(6) *Ne primus forem*. Ne ego Phaedrus primus omnino essem in confingendis ac conscribendis fabellis.

(7) *Quod superfuit*. Supple *mihi*: quod mihi scilicet reliquum fuit, quod unum ego potui. Sic Virgilius Aen. V. v. 691.

Vel tu quod superest, *infesto fulmine morti,*
Si mereor, demitte.

Ovidius XIX. Epist. Heroid. v. 16. *Quod superest facio*. Et Martialis lib. VIII. Epigr. 63.

Quod superest *iterum, Cinname, tonsor eris*.

Sensus autem totius versiculi est. Nam quum Aesopus me in confingendis fabellis antevertisset, quod unum mihi restabat, dedi operam ne Aesopus unicus solusque esset Fabulator, sed ego secundus ab illo diceretur.

(8) *Aemulatio*. *Dupliciter aemulatio dicitur*, ait Cicero IV. Tuscul. quaest. c. 4., *ut et in laude, et in vitio nomen hoc sit. Nam et imitatio virtutis aemulatio dicitur, et est aemulatio aegritudo, si eo, quod quis concupierit, alius potiatur, ipse careat.* Hic autem *aemulatio* quum invidiae opponatur nobilis omnino et generosa animi virtus est, qua ad imitandum ex alio, et veluti effingendum virtutem ferimur. Sic apud Cornel. Nepotem in vit. Attic. c. 5. *Efficiebat ut inter quos tantae laudis esset* aemulatio, *nulla intercederet obtrectatio*. Phaedri igitur aemulatio est generosus conatus imitandi Aesopi, et quidem eo pacto, ut qui inter Graecos Aesopus, ipse inter Latinos haberetur.

(9) *Quos opponat Graeciae*. Graeci quibus reveta *ingenium, oreque rotundo loqui Musa dederat*, ut ait Horatius in Art. Poetic. v. 323. quique *intulerant artes agresti Latio*, ut idem scribit lib. II. Epist. 1. v. 156. maximi semper quoad literas a Latinis sunt facti, diuque, ut summi plane scriptores, extraque omnem comparationem positi fuerunt habiti. Attamen ubi Romana ingenia pro dignitate exculta sunt, Latinusque sermo copiam et maiestatem suam adeptus fuit, quum Graeca gens literariae suae gloriae esset plane insolens (Cestius Pius apud Senec. Suasor. VII.), in suam laudem effusissima (Plin. lib. III. Hist. c. 5.), in alie-

* nam

Si Livor (10) obtrectare curam (11) voluerit;
Non tamen eripiet (12) laudis conscientiam.

Si

nam avarissima (Horat. art. Poet. v. 324.), suaque tantummodo mirans (Tacit. Ann. II. cap. 88.) latinas literas plane contemneret (A. Gell. XIX. cap. 9.) nobilissima aemulatione incensi Latini linguam suam et opera sua Graecis opponere coeperunt. Id primum quoad linguam fecit Cicero, quemadmodum ad fab. XXX. lib. I. observabimus. Tum alii plures de utroque. Seneca Rhetor de eodem Cicerone loquens Praefat. in Controv. *Quidquid*, ait, *Romana facundia habet, quod insolenti Graeciae aut* opponat *aut praeferat, circa Ciceronem effloruit.* Quintilianus inter cetera lib. X. cap. 1. *Elegiâ*, inquit, *Graecos quoque provocamus . . . At historia non cesserit Graecis, nec* opponere *Thucididi Sallustium verear: nec indignetur sibi Herodotus aequari Titum Livium . . . Oratores vero vel praecipue Latinam eloquentiam parem facere Graecae possunt. Nam Ciceronem cuicumque eorum fortiter* opposuerim. Sensus ergo Phaedri est. Quum ego in aemulando atque imitando Aesopo diligentem operam dederim, si Latini hunc laborem meum aequi consulent; si opus hoc Fabellarum probaverint, plures sane alii Scriptores erunt, qui successu meo illecti et invitati ita in latinis literis excellent, ut nobilissimis Graecis Auctoribus opponi, atque ex aequo cum eis comparari possint.

(10) *Livor*. Lividi et invidi **homines. Sic lib.IV. fab.20. v.1.**
Quid indicare cogitet Livor modo.
Sic Ovidius de Remed. v. 389.
Ingenium magni detrectat Livor *Homeri.*
III. ex Pont. IV. v. 73.
Scripta placent a morte fere, quia laedere vivos
Livor, *et iniusto carpere dente solet.*
IV. Trist. X. v. 123.
Nec qui detrectat praesentia Livor *iniquo,*
Ullum de nostris dente momordit opus.
aliique plures.

(11) *Curam*. Opus hoc fabellarum magna cura, labore, et studio confectum: Unde et *laborem* etiam v. 8., et *studium* v. 12. absolute dixit. Ovidius autem IV. ex Pont. 16. v. 89.
Essent et iuvenes quorum inedita cura *est?*
Tum III de Art. v. 411.
Nunc hederae sine honore iacent, operataque doctis
Cura *vigil Musis nomen inertis habet.*
Tacitus Annal. IV. c. 2. *Quorum in manibus* cura *nostra venerit.*

(12) *Eripiet*. Supple *mihi*: Scilicet, si qui invidi erunt, qui laborem nostrum obtrectaverint et reprehenderint, haud tamen efficient, ne ipsemet intima animi conscientia sentiam me laudabile opus atque egregium conscripsisse, meque laude propterea, non obtrectatione esse dignum censeam. Ideo Prolog. lib. III. v. 60. scribebat:

Er-

Si nostrum studium ad aures pervenit tuas,
Et arte fictas (13) animus sentit fabulas,
Omnem querelam submovet (14) felicitas.
Sin autem doctus illis occurret labor (15),

Si-

Ergo hinc abesto, Livor, ne frustra gemas,
Quoniam solemnis mihi debetur gloria.

(13) *Arte fictas.* Supple *esse.* Scilicet si animus tuus sentit fabellas nostras multo artificio, magna sollertia fictas et conscriptas fuisse: si tu fabellarum nostrarum artificium perspicis. *Ars* hic est artificium, sollertia, inveniendi industria et peritia. Haud dissimiliter Virgilius I. Aen. v. 643. *Vestes* dixit arte *laboratas*. Ovidius Epist. Heroid. III. v. 32. *Tripodes pondere* et arte *pares*; et XIX. v. 183. *Puppes* arte *laboratas*.

(14) *Submovet.* Amovet, arcet, expellit. Vox olim lictoribus propria, quum turbam incedenti magistratui occurrentem recedere imperabant, qua de re vidend. Varro apud Gell. XIII. c. 13. Livius lib. II. c. 56. III. c. 48. IV. c. 80. etc., aliique plures. Hinc ducta metaphora. Horatius II. Ode 16. v. 15:

Non enim gazae, neque consularis
Submovet *lictor miseros tumultus*
Mentis.

Seneca Epist. 94: *Non est quod feliciorem eum iudices, cui* submovetur, *quam quem lictor semità deiicit. Si vis exercere tibi utile....* submove *vitia.* Plinius in Praef. Histor. Nat. *Alia via occurris ingens, et* submoves *ingenii fascibus.* Sensus autem Fabulatoris est: Si id mihi contingit, tantam inde voluptatem capiam, ut me plane felicem ducam, et ne minimum quidem de iniustis invidorum iudiciis querar.

(15) *Sin autem doctus illis occurret labor.* In Pithoeano ac Remensi Codice scriptum fuit: *Sin autem ab illis doctus occurrit labor.* Sed quid haec sibi volunt? Certe nulla, vel absurda omnino, ut videbimus, inest sententia. Ideo plures doctissimi viri Praschius, Hoogstratanus, Burmannus pro *ab illis* reposuerunt *ac illis*, vel *et illis*. Heinsius pro *occurrit acuerit* ab *acesco*, Bentleius *arguitur*. Sed quis Heinsii vel Bentleii emendationes probaverit? Tum illa *ac* atque *et* a recta sententia excluduntur, quum Auctor non coniungere hic, sed secernere ac separare in animo habuerit. Propterea passim recepta est Rigaltii lectio, qui scribebat *sin autem doctus illis*: Quibus nos *occurret* non *occurrit* ex Burmanni emendatione addidimus, quum paullo post sit *feram*, et futurum non certum sit, sed conditionale. Fateor magis ad veterum Codicum lectionem accedere: *Sin autem ob illos doctus*, vel *sin autem ad illos doctus*, mihique inclinasse animum ad ea recipienda: Verum quum probata exempla ad huiusmodi syntaxim firmandam

de-

Sinistra (16) quos in lucem Natura extulit (17),
Nec

desiderentur, non video quidni Rigaltii lectio recipienda omnino sit, quum sententiam praeseferat vel plane genuinam, vel maxime, dubio procul, probabilem. Ea huiusmodi est: Si nostrum fabellarum opus docte certe ac scite elaboratum non ad aures tuas, candide lector, pervenit, sed contra illis occurrit, in illos nempe incidit, offendit, et uti dicam, impegit, Quos etc. Desbillonius quidem autumat hic *doctum laborem* non esse opus fabellarum: nam quis, ait, laborem suum doctum dixit? Sed fraudes laboriosas, et doctos dolos: ut sensus sit: Sin autem fraudes laboriosae, et docti doli mihi adversentur, sive obiiciantur ab illis, quos etc. Sed libido restituendi ubique Codicum lectionem ita transversum egit hunc Interpretem, ut in absurda et inepta saepe abripuerit. Ponamus hanc interpretationem haud aegre ex verbis Phaedri colligi, quis tamen non videt Fabulatoris menti, quam toto carmine expressit, adversari? Is omnino de futuro fabellarum suarum eventu agit. Hae in bonorum et candidorum lectorum manus pervenire poterant, et in manus improborum et invidorum. Superioribus versiculis de bonis, in istis de malis locutus est. Quid porro illae doctae inimicorum fraudes, docti doli, quo *docti*, et quomodo ab adversario sic dici possunt, et quomodo *το doctus labor* interpretatur? Quaenam exempla, et auctoritates advocare potest? Sed quis ex Veteribus, ait Desbillonius, opus suum doctum laborem appellavit? Ponamus neminem ullum extitisse qui dixerit, Phaedrus certe sat est, qui Prologo etiam III. Libri v. 26. scripsit;

Docto labori dulce praeponens lucrum.

et hic laborem quoque suum intelligebat. Tum Caesar Germanicus initio Arataeor. Phaenom.

. . . *A nobis Genitor tu maximus auctor*,
Te veneror, *Tibi sacra fero*, doctique laboris
Primitias.

Sed quid mirum Phaedrum hic *laborem* suum *doctum* appellasse, si ex isto Prolog. tum ex Prolog. III. lib. III. v. 23. 37. 60. ex Fab. XII. lib. III. ex Fab. VI. lib. IV. et ex Prologis lib. V. luculenter patet se magnifice semper de scriptis suis Phaedrum sensisse? Id vero ei haudquaquam vitio criminique vertendum est. Sed dandum seculo, professioni, et moribus. Et quae profecto de se carminibusque suis non iactant Poetae veteres, quam in laudibus suis effusi! Vid. Lucretium init. lib. IV. Manilium init. lib. I. v. 56. etc. init. lib. III. etc. Horarium I. Carm. Od. 1. v. 29. Od. 3. v. 23. etc. Ovidium XV. Metam. v. 875. III. Trist. Eleg. 7. v. 51. IV. Eleg. XI. v. 127. etc. Martialem lib. V. Epigr. 13. tum quae hac de re diximus in Dissert. de Phaedri vita Cap. IV. §. 2. etc.

(16) *Sinistra*. Infausta, maligna, inimica. Metaphora ex

Nec quidquam possunt (18) nisi meliores carpere (19),
Fatale exitium (20) corde durato (21) feram,
19 Donec Fortunam criminis (22) pudeat sui.

FA-

auspiciis desumta. Romanis enim auspicia sinistra plerumque mali ominis erant et infausta.

(17) *In lucem extulit*. Nempe genuit, procreavit: Qui nati sunt, qui in lucem sunt editi. Petronius Specimin. Bell. Civ. v. 98.

Extulit in lucem nutritas sanguine fruges.

(18) *Nec quidquam possunt*. Syntaxis recta quidem, sed elliptica, quum non *qui*, sed *quos* praecesserit. Tenendum est igitur perinde ac scriptum fuerit: Et qui nihil plane possunt etc.

(19) *Meliores carpere*. Supple *se*. Obtrectare nempe, lacerare, reprehendere eos qui sibi praestant. Sic Ovidius III. ex Pont. Epist. 1. v. 64. et Quintilianus lib. X. c. 1. *Carpere carmina alicuius*.

(20) *Fatale exitium*. Nonnulli Interpretes hunc loquendi modum vix concoquere potuerunt, perinde ac Phaedrus de acerbissimo damno, deque sua absoluta pernicie locutus fuisset. At id minime verum. Nam *fatale* illud omnino est, quod a Fatis praestitutum ac destinatum est. Unde saepius in bonam etiam partem sumtum fuit, veluti a Cicerone IV. Catil. c. 2. Ovid. IV. Epist. Her. v. 63. XV. Metam. v. 54. Valer. Max. I. cap. 7. 2. Velleio lib. II. c. 5. aliisque pluribus. *Exitium* autem ab *exitu* est, et proprie est malus exitus, tristis eventus. Ita Festus: *Exitium Antiqui ponebant pro* exitu, *nunc* exitium *pessimum exitum dicimus*. Sensus ergo Auctoris est: Ego duraro corde feram malum hunc exitum, quem Fata nulla mea culpa fabellis meis constituere voluerunt.

(21) *Corde durato*. Animo obdurato, obfirmato adversus talia, utpote qui alias calamitates duraverit. Livius lib. XXXVIII. c. 17. Durati *tot malis*. Lucanus lib. V. v. 797.

. . . *Nam cetera damna*
Durata *iam mente malis firmaque tulerunt*.

(22) *Fortunam criminis*: Utpote quae me innocentem affixerit, me nulla mea culpa vexaverit. Solebant Veteres in Fortunam reiicere, quae adversa sibi acciderant, nec evidenter ab eorum culpa penderent. *Toto quippe Mundo*, ait Plinius lib. II. hist. nat. c. 7., *et locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus Fortuna sola invocatur . . . . una accusatur, una agitur rea . . . sola arguitur, et cum conviciis colitur, volubilis, a plerisque vero et caeca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix*. Ovidius autem III. Metam. v. 141. Fortunae crimen *in illo, non scelus invenies*. Quintilianus Praefat. in VI. lib. Instit. *Nam frustra mala*

FABELLARUM PHAEDRI EPITOMES

LIBER I.

FABELLAE NOVAE.

FABULA I.

Simius et Vulpes.

Vulpem rogabat (1) partem caudae Simius (2), Con-

mala omnia in crimen Fortunae *relegamus*. Et Pedo Albinovanus Eleg. 1. v. 51. *Nempe per hos etiam* Fortunae iniuria *mores Regnat*. Et Noster iterum in ceter. vulg. lib. III. Fab. 11. vel II. Epit. Fab. 13. v. 6. *Sed quid* Fortunae, *stulte*, delictum *arguis*. Vide, si lubet, etiam Dionem Chrysost. Orat. LXIV. p. 592. et Libanium Orat. XXXI. Tom. II. Oper. Edit. Morell.

(1) *Rogabat*. Proprie. Hoc enim verbo utimur ad beneficia petenda, quum sit petere cum precibus, postulare suppliciter. Unde Plinius Caecil. lib. IV. Epist. 13. *Interim ne quid festinationi meae pereat, quod sum praesens petiturus, hac quasi praecursoria epistola* rogo; *sed prius accipe caussas rogandi, deinde ipsum quod peto.* Auctor autem Fab. 16. lib. I. ex Vulgat. v. 3.

Ovem rogabat cervus modium tritici: Et similia alibi.

(2) *Simius*. *Simius vel simia* Latinis, quae Graecis πίθηκος notum animal, cauda expers, et glabris etiam ac depilatis natibus, ut hic inducitur. Est quidem et simia caudata Graecis κερκοπίθηκος, et καλλίτριξ. Sed *Simia* absolute ea est, quae cauda caret, quod et Buffonius in sua Quadrupedum historia definivit. Et propterea Latini scripto-

Contegere honeste (3) posset ut nudas nates:
Cui sic maligna (4) : longior (5) fiat licet,
Tamen illam citius per lutum et spinas traham,
Quam parvam quamvis (6) partem impertiar (7)
tibi (8) (*).

FA-

ptores ubi de caudatis simiis locuti sunt graecas potius voces usurparunt, ut Plinius lib. VIII. Hist. cap. 54. Iuvenalis Satyr. XV. v. 4., et alii plures fecerunt.

(3) *Honeste*. Decore, decenter, ne turpis nuditatis puderet. Varro lib. VII. L. L. cap. 16. *Non solum vestiti esse volumus, ut vitemus frigus, sed etiam, ut videamur vestiti esse* honeste. Svetonius in Caesar. cap. 82. *Togae sinum ad ima crura deduxit, quo* honestius *caderet, etiam inferiore corporis parte velata*.

(4) *Cui sic maligna*. Cui Simio sic respondit, dixit maligna Vulpes. Plane autem apposite Vulpes hic *maligna* dicitur. Etenim *malignus est qui difficultatem sui ostendit*, ut ait Donatus in Terent. Hecyr. I. 2. v. 84., qui cum facile possit vel ex malignitate animi, et turpi invidia, vel ex sordida avaritia benefacere recusat, et iuvare alios detrectat. Ideo Valer. Max. lib. VI. cap. 1. Ex. 1. *Malignam Fortunam* dixit, quod Lucretiae non virile, sed muliebre corpus tribuisset. Plinius lib. VII. hist. nat. cap. 50. *Malignam Naturam* arguit, quod parca et avara in hominibus instruendis fuisset. Et lib. XXV. c. 8. Canem *malignum* dixit, quod is homine inspectante herbam qua veneno liberatur haudquaquam decerpat.

(5) *Longior*. Intelligitur *mea cauda*.

(6) *Quamvis*: Quantumvis, etsi minimam, licet tenuissimam. *Quamvis* dividi in duo verba posset, et *quam* referri ad *partem*. Sed tum inepta exurgeret sententia.

(7) *Partem impertiar*. Largiar, tribuam. Cicero pro Sylla cap. 3. *Oneris mei partem nemini* impertio, *gloriam bonis omnibus*.

(8) Hic versiculus sic legitur in Codice:

Quam tibi impartiar pa[illegible]
quamvis pa . . . . Sed vi[illegible]ection. nostras.

(*) Isti Fabellae huiusmodi sententiam Rimicius lib. III. n. 17. subiicit: *Locuples et avare te monet haec Fabula, qui non das quod tibi superat*. Anonymus Antiquus n. 45. scribit: *De divite et paupere. Increpat te, avare, qui non das id quod tibi superat*. Romulus vero n. 36. *Subsequens fabula increpat avaros divites; qui nihil de superfluis suis tribuunt inopibus*. Unde Burmannus in Adpend. ad Fabulas Phaedri n. 22. dedit:

Avare, te fabella haec et locuples monet,
Qui, quamvis superest, nil tamen das pauperi.

Perottus vero: *Avarum etiam quod*

FABULA II.

Auctor.

Arbitrio (1) si Natura (2) finxisset (3) meo (4) Ge-

quod sibi superest non libenter dare. Quamobrem quis potius forte scriberet :

Avare locuples, te fabella haec admonet,
Libenter inopi quod tibi superest, dare.

Nam *locuples* latine tamquam substantivum nomen sumi potest, quum Ovidius III. Am.7. v. 50. scripserit: *Dives avarus*, et palam est in fabella agi de locuplete homine, qui avarus sit, scilicet de locuplete avaro. Praeterea, quoniam qui *monet*, praecipit ut aliquid fiat, vel non, [illegible] potius visum *dare*, quam *qui non dat*, potissimum quum illud *libenter* Perotti omnino hanc sententiam excludat. Nam qui non libenter dat, dat quidem: In fabella autem significatur *nil* prorsus dari. *Superest* vero idem est ac *est super*, superfluum, non necessarium. Terentius Phorm. 1. v. 19. *Cui tanta erat res, et supererat*. Et l. 3. v. 10. *Aliis quia desit, quod amant aegre est, tibi quia superest dolet. Monere* autem cum infinitivo modo copulavit Phaedrus lib. III. Fab. 17. v.13. lib. IV. Fab. 4. v. 13.

(1) *Arbitrio meo.* Ex mea voluntate, ex mea sententia, non vero ex suo placito et arbitrio, ut fecit. Cicero II. Verr. c.10. *Magnas accusatoris minas ad nostrum arbitrium libidinemque eludemus.* Auctor in Vulg. Fab. 18. lib. III. v. 10.

Fatorum arbitrio *partes sunt vobis datae.*

Et plane ad rem Seneca in Oedip. v. 882.

Fata si liceat mihi
Fingere arbitrio meo.

(2) *Natura.* Haec vox Latinis, ut nobis, est significatione variissima. Hic tamen illud Principium et Caussa est, qua res omnes gignuntur et fiunt, neque alia revera ex ratione *natura* est appellata, nisi quod omnia ex ea *nata* et educta Veteres crediderint. Hinc a Lucretio lib. I. v. 623. dicta est *Creatrix*: a Cicerone Paradox. I. c.4. *Mater omnium rerum*. Tuscul. lib. V. c.37. *Parens communis*. Lib. I. c.118. *Parens omnium*. Tum a Plinio lib. XXVII. c.13. etiam *Parens omnium*, et lib. XXXI. c. 1. *Opifex*. Quamobrem saepe pro Deo optimo max. et Iove sumta fuit, ut ex Seneca Quaest. natur. lib. II. cap. 45. et IV. de Benef. c. 7. ex Plinio lib. II. c. 7. Lactantio II. Divinar. Inst. c. 9. et lib. III. c. 29. aliisque patet: Quod sane fecisse hic Auctorem nostrum perspicuum puto.

(3) *Finxisset*. Formasset. Proprie-

Genus mortale (5), longe foret instructius (6):
Nam cuncta nobis (7) attribuisset (8) commoda (9),
Quae-

prie. Nam *fingere* est aliquid arte et sollerter componere. Sic Sallustius Bell. Catil. cap. 1. *Quae* Natura *prona atque ventri obedientia* finxit. Cicero pro Murena c. 29. *Natura te* finxit *ad honestatem*.

(4) In Codice:

A . . . . si . a . . . r.
f . . . . sset meo. Sed vide Lection. nostras.

(5) *Genus mortale*. Genus humanum, homines. Nam ut homines κατ' ἐξοχὴν *mortales* dicti sunt, ita et *genus mortale*. Non quod soli ex animantibus morti obnoxii sint, sed quod nos inde nomina desumimus, unde maxime tangimur et afficimur. Sic etiam Ovidius l. Metam. v. 118. *Perdendum* mortale genus. Hic autem plane apposite Auctor *genus* humanum *mortale* absolute dixit, quum ad invidiam loquatur.

(6) *Longe foret instructius*. Supple dotibus, muneribus, vel commodis, quod statim sequitur: Ut Horatius, etsi adversa sententia, dixit 1. Epist. 18. v. 25. *Vitiis instructior*. Subintelligitur autem *quam modo est*; sed recte ponitur absolute ut hoc loco. Livius lib. I. c. 35. *Ludos opulentius* instructiusque, *quam priores reges*, *fecit*. Lib. XXVII. c. 19. Instructiores *peditum copiae*. Ulpianus lib. XXXIII. Digest. De fund. Instr. *Supellex*, ait, *ceteraque*, *si qua agro fuerunt*, *quo* instructior *esset Paterfamilias instrumento fundi continentur*. Utriusque ergo versiculi hic est sensus. Si rerum opifex Natura non ex placito et voluntate sua, sed potius ex arbitrio meo genus humanum formasset, homines non ita tenues et imbecilles, ut modo sunt, forent; verum longe pluribus ac potioribus dotibus muneribusque essent instructiores. Scilicet fingit se Auctor noster de Naturae in homines malignitate queri, ut facile et absque invidia absurdarum et ineptarum querelarum impios Divinitatis detractores argueret. Tum enim plures ex his inveniebantur. Cicero IV. Tuscul. c. 58. *Natura hominum generi infensa atque inimica*. Nepos in Agesil. c. 7. *Natura malefica*. Plinius lib. VII. hist. nat. c. 1. *Principium iure tribuetur homini*, *cuius caussa videtur cuncta alia genuisse Natura*, *magna et saeva mercede contra tanta sua munera*, *ut non sit satis aestimare parens melior homini*, *an tristior noverca fuerit*: et quae sequuntur. Lactantius autem maxime, ut puto, Plinii querelas spectans sic generatim in libello de Opific. Dei cap. 3. scribebat: *Queruntur hominem nimis imbecillum et fragilem nasci*, *quam cetera animalia nascuntur . . . Itaque Naturam non matrem esse humani generis*, *sed novercam*, *quae cum mutis tam liberaliter se gesserit*, *hominem vero sic effuderit*, *ut inops*, *et infirmus*, *et omni auxilio indigens esset*.

(7) In Codice: *Na . . . . . . nobis*. V. Lect. nostras.

(8) *Attribuisset*. Nempe *Natura*.

Quaecumque indulgens Fortuna (10) animali (11) dedit :
Elephantis vires (12) , et Leonis impetum (13), Cor-

tura. *Attribuere* est veluti proprium tribuere , omnino adsignare , et quidem quod ad alios pertinere videtur . Cicero III. de nat. Deor. c. 89. *Nonnunquam bonos exitus habent boni , eos quidem adscribimus , attribuimusque sine ulla ratione Diis immortalibus*. Et ad Famil. lib. II. Ep 17. *Quod mihi cum illo erat commune sibi soli attribuit*.

(9) *Commoda*. Commodum hic non sumitur in abstracto , ut vocant , pro utilitate et emolumento : Sed pro dote , munere, quae utilitatem et emolumentum pariant . Sic Horatius Art. Poetic. v. 175.

Multa ferunt anni venientes
commoda *secum*,
Multa recedentes adimunt .

Et Ovidius 1. Amor. 2. v. 38. ad Amorem :

Blanditiae Comites tibi erunt,
Errorque , Furorque ,
Haec tibi si demas commoda *nudus eris* .

(10) *Quaecumque indulgens Fortuna* . In Codice : *Q. . . . . . que Fortuna indulgens* . Sed vide Lectiones nostras , in quibus plura de ista *Fortuna* diximus . Meminisse tamen modo iuvabit Naturam et Deum , quum invidiose de iis Veteres loquerentur, Fortunam fuisse appellatos, ut ex Dione Chrysost. Orat. LXIV. Plutarcho in libello de Romanor. Fortuna , et in Repugnant. Stoicor. ex Lactantio lib. III. cap. 29. atque aliis patet . Ideo Virgilius II. Aen. v. 79. scripsit :

. . . . *Nec si miserum* Fortuna *Sinonem*
Finxit , vanum etiam mendacemque improba finget .

Et Valerius Max. lib. V. cap. 1. ex. 1. *Cuius virilis animus maligno errore* Fortunae *muliebre corpus sortitus est*. Fortuna autem dicitur indulgens ad invidiam , quod animantia bruta potioribus muneribus cumulaverit , et *cum mutis tam liberaliter se gesserit* , ut verbis Lactantii utar , quae paullo superius apposuimus .

(11) *Animali* . Nempe bruto , irrationali . *Animal* quidem , quidquid vivit sentitque recte dicitur : Verum absolute sumtum brutum tantummodo est et irrationale , hominique opponitur . Varro lib. VI. de L. L. c. 5. *Multa*, ait, *ab animalium vocibus translata in homine* . Seneca Epist. 124. *Quatuor hae naturae sunt , arboris* , animalis, *hominis , et Dei*: Et paullo post: *Animalibus tantum quod brevissimum est in transcursu datum , praesens , praeteriti rara est memoria* . Similia Plinius lib. XXVIII. c. 4. Caius Dig. De acquir. Rer. Dom. Auctor Institut. Iustin. lib. II. Tit. 1. §. 12. aliique passim .

(12) *Elephantis vires* . Scilicet : Si Natura ex arbitrio meo finxisset homines , non tenues et exiles vires , quibus modo utuntur , sed plane vires Elephantis eis attribuisset . Notum autem est ex universis terrestribus animantibus , quae supersunt , for-

tis-

Cornicis aevum (14), gloriam Tauri trucis (15); Equi

tissimum omnium, sive ad ferenda onera, sive ad vim repellendam Elephantem esse. Ideo Cicero de Senect. cap 9. scribit: *Nec nunc vires desidero adolescentis, non plus quam adolescens tauri aut elephantis desiderabam.*

(13) *Leonis impetum.* *Impetus* ea vis in animali est, qua vehementer, rapide, praeceps in alium incurrit et fertur. Cicero pro Caecin. cap. 15. *Incursio atque impetus armatorum.* Auctor in vulg. lib. I. fab. 29. v. 9.

Aper quum vellet facere generosum impetum.

Et de ipso Leone fab. 11. v.10.

Leonis adfliguntur horrendo impetu.

Revera autem *impetus* et violentia maxima in Leone sunt, eaque potissimum dote ceteris omnibus animantibus praestat. Quid ergo si homo fortissimus et validissimus ut Elephas, audax vero foret, rapidus, agilis, concitus ut Leo?

(14) *Cornicis aevum.* Supple iterum *attribuisset* etc. In Cod. *C. rpus . . aevum.* Sed in lection. nostris pluribus persecuti sumus, quae illam lectionem suaderent, vel potius evincerent. Inter graviores hominum in rerum Naturam querelas, ea praecipua fuit, quod brevis essent et exiguae vitae. *Queritur de natura sua*, scribit Sallustius Bell. Iugurth. c. 1. *Genus humanum quod imbecilla atque aevi brevis.* Seneca de brevit. vitae c. 1. *Maior pars mortalium, Pauline, de naturae malignitate conqueritur, quod in exiguum aevi gignimur.* Nec aliud impensius optatum, quam longum et diuturnum vitae curriculum. Sic Pedo Albinov. I leg. in obit. Mecaenat. v. 139. ad rem:

Nestoris annosi vixisses secula; si me
Dispensata tibi stamina nente forent.

Tum quod lectionem nostram vehementer firmat v. 117.

Vivere cornices multos dicuntur in annos
Cur nos exigua conditione sumus?

Cicero praeterea III. Tuscul. c. 28. *Theophrastus autem, ait, moriens accusasse Naturam dicitur, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset, hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset.* Quas querelas Aristoteli etiam Theophrasti praeceptori Seneca loc. cit. tribuit. Istis igitur querelis fingit Auctor se satisfacere voluisse annos Cornicis, quos optabant, hominibus tribuendo. [illegible] sane Veteres Cornices per bene decem secula vitam protrahere. Ovidius II. Amor. 6. v. 35.

Vivit et armiferae Cornix invisa Minervae
Illa quidem seclis vix moritura decem.

Idem et Porphyrio scribit ad Horat. III. Carm. Od. 17. v. 13.

(15) *Gloriam Tauri trucis.* Hic *gloria* haud fama illustris, decusque aliquod est praeclaris facinoribus partum. Sed omnino *gloriatio*, habitus nobilis, maiestate et gloria plenus. Sensus

est:

Equi velocis placidam mansuetudinem (16),

Et

est: Natura haud dedisset nobis habitum hunc demissum, et speciem humilem, sed attribuisset potius pulchram illam maiestatem, et nobilem gloriam, quam in habitu et incessu suo Taurus ostentat. *Gloria* autem hac sententia probatum est. Hirtius de Bell. Afric. cap. 31. *Itaque constituerat Caesar* gloriam, *exultationemque eorum* (hostium) *pati, donec sibi veteranorum legionum pars aliqua in secundo commeatu occurrisset*. Plautus Milit. glorios. l. 1. v. 2. *Periuriorem hoc homine si quis viderit, aut* gloriarum *pleniorem, quam illic est*. Et propius Horatius l. Epist. 18. v. 21.

Quem damnosa Venus, quem praeceps alea nudat,
Gloria *quem supra vires et vestit et ungit*.

Trux porro hic non sumitur pro saevo, fero, atroci, horrendo, sed pro torvo, minaci, pro eo, qui timorem quemdam aspectu incutit, quod ad maiestatem facit. Ita testudinem *aspectu* esse *truci* dixerat Pacuvius apud Ciceron. II. de Divin. c. 64. *Caprum trucem* Catullus Carm. LXVIII. v. 6. Et *Lucos vetusta Religione truces* Claudianus l. de Laudib. Stilicon. v. 229. *Tauris*, ait Plinius lib. VIII. c. 45., *in aspectu generositas, torva fronte, auribus setosis, cornibus in procinctu dimicationem poscentibus. Vidimus de imperio dimicantes*. Ideo tauri veluti proprio adiecto dicti sunt *truces*. Sic ab Ovidio Epist. Her. IV. v. 166. XII. v. 59. Metam. VII. v. 111, VIII. v. 297. a Seneca Hercul. Oet. v. 301., aliisque pluribus. Quin idem Seneca Iovem Europae amore correptum in taurum *trucem* conversum scribit in Octav. v. 765.

Modo per fluctus raptam Europen
Taurum *tergo portasse* trucem.

(16) *Placidam mansuetudinem.* Hoc loco *mansuetudo* haud ea animantis dos est, qua labores, verbera tacite et patienter fert, qua ira facile non exardescit, nec praeceps furit. Sed ea potius proprietas est, qua facile se ad aliorum voluntatem subiicit, facile ad manum accedit, facile regi, tractari, instrui patitur. Quae prima sane et genuina vocis vis est. Nam *mansuetus* omnino est *manuituetus*, quod Paullus ex Festo, et Nonius cap. II. p. 59. observarunt; qui scilicet *manu* se tractari fert, et ut eleganter Virgilius VII. Aen. v. 490. *manum patiens* de cervo loquens: Ideoque proprie *fero*, *indomito* opponitur. Hinc Varro apud Nonium cap. VIII. p. 483. *Non vidi simulacrum Leonis ad Idam e loco ubi quondam subito eum, quum vidissent quadrupedem Galli tympanis adeo fecerunt* mansuem, *ut tractarent manibus?* Et Iustinus lib. XV. cap. ult. *Elephantus ferus infinitae magnitudinis ultro se obtulit, et veluti domita* mansuetudine *eum tergo excepit*. Ista autem *mansuetudo* quam propria Equi sit nemo non videt. Unde sensus est. Natura haud nos tam indociles fecisset, freni impa-

Et adesset Homini sua tamen solertia (17).
Nimirum (18) in Coelo secum ridet Iupiter (19),
Haec quia negavit (20) magno consilio hominibus,
Ne

patientes, omni legi repugnantes, monitoribus et magistris asperos: sed potius placidam illam *equi* docilitatem tribuisset, qui etsi ardens, acer, velox, tam facile tamen voluntati hominis paret, et dicto nutuique obediens est, tam libenter regi, gubernarique ab aliis patitur.

(17) *Sua solertia*. Quae sibi propria est, qua ab aliis animantibus discernitur. Nil autem satius quod proprium est hominum prae brutis significat, quam *solertia*. Etenim *solertia* habitus animi est, quo ea omnia quae delectant et iuvant facile et celeriter invenimus, atque in usus nostros accommodamus, et mala arcemus et pellimus: vel ipsa est humana ratio, qua, ut ait Cicero I. de offic. c. 4. *Homo consequentia cernit, principia et caussas rerum videt, earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, et rebus praesentibus adiungit atque adnectit futuras, facile totius vitae cursum videt, ad eamque degendam praeparat res necessarias*. Scilicet *solertia*, ut verbum sonat, omnium artium scientia est. Fit enim ab Osco *solus* vel *sollus*, totus, omnis ut Festus ait, et *ars*. Ideo Terentius in Eunuch. III. 2. v. 25.

. . *Fac periculum in literis,*
Fac in Palaestra, in Musicis, quae liberum
Scire aequum est adolescentem solertem *dabo*.

De humana autem solertia vide potissimum Virgil. I. Georg. v. 133. et Manilium I. v. 79. et seqq.

(18) *Nimirum*. Hinc initium sumit sublimis et nobilissima Auctoris retractatio, quae una sat est, ut eum inter veteres nec imi subsellii Philosophos collocemus. Nil fortasse sublimius et Iove dignius ab antiquis Poetis scriptum fuit.

(19) *Ridet Iupiter*. De stultitiâ et audaciâ nostrâ, quod tam indebita et inconvenientia petamus. Risus autem haud dedecet Iovem, qui ipse humanâ figurâ praeditus putabatur. Unde Virgil. etiam I. Aen. v. 256. *Olli* subridens *Iupiter*. Tibullus lib. III. Eleg. 6. v. 43.

Iupiter ex alto periuria ridet *amantum*.

Et Noster in vulg. lib. I. fab. 2. v. 12. *Pater Deorum risit*.

(20) *Haec quia negavit*. Dotes nempe istas et commoda brutorum animantium. Elephantis vires, Leonis impetum etc. Loco *quia* in Codice est *qui*. Attamen levem hanc immutationem nobis permisimus, primum quod το *qui* Iovem a *Natura* alium facere videtur, quod contra mentem Auctoris est, qui eos unum idemque tenet, quum hominis opificium *naturae* in v. 1. *Iovi* in 12. tribuat. Secundo το *quia* caussam, rationemque aperit, qua rideat Iupiter, et profecto palam est caussam risus requiri. Ceterum Lector omnino iudicio suo utatur.

(21) *Sec.*

Ne sceptrum Mundi (21) raperet nostra audacia (22).

Er-

(21) *Sceptrum Mundi*. Imperium, dominium Mundi, quod unius Iovis est proprium. Mundus dicitur tota rerum universitas, quidquid omnino est. Vitruvius lib. IX. c. 4. Mundus *est omnium naturae rerum conceptio summa, coelumque sideribus conformatum*. Ovidius V. Fastor. v. 11.

Post Chaos ut primum data sunt tria corpora Mundo,
Inque novas species omne recessit opus.

Sceptrum autem proprie virga, scipio, fuit a Graeco σκηπτεσθαι inniti, incumbere. Porro virga Regum et Principum. Hinc sumtum ut dominationis et imperii symbolum, et tandem egregiâ metaphorâ pro ipso dominio atque imperio, ut hoc loco. Ita Virgilius I. Aen. v. 257.

Hic pietatis honos, sic nos in sceptra reponis.

IX. v. 267.

Si vero capere Italiam, sceptrisque potiri
Contigerit victori.

X. v. 852.

Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis.

Summum autem Mundi imperium eiusque propterea sceptrum uni Iovi tribuebatur. Virgil. I. Aen. v. 233.

. . . . *O qui res hominûmque Deûmque*
Aeternis regis imperiis et fulmine terres.

Cicero III. de Leg. c. 1. *Lex est imperium sine quo nec domus ulla, nec Civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum Natura omnis nec ipse Mundus potest, nam et hic Deo paret, et huic obediunt maria terraeque et hominum vita iussis supremae legis obtemperat*. Tum Ovidius lib. I. Metam. v. 178.

Celsior ipse loco (Iupiter)
Sceptroque innixus eburno
Terrificam capitis concussit terque quaterque
Caesariem.

Claudianus de secundo Consul. Stilicon. v. 210.

Seu Sceptrum *sublime* Iovis,
seu Pallados ambis
Egida.

Et Svetonius in August. c. 94. *Videre visus est Filium mortali specie ampliorem cum fulmine et* Sceptro, *exuviisque* Iovis *opt. maximi*.

(22) *Raperet nostra audacia*. *Rapere* est contra ius fasque, per vim et iniuriam auferre. Sic Tacitus III. Histor. c. 19. *Imperium rapere*: et Seneca Hercul. Fur. v. 309.

Ego rapta *quamvis* sceptra *victrici geram*
Dextrâ.

Audacia nostra nos nempe homines genus audax, temerarium, praeceps: Unde sensus est. Egregio certe consilio et summa ratione Iupiter dotes illas brutorum animantium hominibus denegavit. Nam si dedisset hi genus audax et arrogans ipsum imperium Mundi affectassent, et pellere regno Iovem conati fuissent. Haud dissimiliter Horatius Carm. I. Od. 3. v. 25.

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Et

Ergo contenti munere invicti Iovis (23),
Fatalis (24) annos decurramus (25) temporis;

Et mox. v. 27.

Nil mortalibus arduum est;
Coelum ipsum petimus stultitia: neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iovem ponere fulmina.

(23) *Contenti munere invicti Iovis*. Dotibus nempe, commodis, quibus Iupiter nos instruxit. Similiter in vulg. Auctor lib. III. fab. 18. v. 13.

Omnesque propriis sunt contentae dotibus.

Munus autem donum est, quod gratuito et beneficii loco datur. Horatius IV. Od. 3. v. 21. ad Melpomenem:

Totum muneris *hoc tui est,*
Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae.

Ovidius I. Trist. Eleg. 6. v. 6.
Si quid adhuc ego sum muneris *omne tuum est.*

Et XIV. Metam. v. 124.
Numinis instar eris semper mihi, meque fatebor
Muneris *esse tui.*

Ideoque patet Auctorem habuisse Iovem supremum hominum conditorem, unde in vulg. lib. III. fab. 17. v. 10. eum revera *hominum Satorem* appellavit, et propterea unum idemque cum *Natura* putavit, ut non semel superius diximus. Eum autem plane apposite *invictum* dixit, ut notaret quam stulte homines cum Deo contenderent, et quam insipienter sceptrum eius affectarent, quod rapi nulla vi potest. Horatius etiam dixit III. Carm. Od. 27. v. 73.

Uxor invicti Iovis *esse nescis.*

Ovidius V. Fast. v. 126. de Iove:

Ille ubi res Coeli tenuit, solioque paterno
Sedit, et invicto *nil Iove maius erat.*

Sic et VI. v. 650.

(24) *Fatalis temporis*. A Fatis scilicet nobis constituti, cui nos nec addere quidpiam, nec detrahere possumus. Hoc sensu etiam Tibullus lib. I. Eleg. 3. v. 53.

Quod si fatales *iam nunc explevimus* annos.

Et Lucanus lib. IX. v. 87.
Me quum fatalis *letho damnaverit* hora.

Fatum autem Veteribus ineluctabilis quaedam rerum necessitas erat, necessariaeque leges ex interiore Mundi ordine manantes, quibus et ipsi Dei essent obnoxii. Apud Herodotum lib. I. c. 91. Pythia in quodam Oraculo: *Nec ipse quidem Deus*, ait, *quae Fati lege decreta sunt effugere potest*. Vetus Poeta apud Ciceronem II. de Divin. c. 10.

Quod fore paratum est id summum exsuperat Iovem.

Virgilius VIII. Aen. v. 398.
Nec Pater omnipotens Troiam, nec Fata vetabant
Stare.

Et X. v. 112.
. . . . *Rex Iupiter omnibus idem,*
Fata viam invenient.

Ovidius IX. Metam. v. 422. Iovem dicentem inducit: *Me quoque Fata regunt.* Similia III.

24 Nec plus conemur (26), quam sinit mortalitas (27).

FA-

Amor. IX. v. 2. scribit: Tum Martialis lib. IX. Epigr. 87. Et Noster in vulg. lib. IV. fab. 10. v. 18. ac lib. V. fab. 6. v. 5. Attamen in nostrae Fabellae loco recte *Fatum* sumi potest pro fixa et constanti ipsius Iovis voluntate, qui ut ceteras dotes homini concesserat, sic vitae quoque spatium terminumque praestituerat. Certe *Fatum* dixerunt Veteres Deorum et ipsius Iovis pariter voluntatem. Virgilius VII. Aen. v. 293. Iunonem dicentem inducit:

Heu stirpem invisam, et Fatis *contraria nostris*
Fata Phrygum.

Et v. 50.

Filius huic Fato *Divûm, prolesque virilis*
Nulla fuit.

Lib. IV. v. 614.

Et si Fata *Iovis poscunt, hic terminus haeret*.

Et Noster in vulg. lib. IV. fab. 19. v. 10. Draconem dicentem inducit:

. . . . *Hoc a summo mihi*
Iove *attributum est* . . .
. . . *Sic* Fatis *places*.

(25) *Annos decurramus*. Elegantet. Sic in vulgat. Noster lib. III. fab. 20. v. 1.

Qui natus est infelix non vitam modo
Tristem decurrit.

Et Propertius lib. II. Eleg. 12. v. 41.

Qualem si cuncti velint decurrere vitam.

(26) *Nec plus conemur*. Nec laboremus adfectare plura, nec alia stulte quaeramus. *Conari* hîc est niti, contendere, laborare, quo aliquid negatum vel obtentu difficile consequamur. Magno nempe conatu velle, magnis viribus petere, et adfectare ut adsequamur. Cicero Divin. in Verr. c. 14. *Numquam ingenio me suo labefactare aut infirmare* conabitur. Pro Quint. c. 20. Conaris *hoc dicere*? In Catil. II. c. 9. *Disperant se id quod* conantur, *consequi posse*.

(27) *Mortalitas*. Conditio humana, ratio et lex, qua homines sumus. Cicero ad Octavian. c. 18. *Sunt tibi supra* mortalitatem *omnia tributa*. Iustinus lib. XII. c. ult. *Profecto maius humana* mortalitate *opus utero tulit*.

(*) In

FABULA III.

Mercurius et duae mulieres (*).

Mercurium (1) quondam (2) hospitio mulieres duae
Illiberali et sordido (3) receperant:

Qua-

(*) In Promythium huius fabellae scribi forte potest:
Malum plerumque non beneficium sibi
Arcessit, stultè qui plus aequo petierit.
Haec vero Perottus: *Non esse plus aequo petendum*. Quae ex genuinis Phaedri versiculis sumta videntur. Nam *petere* pro *rogare* praeter Ciceronem VI. Verr. c. 29. et alios, ipse Phaedrus saepius usurpat. Lib. I. fab. 2. v. 11.
Clamore magno regem petiere *a Iove*.
Lib. III. Prolog. v. 63.
Candore noto reddas iudicium peto.
Lib. IV. fab. 25. v. 8
Brevitatis nostrae praemium ut reddas peto.
Praeterea Lucretius lib. III. v. 314. *clementius* aequo. Lib. IV. v. 561. *longius* aequo. III. v. 965.
At qui obitum lamentetur miser amplius aequo.
Horatius I. Satyr. 3. v. 52. Plus aequo *liber*. I. Epist. 2. v. 29. *In cute curanda* plus aequo *operata iuventus*. Tandem *arcessere malum* proprie certe ea sententia sumitur. Plautus Amph. I. 1. v. 171.
Illic homo a me sibi malam *rem* arcessit *iumento suo*.
Quod eo gravius, quia proverbiali modo dicitur.

(1) *Mercurium*. Apposite Mercurius hospitari fingitur apud homines, utpote qui Deorum nuncius saepissime in terris versari credebatur. Ovidius VIII. Metam. v. 626. Servius ad Virgil. Aen. I. v. 539. et X. v. 763. de eo non semel apud homines hospite sunt locuti.

(2) *Quondam*. Haec vox in Codice deest. Ad metrum tamen necessaria, ad sententiam peropportuna videtur. Docti autem viderint an potior alia quaerenda sit.

(3) *Hospitio illiberali et sordido*. *Illiberalis* liberali opponitur, et *liberale* dicitur, quod liberi hominis est, quod ingenuum decet. Apud Veteres autem, quibus servi merae res erant, et tota, ut ita dicam, humanitas in liberis capitibus erat posita, quod pulchrum, quod bonum, quod iucundum *liberale* dicebatur, adversum *illiberale* et servile. Hinc Plauto

B 2 in

Quarum una in cunis parvum habebat filium,
Quaestus (4) placebat alteri meretricius.
Ergo ut referret gratiam officiis parem (5),
Abiturus (6), et iam limen excedens (7), ait:

Deum

in Milit. Glor. IV. 1. v. 20. et Terentio in Andr. I. 1. v. 96. *Ingenium* liberale: Et in Eunuch. III. 2. v. 10. Liberalis *facies*: Et in Adelph. IV. 5. v. 50. ut Plinio in Paneg. c. 49. *Ioci* liberales. *Illiberale* ergo *hospitium* illud est, quo quis veluti servilem in modum receptus est, inurbane, impolite, foedis et inhonestis modis. Ita Cicero II. de Orat. c. 234. *Atqui non nimium liberale hospitium meum dices, nam te simul ac.... extrudam et eiiciam*. Et Plinius lib. XIX. c. 5. *Raphano vis mira laxandi ructum, ob id cibus* illiberalis. *Sordidus* autem hic est *avarus* et *praeparcus*, et ideo turpis et foedus. Cicero I. de offic. c. 42. *Illiberales ac* sordidi *quaestus mercenariorum*. II. c. 6. *Aut postremo pretio aut mercede ducuntur, quae* sordidissima *quidem est ratio et inquinatissima*. Horatius Carm. II. Od. 16. v. 15.

Nec leves somnos timor aut cupido
Sordidus *aufert*.

Et Noster in vulg. IV. fab. 19. vel II. Epitom. fab. 22. v. 9.

Coelum fatigas sordido *periurio*.

(4) *Quaestus*. Ad hanc sententiam veluti proprie sumitur. Ita Plautus Asinar. V. 3. v.63. Cistell. I. 2. v. 2. Rudent. V. 2. v. 58. Terentius Andr. I. 1. v. 52. Hecyr. V. 1. v. 30. Heaut. IV. 1. v. 27. Ovidius IV. Fast. v. 806. et alii plures passim.

(5) *Gratiam officiis parem*. Nempe ut par pari referret, ut sordidissimis illis officiis debitum et meritum hostimentum solveret. *Gratia* a *gratus* proprie est quod gratum et benevolum facit, munus, beneficium. Verum quum pleruinque ut munus muneri, ita maleficium maleficio pensetur, *gratia* generatim quaevis remuneratio et hostimentum fuit. Unde Terentio Phorm.IV. 3. v. 17. et Senecae Rhetori I. Controv. 5. *mala gratia*. Tum idem Terentius Eunuch. II. 3. v. 93.

Nunc referam gratiam, *atque eas itidem fallam ut ab illis fallimur*.

Cicero de Amicit. c. 15. *Quod Tarquinium dixisse ferunt, tum quum exsul esset, se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quosque infidos, quum iam neutris* gratiam *referre posset*. Ad Q. Fratrem II. Epist. 3. *Surrexit Clodius: Ei tantus clamor a nostris* (*placuerat enim referre* gratiam) *ut neque mente, neque lingua, neque oratione consisteret*. Et Noster in vulg. III. fab.2. vel II. Epitom. fab.5. v.1.

Solet a despectis par referri
gratia.

(6) *Abiturus*. Futurum plane proximum. Iam iam abiturus, abiens. Ita fere et illud *abiturus* in vulg. lib.IV. fab.19. v.1.

(7) *Limen excedens*. Supple

do-

Deum videtis (8), tribuam vobis protinus,
Quod quaeque optârit. Mater supplicat, rogans (9)
Barbatum (10) ut videat natum quamprimum suum :
Moecha ut sequatur sese (11) quidquid tetigerit.
Vo-

domus. Synraxis autem recta. Seneca Oedip. v. 23.

Non ego Penates profugus excessi *meos*.

Lucanus L. I. v. 496.

. . . *Velut unica rebus*
Spes foret afflictis patrios excedere *muros*. .

Et VIII. v. 235.

. . . *Nunc Parthia ruptis*
Excedit *claustris vetitam per secula ripam*.

(8) *Deum videtis*. Adest vobis Deus, ego non morralis homo sum, sed Deus. Haud dissimiliter Ovidius l. Metam. v. 701. Panem Syringae dicentem inducit : *Votis cede Dei*. Lib. VI. v. 32. Palladem Arachnae : *Cede Deae* : et XII. v. 601. Apollo Paridi se *fassus est Deum*.

(9) *Mater supplicat, rogans*. Ea scilicet ex mulieribus, quae erat mater, quae habebat filium in cunis. In Codic. est *ro* . . . . Sed V. Lect. nostr. *Supplicat rogans*, idem est ac supplex, supplicirer rogar. Syntaxis autem reprehendi nequit. Nam *supplico* absolute etiam usurpatur. Plautus Curcul. IV. 2. v. 4. *Volo hic in fano* supplicare. Cicero Parad. V. c. 3. *Noctu venire domum* . . . *precari*, supplicare. Tum *supplicare* vi sua non orare, rogare est, sed plicare se, substernere se alicui. Ideoque *supplicat* non est orat rogat, sed fit supplex, supplicis in actum ante Deum se collocat. Unde recte *rogans* subiungitur. Praeterea Noster in vulg. I. fab. 19. v. 6.

Preces admovit tempus exorans breve,
Dum firmiores possit catulos ducere.

(10) *Barbatum*. Qui iam barbam emisisset, primâ barbâ florentem. Veteres haud statim a primis pubertatis annos pueros radebant, sed XXI. vel XXII. aetatis annum expectabant. Quamobrem diu adolescentes floridam quamdam barbulam gestabant. Hinc Cicero l. ad Attic. Epist. 14: *Concursitant* barbatuli *Iuvenes*, *totus ille grex Catilinae*. Ovidius XII. Metam. v. 395.

Barba *erat incipiens*, *barbae color aureus*.

III. Fast. v. 60.

Martia ter senos proles adoleverat annos,
Et suberat flavae iam nova barba *comae*.

Apuleius V. Metam. *Iuvenis lanoso* barbitio *genas inumbrans*. Mater ergo petebat ut filius suus fieret statim adolescens et iuvenis, nec omnes pueritiae aetates percurrere cogeretur. Barba enim naturale adolescentiae et virilitatis signum et symbolum est : nec aliud matres lubentius in filiis suis vident, quam barbam. Martialis XI. Epigr. 23. v. 7. *Mirandaque matri* Barba.

(11) *Sequatur sese*. De viris puto

Volat Mercurius (12), intro redeunt mulieres:
Barbatus infans (13) ecce vagitus ciet (14).
Id (15) forte meretrix quum rideret (16) validius,
Nares replevit humor (17), ut fieri solet.

15 Emun-

puto Auctorem loqui. Quid enim meretrix periisset? Sequor ad hanc sententiam saepius de feminis, unde *secutuleiae* appellatae, usurpatum est, ut ex Virgilio Ecl. X. v. 22. Propertio II. Eleg. 34. v. 8. Ovidio XVI. Epist. Heroid. v. 323 V. v. 77. Valer. Flacco lib. VIII. v. 12. Petron. Arbitro cap. 82. abunde patet.

(12) *Volat Mercurius*. Dictum proprie: nam Mercurius pedibus et capite alis instructus revera per aera, ut volucris, volare putabatur. Virgilius IV. Aen. v. 139.

. . . Mercurius pedibus talaria nectit
Aurea, quae sublimem alis sive aequora supra,
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.

Hinc ab Ovidio II. Metam. v. 714. *Deus ales* appellatus. XI. v. 302. *Alipes*. Et V. Fastor. v. 100. et 662. *Alato qui pede carpis iter*.

(13) *Barbatus infans*. Ille infans qui erat in cunis factus barbatus, emissa longa barba. Mercurius scilicet non ut accipi per symbolum mater volebat, sed ut omnino sonabant ad verbum eas preces perfecit. *Barbatus* autem dici etiam potest, cui succrescit barba, etsi eam radat, verum hic, ut saepius, pro eo sumitur cui prolixa est et promissa barba, eamque gestat et nutrit. Sic Iuvenalis Satyr. IV. v. 103.

Facile est barbato imponere regi.

Et XIV. v. 12.

Barbatos licet admoveas mille inde magistros.

Persius Satyr. IV. v. 1.

Rem populi tractas? Barbatum *hoc crede magistrum*
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae.

(14) *Vagitus ciet*. Nam erat adhuc infans, infantiae annos adhuc non excesserat. *Ciere* autem *vagitus*, est ingeminare vagitus, augere, provocare, graviores et altiores tollere. Eleganter. Ita Virgilius III. Georg. v. 517. *Extremosque* ciet *gemitus Taurus*. IV. v. 64. *Tinnitusque* cie. Et XII. Aen. v. 103.

Mugitus veluti quum prima in praelia Taurus
Terrificos ciet.

(15) *Id*. Ridiculum nempe spectaculum, quod exhibebat infantulus in cunis cum prolixa barba. Infantem barbatum factum.

(16) *Rideret*. In Codic. *ridet*. Sed vid. omnino lect. nostras.

(17) *Humor*. Naturalis humor qui in nares perfluit, mucus, pituita. Cicero II. de Nat. Deor. c. 57. *Nares quae semper propter necessarias utilitates patent, contractiores habent introitus, ne quid in eas quod noceat possit pervadere*, humoremque *semper habent ad pulverem, multaque alia depellenda non inutilem*. Is autem *humor*, quum violentiore motu et agitatione quatimur,

ve-

Emungere igitur se volens (18), prendit manu
Traxitque ad terram nasi longitudinem (19);
Et alium ridens ipsa ridenda (20) extitit.

FA-

veluti ex risu vehementiore copiosius in naribus congeritur. Svetonius de Claud. in vit. c. 30. *Risus indecens, ira turpior, spumante rictu*, humentibus *naribus*.

(18) *Emungere igitur se volens*. Meretrix nempe quum vellet collectam pituitam extergere, quum vellet nasum illis immunditiis purgare. Haec enim vis et usus verbi *emungere*. Plautus Casin. II. 6. v. 39.

At tu ut oculos emungare *ex capite per nasum tuos*.

Varro apud Nonium cap. VII. p. 471. *Eam sunt consecuti corporis siccitatem, ut neque spuerent, neque se* emungerent. Auctor Rheror. ad Herenn. lib. IV. c. 54. *Quiesce tu cuius pater se cubito* emungere *solebat*. Sveton. in vit. Horat. c. 1. *Quotiens vidi patrem tuum cubito se* emungentem. Iuvenalis Satyr. VI. v. 145. *Iam gravis es nobis et saepe* emungeris. Martialis lib. VII. Epigr. 36.

Turpis ab inviso pendebat stiria naso . . . .
Emungi *misero*, *Castrice*, *non licuit*.

In Codic. *E . . ngere . g . . . . t . . . . . . ns*. Sed vide omnino lectiones nostras.

(19) *Prendit manu, traxitque ad terram nasi longitudinem*. Sensus est: quum meretrix vellet emungere se prehendit manu nasum; sed quum pollicitus ei fuisset Mercurius, se facturum ut eam sequeretur quidquid tetigisset, nasus manum tangentem se trahentemque statim est subsecutus, et quoniam meretrix pituitam usque ad terram proiiciebat, nasus quoque longior semper evadens usque in terram productus est. Quamobrem haud puto an haec brevius, maiorique artificio dici possint ac Auctor noster fecit. Nasus veluti sub oculis nostris et momento temporis tam longus fit ut ad terram pertingat. In vulg. lib. I. fab. 8. v. 8. legitur:

Gulaeque credens colli longitudinem:

quem versiculum mire quantum laudabat elegantissimus Rollinius: De la maniere d'etudier les belles lettres. Tom. I. ch. 3. Sed locus fabellae nostrae isto est dubio procul artificiosior.

(20) *Ridenda*. Ob nasum tam longum, ob tam ridiculam turpitudinem.

(1) *Pre-*

FABULA IV.

Prometheus, *et Dolus*.

Olim Prometheus (1) seculi figulus novi (2)
Cre-

(1) *Prometheus*. Prometheus in Graeca Mythologia celeberrima persona est, ut vulgo notum. Eum nonnulli inter Heroas tantummodo recensent, alii vero ut Aeschylus in Prometh. Vinct. v. 308. 477. etc. Sophocles in Oedip. Colon. v. 59. Catullus in Argon. Carm. LXV. v. 294. Lucianus in Prometh. Diis potius accensent. Omnes tamen ut prudentem, versutum, callidum, multis artibus instructum exhibent. Vide Hesiod. Theogon. v. 521. 616. et Erg. v. 48. Catull. loc. cit. Horat. II. Od. 18. v. 35. Q. Calabr. Paralip. V. v. 338. Oppian. de Piscat. V. v. 7. aliosque plures: sed potissimum Aeschylum, qui ipsum Prometheum iactantem inducit se omnes artes scientiasque hominum invenisse.

(2) *Seculi figulus novi*. Hunc locum iam in Lect. nostr. in Codic. copiose interpretati sumus. Iuvat tamen hîc non paucis additis vel detractis nonnulla adoptare. *Seculum* vulgo est certus annorum numerus, definitum temporis spatium, aetas; qua de re singillatim Censorinus de Die natali cap. 17. Attamen si hîc ista potestate sumatur, quae esse potest versiculi sententia? Quid sibi vult *figulus novae aetatis*: quae ista nova aetas? Nempe Iovis? At Prometheus et sub Saturno floruerat, ut ex Aeschylo patet. Et cur Iovis aetas diceretur κατ'ἐξοχὴν *nova*? Tum quomodo Prometheus absolute *figulus*, faber nempe vasorum, signorumque ex creta? Quid, et alii figuli veteris aetatis extiterunt? Sed *seculum* fuit Latinis etiam soboles, progenies, genus. Lucretius Carus qui voce hac frequentissime utitur ad istam unam fere potestatem semper usurpat. Ita lib. I. v. 458. V. v. 340. secla *hominum*. I. v. 1090. V. v. 789. 986. *E terra vesci mortalia* secla. I. v. 20. II. v. 173. 1078. V. v. 848. *propagare* secla. V. v. 1020. *muliebre* seclum. II. v. 994. 1095. etc. secla *ferarum*: et similia passim. Terentius Eun. II. 2. v. 15.

Olim isti fuit generi quondam quaestus apud seculum *prius*.

Catullus Carm. XLIII. v. 8.

O seclum *insipiens et infacetum!*

Virgilius Georg. I. v. 468.

Impiaque aeternam timuerunt secula *noctem*.

Horatius III. Od. 6. v. 17.

Fecunda culpae secula!

Manilius II. v. 43.

Ecce alias pictas volucres, et secla *ferarum*.

Martialis IX. Epigr. 28. v. 9.

Et

Creta subtili (3) Veritatem fecerat (4),

Ut

Et cum theatris, seculoque *rixaris*.

Statius XI. Theb. v. 591.

. . *Interea longum cessante* (Charonte) *Magistro*
Crescat opus, *totisque expectent* secula *ripis*.

Arnobius lib. VII. p. 189. *Qua reticere cibos et referre natura est ruminatoribus* seculis: et lib. I. p. 17. *Et*, *iamdudum nos cupere mortalium submovere de* seculis. Et haec quidem prima et genuina vocis potestas. Nam quum idea temporis abstractissima sit, nec gignatur nisi ex motus et successionis ideis, fit ut voces quae illud exprimunt, antea motus, vel successiones expresserint. Et re quidem vera *seculum* a *sequor*, quod *secor* factum omnino videtur, ut perspicue ex Censorino loc. cit. colligitur, et ab Isidoro lib. V. Orig. c. 35. omnino docetur. Praeterea notum est Veteres fabulatos fuisse, quod Prometheus, ut figulus ex luto vasa et sigilla, ipse simili pacto primos omnino homines finxisset, qua de re plurimos Auctores adduximus in cit. Lect. nostr. Quamobrem Prometheus recte dici potest figulus vel fictor hominum. Et quoniam etiam fingitur tum finxisse homines, quum iam cetera animantia extitissent, ideo homines *novum* fuerunt animantium genus, *novum* nempe *seculum*. Sententia igitur versiculi esset: Quondam Prometheus quum finxisset novum animantium genus, genus nempe hominum. Quod quidem maxime, ut arbitror, firmat illud quod sequitur v. 3. nempe *inter homines*. Si hîc homines Iovis opus et figmentum fuissent, quid Prometheus Veritatem illam faceret, vel cur opus quod maxime placere Iovi debebat abrumperet? De Promethei ergo hominibus loquitur certe Auctor. Sed si loquitur, quî fieri potest, ut id antea iam non innuisset? Igitur *seculum novum*, hominum genus est a Prometheo fictum.

(3) *Creta subtili*. Utpote figulus. Columella lib. X. de R. R. v. 59.

Ista Prometheae genitrix fuit altera cretae.

Subtilis hic est tenuissima, pura, sincera, optima. Recte ad hanc sententiam. Plinius lib. XVIII. c. 7. Subtilis *farina*. Cap. 13. *Raporum semen praestantius*, *quo* subtilius. Lib. XI. c. 5. *Mella contrahunt apes*, *succum dulcissimum*, *atque* subtilissimum.

(4) *Veritatem fecerat*. Signum nempe, quod futurum erat *Veritas*, quemadmodum iam signum hominis finxit, quod infuso deinceps spiritu factum est *homo*. Iamdiu autem Veteres personam *Veritati* tribuerant, Fabellaque aesopia in Florentina Collectione a docto Viro Francisco de Furia curata num. 364. legitur, qua fingitur Viatorem offendisse Veritatem in deserto loco habitantem. Tum multi locuti sunt de illo Veritatis sigillo, quod Aegyptii Iudices in pectore gestabant. V. Ioan. Nicol. de Synedr. Aegypt. c. 5. *Fecerat* autem proprie. Plinius lib. XXXIV. quo de similibus artibus loquitur, uno terme hoc verbo utitur. Cap. 8. *Phidias* fecit *ex ebore Minervam*. etc. etc.

(5) *Iu-*

Ut iura posset inter homines reddere (5).
Subito accersitus nuntio (6) magni Iovis.
Commendat officinam (7) fallaci Dolo (8),
In disciplinam nuper quem receperat (9).
Hic studio accensus (10), facie simulacrum pari (11),
Unâ

(5) *Iura reddere*. Iustitiam ministrare. Ovidius I. Fast. v. 251.

Nullus erat iustis reddere iura *labor*.

IV. ex Pont. VII. v. 2.

Ut positis reddas iura *sub axe locis*.

Statius I. Silv. 4. v. 47.

Reddere iura foro.

Et Noster in vulg. IV. fab. 12. v. 8.

Sancta incorrupta iura reddebat *fide*.

(6) *Subito accersitus nuntio*. Proprie. Cicero I. ad Attic. Ep. 18. *Te expectamus, te desideramus, te etiam* accersimus. VI. Verr. c. 115. Accersitus *Praetoris* nuntio. Auctor autem de ipso Prometheo in vulg. IV. fab. 14. v. 8.

Ad cenam est invitatus subito *a Libero*.

(7) *Commendat officinam*. Quia mox profecturus ad Iovem. *Officina* quasi *opificina* locus est, qua fabri artificesque opera sua faciunt. Unde Plinio lib. XXX. c. 10. officina *Pictorum*, c. 12. officina *Plastarum*, lib. XVI. c. 6. officina *Aerariorum*: et ita porro.

(8) *Fallaci Dolo*. Dolus hîc personam habet, et est Promethei discipulus. Valer. Flaccus lib. II. Argon. v. 204.

Et Dolus, *et Rabies, et Lethi maior imago*

Visa truces exserta manus.

Et Plinius lib. XXXV. c. 11. scribit Aristophontem pictorem tabulam fecisse qua cum Priamo, Helena, Ulysse Dolus etiam exhibebatur. Sed vid. si lubet, lect. nostras.

(9) *In disciplinam receperat*. Ut figlinum suum eum perdoceret, ut eam artem discipulus addisceret. Ita Cicero I. de Div. c. 42. dixerat: *tradere filium alicui* in disciplinam. Caesar VI. de B. Gall. c. 13. *Convenire* in disciplinam. Svetonius de claris Grammat. c. XIII. *Sunt qui tradant Laberium Hieram tanta cum honestate praeditum, ut temporibus Sullanis Proscriptorum liberos gratis et sine ulla mercede* in disciplinam receperit.

(10) *Hic studio accensus*. Dolus nempe vehementi cupiditate inflammatus imitandi aemulandique illud Promethei opificium. Cicero IV. Acad. quaest. c. 20. *Ardere* studio *veri inveniendi*. II. de Orator. c. 10. Incensus studio *dicendi*. Pro Rosc. Amer. c. 17. *Ipsi* incensi *sunt* studio, *quod ad agrum colendum attinet*. Cornel. Severus in Aetna v. 87.

Nunc opus artificem incendit, *caussamque reposcit*.

(11) *Facie simulacrum pari*. Signum nempe Veritati a Magistro fictae quam simillimum, simulacrum Veritatis. Nam *simulacrum* a τῶ *similis*, est imago alicuius rei simillima. Unde Cicero pro Arch. c. 12. *Statuae et imagines non animorum* simula-

la

Unâ staturâ (12), simile et membris omnibus,
Dum tempus habuit (13), callida finxit manu (14).
Quod prope iam totum (15) mire quum positum foret (16),

Lu-

lacra. *sed corporum*. Plinius lib. V. Hist. nat. c. 5. *Gentium et urbium* simulacra. Tacirus II. Ann. cap. 41. *Vecta* simulacra *montium, fluminum, praeliorum.* Et Noster in vulg. I. fab. 4. v. 3.

Limpharum in speculo vidit simulacrum *suum*.

Facies aurem etsi non raro pro totius corporis habitu, figuraque sumatur, quod alibi observabimus, hîc tamen pro vultu, ut saepius, usurpatur. Cicero II. Philip. c. 16. *Velim mihi dicas C. Tursellius qua* facie *fuerit, quâ staturâ*. Plinius lib. VII. c. 1. *Iam in* facie *vultuque nostro decem aut paullo plura membra sunt*. Et XI. c. 37. Facies *homini tantum, ceteris os aut rostra*. *Par* tandem non magnitudinem modo spectat, sed absolutam similitudinem. Ovidius II. Fast. v. 758.

Et facies *animo dignaque* parque *fuit*.

Lib. VI. v. 804.

In qua par facies *nobilitate sua*.

Et Noster in vulg. III. fab. 13. aut II. Epit. fab. 15. v. 6. Par *est color*.

(12) *Unâ staturâ*. Plane aequali, eâdem; ut statura in utroque signo, una eademque foret. Sic Ovidius I. Metam. v. 6. II. v. 13. Una *facies*. III. Art. v. 772. Una *figura*. III. ex Pont. 9. v. 84. Unus *vultus*.

(13) *Dum tempus habuit*. Id apposite additum, ne quis putaret plane absolutum fuisse a Dolo simulacrum, quod *omnibus membris* simile dictum fuisset. *Omnibus* enim non simulacrum spectat, sed tempus, perinde ac Auctor scripserit, fecit simile et aliis membris omnibus, quae potuit per tempus perficere.

(14) *Callida finxit manu*. Doctâ nempe et peritâ; finxit eleganti et solerti opere, egregio artificio. *Callidus* vulgo est vafer, astutus, versutus; sed non raro doctus, artis alicuius prudens, peritus, gnarus. Quae prima vocis potestas est. Cicero III. de nat. Deor. c. 10. Callidus *proprie appellatur is, cuius tamquam manus opere, sic animus usu concalluit*. Unde idem Cicero I. Tuscul. Quaest. c. 20. *Artificium Naturae* callidissimum dixit. Et Horatius de Art. v. 47. Callida *iunctura*.

(15) *Quod prope iam totum*. Quod simulacrum fere, ferme integrum. Cicero VII. ad Famil. Ep. 28. Prope *desperatis his rebus*. Horatius III. Carm. Od 8. v. 7. Prope *funeratus arboris ictu*.

(16) *Mire positum foret*. Miro artificio fictum, confectum fuisset. *Ponere* ad hanc sententiam plane eleganter sumitur. Horatius IV. Od. 8. v. 6.

Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus

Sol-

Lutum (17) ad faciendos illi (18) defecit pedes. Rediit Magister (19), festinante quo (20) Dolus Metu turbatus (21) in suo sedit loco (22).

Mi-

Sollers nunc hominem ponere, *nunc Deum*.

Et Art. Poet. v. 34. *Qui* ponere totum *nesciet*. Ovidius VI. Metam. v. 116. de Arachne.

Te quoque mutato torvo, Neptune, iuvenco

Virgine in Aeolia posuit.

Similia lib. VIII. v. 160. ill. Art. v. 401. Ausonius Epist. XI. etc.

(17) *Lutum*. Hic pro creta usurpatur et argilla figuli, non pro coeno, limoque, quo sensu vox sumta est lib. I. v. 4. Tibullus l. Eleg. I. v. 31.

Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto.

Persius Satyr. III. v. 23.

Udum et molle lutum es, *nunc nunc properandus et acri*
Fingendus sine fine rotâ.

Martialis VIII. Epigr. 6.

Ficta Saguntino Cymbia malo luto.

Et ipsum Prometheum spectans X. Epigr. 39.

Ficta Prometheo diceris esse luto.

Ut Iuvenalis pariter Satyr. XIV. v. 34.

. . . . *Quibus arte benignâ*
Et meliore luto *finxit praecordia Titan*.

Putarem tamen datâ operâ Auctorem *lutum* hîc non *cretam* adhibuisse, ut innueret simulacrum Doli non ex illa subtili et optimâ creta, qua Veritas, sed ex vulgari luto, argillave confectum.

(18) *Illi*. Simulacro scilicet. Haud enim videtur legendum *defecit illi*, nempe Dolo, quum sententia, ut puto, minus apta exsurgat. *Deficio* autem saepe absolute usurpatur. Ovidius VIII. Metam. v. 492. Deficiunt *ad coepta manus*. III. Amor. 7. v. 32. Deficiunt *aquae*. II. ex Pont. 7. v. 75. Deficiunt *omnia*.

(19) *Rediit Magister*. Prometheus nempe, qui Magister erat Doli.

(20) *Festinante quo*. Quo Magistro festinante. Puto autem is am festinationem haud significare, quod Prometheus festinanter Iovis iussa exsecutus fuisset, ac statim et praepopere ad officinam se contulisset, sed potius, quod Dolo, qui simulacrum suum perficere cupiebat eius reditus nimis festinus et subitus visus fuisset. Sic nos saepe festinos, tardosve dicimus non eos qui ad nos revera festinant, vel tardant, sed quos cupimus ut tarde, vel festinanter ad nos veniant.

(21) *Metu turbatus*. Scilicet poenae, quam promeritus fuerat, tantam rem furtim molitus, et quod Magistrum ipsum aemulari ausus fuisset. Caesar autem II. B. Civ. c. 12. *Inopinato malo* turbari. Ovidius XV. Metam. v. 517. Turbari *metu monstri*.

(22) *In suo sedit loco*. In loco nempe, quem discipulum decebat. Nam simulacrum fingens Magistri certe locum, et instrumenta omnia artis occupasse aequum est.

(23) *Tan-*

Mirans Prometheus tantam similitudinem (23)
Propriae videri voluit artis gloriam (24)
Igitur fornaci (25) pariter duo signa (26) intulit:
Quibus percoctis (27), atque infuso spiritu (28),
Mo-

(23) *Tantam similitudinem*. Quae nempe inter Veritatem suam, et Simulacrum Doli intercedebat.

(24) *Propriae videri voluit artis gloriam*. Voluit ut omnes nossent, et viderent quantum artificium suum alteri praestaret, quam ingens discrimen inter Veritatem et Simulacrum revera intercederet, etsi tam similes invicem apparerent. *Ars* hîc iterum est artificium, ut supra in Prolog. v. 13. Sic Plinius lib. XXXIV. c. 7. *Duo pocula Zenodorus manu coelata aemulatus est, ut vix ulla differentia esset* artis. Lib. XXXV. c. 10. *Apellis tantum equo adhinnivere inductae equae, idque postea semper illius experimentum* artis *ostentatur*. *Gloria* autem *artis*, est operis, laboris, artificii praestantia, nobilitas, unde magna gloria habetur, et quis gloriari se possit, et tolli ab aliis laudibus. Plinius loc. mox cit. *Fecundus artifex Parrhasius, sed quo nemo insolentius, et arrogantius sit usus* gloria artis.

(25) *Fornaci*. Notum est figulos omnia vasa et signa sua in fornacem inferre, ut coquantur. Secus nullum fere eorum esset usus.

(26) *Pariter duo signa*. Unâ, simul, ut uno eodemque igne utrumque coqueretur, et artis suae gloria certior fieret. Recte autem tum statua, quae fieri debebat *Veritas*, tum Simulacrum dicuntur *signa*. Nam illa adhuc non erat *Veritas*, sed signum, imago tantummodo Veritatis. Praeterea statuae mutilae, imagines non absolutae nec integrae recte etiam dicebantur *signa*, et propterea a statuis secernebantur. Plinius Caecil. I. Epist. 20. *Vides, ut statuas, signa, picturas, hominum denique multorumque animalium formas amplitudo commendet*. Cato apud Gellium III. c. 7. *Decoravere monimentis*, signis, *statuis*, *elegiis*, *historiis*.

(27) *Quibus percoctis*. Quibus signis iam perfecte, ut par erat, coctis. Lucretius V. v. 1253. *Ardor terram* percoxerat *igni*. Et VI. v. 722. et 1107. Percoctaque *secla calore*.

(28) *Atque infuso spiritu*. Supple *in eis*. Spiritus, anima, principium sensus, motus, quod sentiens et animatum reddit corpus. Virgilius lib. VI. v. 720.

Lucentemque globum Lunae Titaniaque astra
Spiritus *intus alit*, *totamque* infusa *per artus*
Mens *agitat molem*.

Et de ipso Prometheo Horatius I. Od. 16. v. 13.

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactum particulam undique
Desectam, et insani Leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

Apud Ovidium porro I. Metam. v. 363.

Modesto gressu sancta incessit (29) Veritas:
At trunca species (30) haesit in vestigio (31).
Tunc falsa imago (32), atque operis furtivi labor (33),

Men-

v. 363. sic loquitur Deucalion Promethei filius.

O utinam possim populos reparare paternis
Artibus, *atque* animas *formatae* iufundere *terrae*.

Et Fulgentius lib. II. Mytholog. c. 9 *Prometheum aiunt hominem ex luto finxisse, quem quidem inanimatum et insensibilem fecerat: qui clam ferulam Phoebiacis adplicans rotis ignem furatus est, quem pectusculo hominis applicans animatum reddidit corpus*.

(29) *Incessit*. Proprie ad maiestatem et dignitatem gressus, quae verbi potestas est. Propertius lib. II. Eleg. 2. v. 57.

Fulva coma est, longaeque manus, et maxima toto
Corpore, et incedit *vel Iove digna soror*.

Virgilius I. Aen. v. 5C. *Ast ego quae Divûm incedo regina*. Et v. 409. *Et vera* incessu *patuit Dea*.

(30) *Trunca species*. Simulacrum nempe quod Dolus fecerat. Nam pedibus carebat. *Signa* autem recte dicuntur *species*. Cicero in Carm. de suo Consulat. in lib. I. de Divinat. c. 12.

Ni post excisum ad columen formata decore
Sancta Iovis species *claros spectaret ad ortus*.

Et paullo post:

Haec tardata diu species . . .
celsa est in sede locata.

Et proprie, ut puto, *simulacra*, quae vere habent alterius *speciem*. Plinius lib. XX. c. 19. *Foliis si procul intuearis* speciem *passerum* praesentantibus. Cicero Verr. VIII. c. 58. *Duo signa eadem* specie *atque forma*.

(31) *Haesit in vestigio*. Fixa et immobilis in vestigio, in loco suo mansit, de loco suo movere se non potuit, incedere ut Veritas nequivit. Auctor Rhetor. ad Herenn. III. c. 15. *stare* in vestigio. Plinius lib. VIII. cap. 30. de Hyena: *Et quibusdam magicis artibus omne animal quod ter lustraverit* in vestigio haerere. Curtius lib. IV. c. 14. Haerere *in eodem* vestigio.

(32) *Falsa imago*. *Falsa* imago hic non est imago, quae male, imperfecte, perverse exemplar suum exhiberet et exprimeret. Nam oppositum plane superius statutum est: Sed fallax, deceptrix, quae Veritatis similitudine in errorem induceret, quae vis est vocis *falsus*. Cicero II. de Divinat. c. 11. *Testes aut casu veri, aut malitiâ* falsi. C. 62. Falsa *et mendacia visa*. II. de Orat. c. 45. *Nihil nisi* falsum *et imitatione simulatum*. Catullus ad Alph. Carm. 30. v. 1.

Alphene immemor, atque unanimis false *sodalibus*.

Ovidius Epist. Her. VII. v. 67. falsae *periuria linguae*.

(33) *Operis furtivi labor*. Signum, simulacrum opere clandesti-

Mendacium appellatum est (34), quod nequiverit (35)
Pedes habere facile quibus incederet (36).

FA-

stino, labore furtivo fictum a Dolo. *Labor* autem hîc est ipsum signum et simulacrum, quod elaboratum fuerat. Sic Tibullus II. Eleg. I. v. 63.

Hinc et femineus labor, *hinc pensa colusque*.

Ovidius IV. Metam. v. 23. *Feminei* labores. Trist. II. v. 11. *Vigilati* labores. Valer. Flacc. II. v. 409.

Dona Duci promit clamydem, textosque labores.

Et Noster supra Prolog. v. 8.

Quod si labori *faverit Latium meo*.

Et v. 15.

Sin autem doctus illis occurret labor.

Opus vero est ars, artificium, opera in fingendo signo posita. Cicero pro Marcell. c. 4. *Nihil est* opere *aut manu factum, quod aliquando non conficiat et consumat vetustas*. VIII. Verr. c. 14. *Hydria Boëti manu facta praeclaro* opere. Et cap. 21. *Haec autem omnia antiquo* opere, *et summo artificio facta*.

(34) *Mendacium appellatum est*. Nomine scilicet *Veritati* adverso et opposito; Et quod omnino naturam eius et hanc originem ei ab Auctore adstructam probaret.

(35) *Quod nequiverit*. *Quod* hîc est particula caussalis, nempe quoniam, propterea quod: Et recte. Nam *mendacium* a *menda* est, et *mendas* dicebant Veteres brachium brevius, crus decurtatum, pedem pravum, et similia. Unde simulacrum Doli *mendacium* erat, quum mendam haberet, quum deessent pedes. Sed haec latius in Lect. nostris persecuti sumus.

(36) Quoad duos hos postremos versiculos, quae ex Codice colligi possunt haec sunt:

Mendacium appellatum est quod ne . . .
Pedes habere f . . . le ipse c . . . s . n . . .

Sed videndae sunt Lectiones nostrae, in quibus non pauca ad hanc rem disseruimus. Verumtamen absumus, ut putemus vel hanc coniectionem quam hîc modo protulimus vel ceteras nostras quas in cit. Lect. proposuimus vel genuinam Auctoris lectionem, vel omnino verisimillimam restituisse: quin Doctorum Virorum curas avide praestolamur.

(†) Duo

FABULA V.

Poeta (†).

Simulata (*a*) interdum vitia prosunt hominibus,
Sed tempore ipso tamen apparet veritas (*b*).

FABULA VI:

De significatione Poenarum Tartari (*).

Ixion (1), qui versatus iactatur rotâ (2),

Vo-

(†) Duo hi versiculi ad Promythium vel Epimythium alicuius fabellae omnino pertinuisse videntur, qua ostendere Auctor voluisset celebre illud effatum; *Nil diu occultum*.

(a) *Simulata*. Quae diligenter celantur, teguntur. Vitia quae virtutes effingunt, quae virtutum species habent, facta virtutibus similia, quae vocis potestas est. Virgil. IV. Aen. v. 512.

Sparserat et latices simulatos
fontis Averni.

Silius Italicus XVI. v. 305. *Simulatae* exsequiae; factae nempe ut verae. Ad rem autem Horatius II. Satyr. 7. v. 56.

Tu quum sis quod ego, et
fortassis nequior, ultro
Insectere, vel ut melior,
verbisque decoris
Obvolvas vitium.

(b) *Apparet veritas*. Ostenditur; Manifesta fit Veritas. Cic. ad Famil. 19. *Quid rectum sit* adparet. Apud Stobaeum Sermon. XII. Sophocles ex versione Conr Gesneri:

Nullum mendacium procedit
ad senectutem aevi,
Cui tamen diram perniciem
affert Veritas.

(*) Hanc sententiam Fabellae praefigerem:

Haud aestimanda specie, et
verborum sono,
Verenda nobis quae Vetustas
tradidit,
Sed diligenter intima est sen-
tentia
Scrutanda, cura quo composuit
angulo

Nam Perottus scripsit: *Sensum aestimandum esse non verba*. Tum Noster Prolog. lib. VI. v. 7.

. . . . *Rara mens intelligit*
Quod interiore condidit cura
angulo.

(1) *Ixion*. Ixion, ut tradunt

Fa-

Volubilem (3) Fortunâ iactari docet (4).
Adversus altos Sisyphus (5) montes agens

Fabulae, Thessaliae Rex, quum socerum suum fraude necasset, nec tanti facinoris expiatorem sive inter homines, sive inter Deos nancisci posset: Iupiter misertus in Coelum duxit, expiavitque. At ingratus homo Iunonem ipsam violare ibi conatus est. Quamobrem Iupiter eum in Tartarum deturbavit, praecepitque, ut ad rotam alligatus aeternum versaretur et iactaretur. Unde Hyginus Fab.62: *At Mercurius Iovis iussu Ixionem ad inferos in rotâ constrinxit, quae ibi adhuc dicitur verti*. Tibullus I, Eleg. 3. v. 73.

Illic Iunonem tentare Ixionis ausi,
Versantur celeri noxia membra rotâ.

Seneca in Hippol. v. 1231.

Haec incitatis membra turbinibus ferat
Numquam resistens orbe revoluto rota.

Similia Ovidius IV. Met. v.460. Et ceteri passim Poetae.

(2) In Cod. *Ixion qui versari . a.tat . . . v . .* Vid. lect. nostras.

(3) *Volubilem.* Hominem nempe levem, inconstantem, qui facilé de suo proposito vertitur. Vid. etiam lect. nostr.

(4) *Fortunâ iactari docet.* Fortuna rotae insistens fingebatur, eiusque symbolum et signum rota. Vid. Pier. Valerian. Hieroglyph. lib. XXXIX. c.18. Unde Cicero in Pison. c. 10. *Fortunae* rotam *pertimescere*. II. de Divin. c. 6. *Volubilitas* Fortunae. Tibullus lib.I. Eleg.5. v.70.

Versatur celeri Fors *levis orbe* rotae.

Nec dubitari iure potest, quin *Fortuna* antea *Vortuna* a *vorto* seu *verto* facta fuerit, solemni *rx v* in *f* transmutatione. Recte igitur ait Auctor noster volubilem hominem ab Ixione significari. Nam quemadmodum ille a suâ rota iactatur et verritur, ita iste a Fortunae rota agitatur et volvitur. Et hoc quidem Veterum Sapientum placitum fuit, ut scribit Macrobius in Somn. Scip. lib. I. c. 10. *Illos autem*, ait, *radiis rotarum pendere districtos, qui nihil consilio praevidentes, nihil ratione moderantes, nihil virtutibus explicantes, seque et actus suos omnes Fortunae permittentes, casibus et fortuitis semper rotantur*.

(5) *Sisyphus*. Sisyphus Corinthi Rex, quod Achaiam excursionibus vastasset, et quaedam Iovis arcana vulgasset, ab ipso Iove ad supplicium, quod hic describitur damnatus fertur. De ista poena singuli ferme Poetae loquuntur, interque ceteros legi possunt Virgilius VI. Aen. v. 616. Horatius Epod.XVII. v.68. Propertius IV. Eleg. 11. v. 33. Ovidius in Ibin v. 177. 193. IV. Metam. 459. Silius Italicus XI. v. 477. Martialis V. Epigr. 81. X. Ep. 5. et Statius Theb. IV. v. 537. Sed quoniam et hi omnes et Auctor noster ab uno forte Homero id sumsisse videntur hunc potius hîc adducemus. Is ergo Odyss. XI. v.592. ex versione Bergleri:

Saxum labore summo, quod de vertice,
Sudore semper irrito, revolvitur;
Ostendit ambitus (6) sine fine miserias.
Quod stans (7) in amne Tantalus medio sitit (8),
Ava-

Et Sisyphum aspexi duros dolores patientem,
Lapidem gestantem ingentem utraque manu,
Et ille quidem innixus manibusque pedibusque
Lapidem sursum pellebat ad cacumen, sed quando erat
Summum superaturus, tunc Crataeis avertebat
Rursus deinde in campum volvebatur lapis impudens:
At ille rursus pellebat contendens, ac sudor
Defluebat ex membris, pulvisque ex capite oriebatur.

(6) *Ambitus*. Ambitionis. Ambitiosi significantur in Sisypho. Sic praeclare Lucretius lib. III. v. 1008.

Sisyphus in vitâ quoque nobis ante oculos est,
Qui petere a populo fasces, saevasque secures
Imbibit, et semper victus tristisque recedit.
Nam petere imperium quod non est, nec datur umquam,
Atque in eo semper durum sufferre dolorem,
Hoc est adverso nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen a summo iam vertice missum
Volvitur, et plani raptim petit aequora campi.

Haec ut arbitror ad rem satis, qui tamen plura cupit videat Lect. nostras, in quibus alia multa congessimus. Nam quum in Codice loco τȣ *ambitus* esset *hominum*, quod ineptam reddit sententiam, et versiculum facit pede vel syllaba saltem breviorem, *ambitus* legendum esse suadere adnisi sumus.

(7) *Stans*. *Stare* hic non est corpore erecto stare, sed corpore ad aliquid agendum disposito. Homerus autem de Tantalo Odyss. XI. v. 582. *ἑσταότα stantem* etiam dixit, et Hyginus fab. 82. *Ob id dicitur Tantalus ad Inferos in aqua media fine corporis* state, *semperque sitire*.

(8) *In amne Tantalus medio sitit*. Tantalus, ut ferunt Fabulae, Phrygiae Rex, quum a Patre Iove et Deorum mensa dignaretur, et coelestium arcanorum fieret particeps, haec vulgare hominibus est ausus; tum vocatis ad epulum Diis, quo Divinitatem eorum agnosceret Pelopem filium membratim discerptum apposuit. Ideo protrusus in Tartarum ad sitim et famem aeternam, plane proximis aquis cibisque, damnatur. V. Homer. Odyss. XI. v. 581. etc. Ovidius autem II. Art. v. 606.

Tantalus in media *garrulus* aret aqua.

III. Am. Eleg. 12. v. 30.

Proditor in medio *Tantalus* amne sitit.

Seneca Herc. Fur. v. 752.

In amne medio *faucibus* siccis *tenet*.

(9) *Ava-*

Avari describuntur (9), quos circumfluit (10)
Usus bonorum (11), sed nil possunt tangere (12).

10 Ur-

(9) *Avari describuntur*. Notantur, significantur. Auctor in vulg. IV. fab. 7. v. 2.

Hoc argumento se describi sentiat.

Avaros autem in Tantalo significari constans fuit Veterum opinio. Horatius l. Satyr. I. v.67.

Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina: quid rides? mutato nomine de te (o Avare)
Fabula narratur.

Petronius Satur. c. 82.

Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.
Divitis haec magni facies erit, omnia late
Qui tenet, et sicco concoquit ore famem.

Similia Apuleius de Deo Socratis p. 699. Edit. Delphin. Macrobius lib. I. in Somn. c. 10. S. Paullin. Carm.IX. Nat. S.Felicis, aliique plures.

(10) *Quos circumfluit*. Quos undique cingit, complectitur, ambit, veluti Tantalum aquae. Unde *circumfluere* abundare etiam est. Cicero V. Verr. c. 4. *Istum rebus omnibus* circumfluere *et abundare*. De Amicit. c. 15. Circumfluere *omnibus bonis*.

(11) *Usus bonorum*. *Bona* hic sunt substantiae, fortunae, divitiae. Sic in vulg. III. fab. X. vel II. Epit. fab. XII. v. 37. *Quod* bona *possideat*. Persius Satyr. VI. v. 38. *Tune* bona *incolumis minuas*. Iuvenalis Satyr. I. v. 58. *Qui* bona *donavit praesepibus*. *Usus* autem *bonorum* non est hic ipse omnino usus divitiarum, ipsa bonorum fruitio, sed sunt bona utilia, divitiae in usum iam paratae, ad fruitionem ita plane comparatae, ut ipse usus dici possint, et ipsa fruitio. Id autem ex Auctoris stilo, cui sollemne est adiectiva, ut vocantur, nomina et concreta, in substantiva et abstracta convertere. Sic in vulg. lib. I. fab. 3. v. 16. *Tua calamitas*, pro tu calamitosus. Fab. 5. v. 11. *Sola improbitas*, pro solus improbus. Fab. 8. v. 8. *Colli longitudinem*, pro collum longum. Fab. 13. v. 13. *Corvi stupor*, pro Corvus stupidus. Et passim similia.

(12) *Sed nil possunt tangere*. Non absolute et simpliciter, a nemine namque coguntur, sed quod a sordidissimo affectu tam vehementer teneantur, ut eos *non posse* recte et egregie dicatur. Cicero autem VIII. ad Attic. Epist. 14. *Ut nihil ad te dem literarum facere* non possum. Et II. de Orat. c. 10. Ex Plauti Trinum. III. 2. v. 79. Non possum *quin exclamem*. Ad rem vero Horatius loc. cit. v. 71.

. . . Congestis undique saccis
Indormis inhians, et tamquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis.

Et Noster in vulg. lib. IV. fab. 19. sive II. Epit. fab. 22. v.23.

. . . Ergo nec sumis tibi,
Nec ulli donas quidquam?

(13) Da-

Urnis scelestas Danaides (13) portant aquas,
Pertusa nec complere possunt dolia,
Imo (14) luxuriae quidquid dederis (15) perfluet (16).

No-

(13) *Danaides.* Danaides quae et Belides ab avo Belo, Danai Argivorum Regis filiae quinquaginta, ut aiunt, numero, quod patrueles suos in viros sibi destinatos prima nuptiarum nocte, una excepta Hypermnestra, Patris impulsu confodissent, in Tartarum a Diis deturbatae dicuntur, et tamdiu urnis conferre lethaeam aquam in quaedam pertusa dolia, donec ea compleant. Ideo Seneca Hercul. Fur. v.757.

Urna*que frustra* Danaides *plenas gerunt*.

Ovidius X. Metam. v.43. Urnis*que vacarunt* Belides. Tibullus I. Eleg. 3. v. 79.

Et Danai proles *Veneris, quae numina laesit*,
In cava lethaeas dolia *portat aquas*.

Propertius II. Eleg. I. v. 69.

Dolia *virgineis idem ille repleverit* urnis,
Ne tenera assiduâ colla graventur aquâ.

Hyginus fab. CLXVIII. *Ob id ceterae* Danaides *dicuntur apud Inferos in* dolium *pertusum aquam ingerere*. Et inde factum adagium, quod Plautus Pseud. I. 3. v. 135. usurpat: *In pertusum ingerimus dicta dolium*. V. Erasmum Chil. I. Cent. IV. Adag. 59. Ex his autem patet, quam proprie totum hunc locum tractaverit Auctor noster. Nonnulli tamen fortasse quaerent, quare hic legerimus *scelestas aquas*, et non potius *scelestae Danaides*, quum Horatius III. Od. XI. v. 41. eas plane *scelestas sorores* appellaverit, et ita proprie et recte dici, sit palam? Id quidem verum. Attamen, qua auctoritate perspicuam Codicis lectionem immutabimus? Quae ratio cogit? Quin non video cur hic singillatim Danaides *scelestae* dicendae sint. Si *scelestus* non dicitur Ixion, non Sisyphus, non Tantalus, non Tityos, cur unae Danaides sunt dicendae *scelestae*? Praeterea si aquae Danaidum poena sceleris sunt, et scelestum luxuriae pretium significant, quidni recte dicuntur *scelestae*? Nec obstat aquis tribui scelus. Id potius elegans, et in Poeta laude etiam dignum. Sic Ovidius ipsas aquas IV. Trist. 4. v. 60. *infidas* dixit. Fast. IV. v. 364. *insanas*. Trist. IV. 1. v. 98. *moestas*. Fast. II. v. 174. *castas*. III. v. 647. *cupidas*. Epist. Her. XIII. v. 6. *saevas*. XV. Metam. 319. *obscenas*.

(14) *Imo*. Ex imo, ex fundo. Nam fundus est *ima* pars vasis, et *imum* veluti substantivum a Latinis usurpatum extremum, finem, fundum significat. Horat. I. Epist. 18. v. 35. *Ad* imum *Thrax erit*. Et Art. Poet. v. 126.

. . . *servetur ad* imum
Qualis ab incoepto processerit, et sibi constet.

Plinius lib. XXXII. c. 6. *Maris ima*.

(15) *Luxuriae quidquid dederis*.

Novem porrectus Tityos (17) est per iugera,
Tri-

ri. Quidquid in luxum impenderis, quidquid in luxuriosam vitam insumseris. *Luxuria* autem est omnium delicatarum rerum apparatus et adfluentia, quibus molliter et suaviter vita traduci possit. Sic Noster in vulg. lib. IV. fab. 4. Domum politam cum ornamentis et venustis hortulis, dixit *luxuriae domum*. Uberius autem Livius lib. XXXIX. cap. 5. Luxuriae *peregrinae origo ab exercitu Asiatico invecta in Urbem est. Ii primum lectos aeratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, et alia textilia . . . monopodia, et abacos Romam advexerunt. Tunc Psaltriae, Sambucistriaeque, et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis, epulae quoque ipsae, et cura et sumtu maiore apparari coeptae. Tum coquus, vilissimum antiquis mancipium, et aestimatione et usu in pretio esse, et quod ministerium fuerat, ars haberi coepta vix tamen illa, quae tum conspiciebatur, semina erant futurae luxuriae*: eius nempe quae per postrema Augusti tempora, per quae scribebat Livius, invaluerat. Quin haec etiam levis, si illi comparabitur, quae Claudii, Neronis, vel Tiberii etiam aetate invaluit, quam propius Auctor spectabat.

(16) *Perfluet*. Totum effluet, veluti per rimas pertusi fundi dilabetur. Terentius Eun. I. 2. v. 25. *Plenus rimarum sum, hac atque illac* perfluo. Lucretius lib. III. v. 950.

Et non omnia pertusum congesta quasi in vas
Commoda perfluxere atque ingrata interiere.

Solertissime autem Auctor docet Danaidum dolio significari luxuriam: Nam quemadmodum illud numquam impletur, et aquam omnem amittit, ita luxuria numquam expletur, et omnia male perdit et absumit. Idem fere sensisse videtur Lucretius lib. III. v. 1016. tum lib. VI. v. 9., quae loca satius et commodius penes ipsum Poetam legi possunt.

(17) *Tityos*. Tityus secundum Graecas fabulas Terrae filius, quod Latonam ad stuprum compellasset ab Apolline necatus et proiectus in Tartarum, ad eam poenam est damnatus, ut vultur eius iecur tunderet et voraret, quod statim renasceretur, et iterum voraretur per infinitas vices. Eius autem magnitudo tanta fuisse dicitur, ut novem integra agri iugera corpore suo occuparet. Iugerum autem mensura fuit, quae ducentos quadraginta pedes in longitudinem, et centum viginti in latitudinem haberet. Virgilius VI. Aen. v. 580.

Nec non et Tityon *Terrae omniparentis alumnum*
Cernere erat, per tota novem *cui* iugera *corpus*
Porrigitur, *rostroque immanis vultur obunco*
Immortale iecur tundens, foecundaque poenis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

Tibullus I. Eleg. 3. v. 75.

Por-

Tristi renatum suggerens poenae iecur (18):
Quo quis (19) maiorem possidet terrae locum (20),
Hoc demonstratur (21) curâ graviore affici:

Con-

Porrectusque novem Tityos per iugera terrae,
Assiduas atro viscere pascit aves.

Similia Ovidius IV. Metam. v. 146. In Ibin v. 183. I. ex Pont. II. v. 41. Seneca Thyest. v. 9. et alii passim. Scripsimus autem *Tityos* non Tityus, nam illa est Codicis lectio; et ita Virgilius, quod singillatim observavit Servius ad Aen. VI. v. 598. ita Tibullus I. Eleg. 3. v. 75. ut ibi Brouckhusius ostendit, ita Claudianus II. de Rapt. Proserp. v. 338. aliique plures.

(18) *Tristi renatum suggerens poenae iecur*. Versiculus excellentis artificii. Iecur renatum est quod semper renascitur. Virgilius ut vidimus *renatas fibras* dixit, et *viscera foecunda poenis*. *Suggerere* autem est praebere, suppeditare, et potissimum ad cibum, ut hîc. Ovidius XV. Metam. v. 81.

Prodiga divitias, alimentaque mitia tellus
Suggerit.

Tacitus III. Histor. c. 36. *Ut ignava animalia, quibus si cibum suggeras iacent torpentque*. Plinius Caecil. II. Epist. 8. *Lacus piscem, feras silvae, studia altissimus iste secessus* suggerit. *Tristi* autem *poenae* est ad tristem poenam, ut tristis poena sumatur. Seneca in Hipp. v. 1233.

Vultur relicto transvolet Tityo ferus,
Meumque poenae semper accrescat iecur.

In Cod. quidem est Tristis *renatum suggerens* pene. Sed nemo, ut puto, non videt sic omnino legendum esse, ut emendavimus.

(19) *Quis*. In Codic. *quisque*. Vid. Lect. nostras.

(20) *Maiorem terrae locum*. Maiora agrorum spatia, ampliora arva, plura praedia, plures fundos. *Loci* et *loca* veteribus Romanis etiam κατ' ἐξοχὴν praedia, et fundi fuerunt, quod vel verbum *locuples* ostendit. Ovidius V. Fastor. v. 279.

Caetera luxuriae nondum instrumenta vigebant,
Aut pecus, aut latam dives habebat humum.
Hinc etiam locuples, *hinc ipsa pecunia dicta est.*

Et Nigidius apud Gellium lib. X. Noct. c. 5. *Item* locupletem *dictum*, ait, *ex compositis vocibus, qui pleraque loca, hoc est multas possessiones teneret.*

(21) *Hoc demonstratur*. Hoc argumento, hoc Tityi exemplo ostenditur, evincitur. Scilicet Auctor putat Tityo significari locupletem, et ut Tityus, qui non in paucos pedes, sed in bene novem iugera est porrectus, ideo graviorem et diuturniorem poenam patitur, ita arbitratur locupletem eo graviori curâ, sollicitudine, labore affici, quo plura etiam iugera, plures agros possidebit. Non omnino abs re Lucretius lib. III. v. 1005.

Sed Tityos *nobis hîc est, in amore iacentem*
Quem volucres lacerant, atque exest anxius angor,

Ae-

Consulto involvit veritatem (22) Antiquitas (23),
Ut Sapiens intelligeret, erraret Rudis (24).

FA-

Atque alia quavis scindunt cuppedine curae.
Et Petronius in Fragment. p.672. Edit. Burmann. 1709.
Qui vultur iecur intimum perrat,
Et pectus trahit, intimasque fibras
Non est quod lepidi vocant Poetae,
Sed cordis mala, livor, atque luxus.

(22) *Involvit veritatem.* In figuris nempe, symbolis, fabulis involutam et obscuram reddidit. Virgil. de Sibylla lib. VI. v.99.
Horrendas canit ambages ...
Obscuris vera involvens.
Ovidius in Ibin v. 57.
Utque ille historiis involvam *carmina caecis.*
Tacitus III. Ann. c. 63. *Si qua iniquitas* involveretur.

(23) *Antiquitas.* Vetustas, prisci et veteres homines. Ita Cicero II. de Leg. c. 11. Antiquitas *proxime accedit ad Deos.* Plinius XII. c.19. *Fabulose narravit* Antiquitas. Curtius lib. VII. c. 2. *In qua rupe vinctum Promethea fuisse* Antiquitas *tradidit.*

(24) *Ut Sapiens intelligeret, erraret Rudis.* Certo nempe consilio Antiquitas sapientiam et veritatem non nude et aperte exposuit, sed fabularum potius integumentis et involucris abdidit, ut docti tantummodo Viri, et qui Sapientiam excoluissent symbolica signa curiose rimantes sententiam tandem veram perciperent et intelligerent, ceteri vero rudes et illiterati homines in externo cortice detenti, et falsa specie decepti errarent. Haec autem ex eorum sententia dixit Auctor, qui arbitrabantur Veteres sub Fabularum involucris altissimae Philosophiae praecepta, et divinarum atque humanarum rerum prudentiam consulto condidisse. Equidem me huius opinionis propugnatorem haud sisterem: Attamen praeterquamquod laudandus Auctor, quod ea ad rectos mores informandos, et ad docendam Sapientiam usui fuerit, nullus fere Veterum Philosophorum fuit, qui opinionem istam non teneret. Id Pythagorici, id Stoici, id Platonici universi docebant; id plerique alii ut ex Cicerone lib. III. de Nat. Deor. ex Lucretio lib. III. de Nat. Rerum, ex Heraclide Pontic. in Allegor. Homeric. ex Porphyrii, et Iamblici operibus, ex Plutarcho de Iside et Osiride, ex Planciade Fulgentio in Mytholog. ex Macrobio in Somnium Scipionis, aliisque multis patet.

(1) *Uti-*

FABULA VII.

Oraculum Apollinis.

Utilius (1) nobis quid sit dic, Phoebe (2), obsecro,
Qui Delphos et formosum Parnasum (3) incolis (4):
Quando (5) sacratae Vatis (6) horrescunt comae (7),
Tri-

(1) *Utilius*. Scilicet ad vitam recte ducendam, moderandam, ad bonos mores instituendos. Quod vere enim utile est, nunquam a vero bono secernitur.

(2) *Phoebe*. Phoebus Iovis et Latonae filius, ut aiunt Fabulae, habebatur potissimum futurorum interpres, et augur, Oraculorum, Vatum, Hariolorum, et totius denique Divinationis praeses et Deus. Tibullus II. Eleg. 5. v. 11.

Tu procul eventura vides, tibi deditus augur
Scit bene quid fati provida cantet avis.

Horatius II. Satyr. 5. v. 60.

Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.

Alia exempla passim nota.

(3) *Delphos et Parnasum*. Delphi urbs Phocidis, et Parnasus mons Urbi fere imminens, utrique Templo, et Oraculo Apollinis clarissimi. Hoc Oraculum Livius lib. XXXVIII. c. 48. *quoddam commune humani generis Oraculum* dixit. De eo autem legendi potissimum Homerus Hymn. in Apollin. v. 247. et seq. Strabo lib. IX. p. 288. etc. Diodorus Siculus lib. XVI. c. 25. Mela II. Geogr. c. 3. 57. Lucanus lib. V. Phars. v. 72. etc.

(4) *Incolis*. Habitas. Veteres omnino credebant Deos in Templis, Urbibus, locisque sibi sacris habitare. Plautus Rudent. IV. 2. v. 2. *Neptuno, qui salsis aquis incolit*. Cicero in Orat. antequam iret in exil. c. 24: *Ceterique Dii Deaeque immortales, qui excellenti tumulo Civitatis sedem Capitolii incolitis constitutam*. Horatius I. Od. 16. v. 6.

. . Non adytis quatit
Mentem Sacerdotum incola *Pythius*.

Virgilius I. Aen. v. 15. de Carthagine:

Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse *Samo*.

Et hinc ille Deorum e sedibus suis evocationes, de quibus singularem libellum conscripsit C. Inn. Ansaldus.

(5) *Quando*. Quoniam, quandoquidem, siquidem, hoc quidem tempore quo. Ex Codice colligitur quoddam *Qu. d.* Sed vide Lect. nostras.

(6) *Sacratae Vatis*. Pythiae scilicet, Phaebados, quae Vates erat Apollinis in Delphico Templo, dicta *Phaebas* a Phoebo,
Py-

Tripodes moventur (8), mugit adytis Religio (9),
5 Tre-

Pythia vel a Pytho Urbe, qua Oracula fundebat, et quae ipsi Delphi fuerunt: V. Cellar. Notit. Orb. Antiq. pag. 1126. vel potius ab ipso Apolline *Pythio*; etsi isti ab ipsa etiam Urbe cognomen factum videatur. *Sacrata* dicitur, quod Sacerdos eius Dei esset, ab eoque inspiraretur, agitaretur, futurisque imbueretur, vel quod peculiari ritu esset Deo addicta et devota, atque in servitutem eius mancipata. Ita Virgilius XII. Aen. v. 213.

. . . *Tum rite* sacratas
In flammas iugulans pecudes . . .

Ovidius II. Trist. v. 552.

Et tibi sacratum *sors mea rupit opus*.

Martialis IX. Epigr. 17.

Consilium formae speculum, dulcesque capillos
Pergameo posuit dona sacrata *Deo*.

(7) *Horrescunt comae*. Comae, capilli hirti, recti, horrentes fiunt, quia iamiam editura erat Oraculum. Iis autem qui Oracula edebant revera turbabantur et horrebant comae. Nam quum violentissimo corporis totius motu, et fanatico furore corriperentur fieri non poterat, ut comtae comae manerent. Ideo Tibullus de Phoebo II. Eleg. 3. v. 23.

Saepe horrere *sacros doluit Latona* capillos.

Seneca in Agamemn. v. 702. de Cassandra vaticinante:

. . . *Mollis* horrescit coma.

Et in Oedip. v. 230. de ipsa Pythia:

Incipit Lethaea Vates spargere horrentes comas.

Ut Lucanus lib. V. v. 171. *horrore comarum*.

(8) *Tripodes moventur*. Tripodes generatim Graecis, Romanisque erant mensae, sellae, scabella tribus pedibus instructa, ut ex Hesychio in voce, Polluce lib. X. c. 11. Isidoro lib. XX. Orig. c. 11. atque aliis patet, quin et lebetes fuerunt, qui igni admoverentur, Homero IX. Iliad. v. 122. et XXIII. v. 267. Sophocle in Aiac. Mastigoph. v. 142. Athenaeo lib. XI. restibus, et illa praemia etiam Virorum fortium, de quibus Horatius Carm. IV. Od. 8. v. 3. et Virgilius V. Aen. v. 110. meminerunt. Singillatim vero Mensae et Sellae dicebantur, quae in templo Apollinis Delphico erant, ex quorum uno Oracula Pythia edebat. Unde Virgilius de Vate Heleno III. Aen. v. 359.

Troiugena interpres Divum, qui numina Phoebi,
Qui Tripodas, *Clarii lauros, qui sidera sentis*.

Et adagium factum *loqui ex tripode*. Pythia autem quum Oraculum fundens furebat et bacchabatur per antrum tripodas hos movebat, proruebat, spargebat. Ideo Lucanus de ipsa Pythia lib. V. v. 172. *Spargitque vaganti* (sibi) *obstantes tripodas*: et paullo superius v. 123. *immotos tripodas*. Tum Seneca id spectans in Medea v. 86. scripsit:

Nec non qui tripodas *movet*.

Et v. 785.

. . . Tripodas *cognosco meos*
Favente commotos *Dea*.

Et Claudianus in Rufin. Praef. v. 12. Tripodas *plenior aura* rotat.

(9) *Mu-*

Tremuntque lauri (10), et ipse pallescit dies (11).

Vo-

(9) *Mugit adytis Religio.* Scilicet vox quaedam horrenda, et sonus tamquam mugiens ex sacris et religiosis adytis exauditur. Ex stilo Auctoris, ut supra diximus fab. VI. v. 9. Ita fere in vulg. lib. IV. fab. 10. v. 4.

Repente vocem sancta misit
Religio.

Ut Lucretius dixerat lib. III. v. 944.

Denique si vocem rerum Natura repente
Mittat.

Adyta autem Graecis vocibus (α et δυω) ita dicta, quod adiri non possint, penetralia templorum erant, interiori et occultiori eorum parte posita, subterranea plerumque et cryptica, quod iam observavit Salmasius in Solin. p. 863. et 1212. In his edebantur Oracula. Quamobrem quum Pythia furore correpta confusum clamorem, et inconditas quasdam voces emitteret, hae ob concava et fornicata loca maiores humanis, et ut mugitus quidam exaudiebantur. Hinc Virgilius de Sibylla lib. VI. v. 98.

Talibus ex adyto *dictis Cumaea Sacerdos*
Horrendas canit ambages, antroque remugit.

Et lib. III. v. 92.

Visum mugire adytis *Cortina reclusis.*

Seneca in Thyest. v. 680.

. . . *Hinc orantibus*
Responsa dantur certa cum ingenti sono,
Laxantur adyto *fata, et im*mugit *specus,*
Vocem Deo solvente.

(10) *Tremuntque lauri.* Laurum putabant Veteres arborem esse ad Divinationem maxime propriam et opportunam. Vid. Tibull. II. Eleg. 5. v. 63. Tzetz. ad illud Lycophr. v. 6. *Laurivoro vaticinata est ore.* Eunap. in Chrysant. p. 157. Claudian. de Rapt. Proserp. III. v. 109. Fulgent. Mytholog. I. c. 13. Ideo κατ' ἐξοχην appellarunt μαντικον φυτον, sive fatidicam arborem, et maxime sacram Phoebo fecerunt, ut lib. II. fab. 19. v. 3. observabimus, et propterea in Delphico Apollinis Templo plurima semper laurus erat: ita ut ipsi tripodes passim ex lauro fierent, quemadmodum probat Pitiscus in Lexic. voc. *Tripodes*, et lauro coronabantur, ut observat Carolus Paschalis de Coronis lib. VIII. c. 13. Quemadmodum ipsi postes, et adytum Dei. V. Euripid. in Ione v. 76. 79. 80. Tum lauro coronati Oraculum consulentes accedebant, et triplici quidam corona, ut Athenaeus lib. XV. Deipnosoph. refert. Lauri autem, quae circa Cortinam erant quum ederetur Oraculum videbantur revera tremere. Callimachus Hymn. in Apollin. v. 1.

Quantopere iste Apollinis commotus est laureus ramus.

Aristophanes in Pluto v. 212.

Bonam spem concepi ex iis quae modo mihi
Phoebus respondit Pythicam excutiens laurum.

Seneca de ipso Delphico Oraculo in Oedip. v. 227.

Imminens Phoebea laurus *tremuit, et movit domum.*

Ne-

Voces resolvit (12), acta Pythia Numine (13):
Docetque Gentes (14) Delii monitus Dei (15):
Pie-

Neque abs re Virgilius lib. III. Aen. v. 90.

.... *Tremere omnia visa repente*,
Liminaque, laurusque *Dei*.

Et v. 360.

Qui Clarii lauros *sentis*.

(11) *Et ipse pallescit dies*. Ipsa diei lux pallida fit, languida, turbida ob religionem nempe, et prodigium, quod Deus esset per Pythiam locuturus. Non abs re Lucanus VII. Phars. v. 172.

Iam dubium monstrisne Deum, nimione pavore
Crediderint, multis concurrere visus Olympo
Pindus, et abruptis mergi convallibus Haemus,
Et pallere diem, *galeisque incumbere noctem*.

Seneca in Oedip. v. 45.

Tristisque Mundus nubilo pallet *novo*.

Ovidius lib. VII. v. 209. de Medea cuius avus Sol ferebatur:

..... *currus quoque carmine nostro*
Pallet *Avi*, *ac* pallet *nostris Aurora venenis*.

(12) *Voces resolvit*. Distincte iam et clare loquitur, non confuse mugit, et ululat, ut paullo ante. Ita Virgilius de Sibylla lib. III. v. 457.

Ipsa canat, vocemque *volens atque ora* resolvat.

Et Seneca in Thyest. v. 683. de Vate, qui Oraculum edit:

Vocem *Deo* solvente.

Vid. etiam Lycophron. v. 4. etc. Ex Codice autem haec colliguntur: *V . . . s . . f . lvit*.

(13) *Acta Pythia Numine*. Supple Phoebi. Pythia enim haud ex se loqui putabatur, sed omnino ex inspiratione et afflatu Apollinis. Sic de ea Seneca in Oedip. v. 230.

Incipit lethaea Vates *spargere horrentes comas*,
Et pati commota Phaebum.

Lucanus V. v. 160. copiosius:

.... *Tandem conterrita Virgo*
Confugit ad Tripodas, vastisque obducta cavernis
Haesit, et insueto concepit pectore Numen;
Quod non exhaustae per tot iam secula rupis
Spiritus ingessit Vati, *tandemque potitus*
Pectore Cyrrheo, non unquam plenior artus
Phaebados irrupit Paean, *mentemque priorem*
Expulit, atque hominem toto sibi cedere iussit
Pectore.

In Codice. *eta Phyton Numine*. Sed vid. Lect. nostras.

(14) *Docetque Gentes*. Universos homines, totum humanum genus. Recte. Nam Oraculum quod edebatur omnes homines spectabat, et Oraculum Delphicum, ut ex Livio audivimus, Oraculum quodammodo fuit generis humani. In Codic. autem *D. . . . . . . Gentes*.

(15) *Delii monitus Dei*. Scilicet Apollinis, cui peculiariter *Delii* cognomen tribuebatur, quod fabularentur Deli natum fuisse, et eam Insulam, qua late celeberrimum eius Templum extructum fuerat sibi esse caris-

sir-

Pietatem colite (16); vota Superis reddite (17);
Patriam, parentes, natos, castas coniuges
Defendite (18), armis hostem et ferro pellite (19);
Ami-

timam. Vid. Homer. in Hymn. et Lucian. in Pseudomant. Ideo κατ' ἐξοχὴν a Virgilio III. Aen. v. 73. Ovidio XI. Metam. v. 154. XII. v. 598. XIII. v. 650. aliisque pluribus *Delius* appellatus. Videretur forte hic magis apposite *Delphici*. Sed ego nil prorsus audeo. *Monitus* autem proprie. Nam solemni voce, quae a Diis fieri Veteres putabant, quibus monerentur, appellabant *monitus*. Cicero de Harusp. resp. c. 25. *Ad quem metum si Deorum monitis non duceremur*. II. de Divin. c. 41. *Sortes quae hodie Fortunae monitu tolluntur*. Virgilius VIII. Aen. v. 336. *Carmentis Nimphae monita*. Plinius Caecil. in Panegyr. c. 76. *Consultare aves, revererique Numinum monitus*. Similia Plinius senior lib. II. c. 7. Valer. Flacc. I. Arg. v. 29. Statius Theb. V. v. 655. Ovidius III. Fast. v. 167. Epist. Her. XVI. v. 17. XVII. v. 279. etc.

(16) *Pietatem colite*. Estote pii. *Pietas* autem apud Latinos latissimae est potestatis. Nam sive Religio adversus Deos, sive Patriae Charitas, sive Parentum observantia, sive Amicorum, et propinquorum officium, sive quorumque maiorum cultus *Pietas* dicitur. Cicero II. de Invent. c. 22. Pietas, *quae erga Patriam, aut parentes, aut alios sanguine coniunctos officium conservare monet*. I. de nat. Deor. c. 41. *Est enim Pietas iustitia adversus Deos*: et Noster in vulg. IV. fab. 10. v. 10.

Per quam colendos censuit Pietas Deos.

Unde idem Cicero rectissime pro Planc. c. 29. *Fundamentum*, inquit, *virtutum omnium Pietas est*: Et in Somnio Scipionis c. 3. *Iustitiam cole et pietatem*. Et Noster hic *pietatem* omnis virtutis etiam fundamentum posuisse videtur.

(17) *Vota Superis reddite*. Quae scilicet libere Diis vovistis reddite, solvite. Nam ex iustitia debentur. Ita legibus suis lib. II. c. 9. sanciebat Cicero: *Sancte vota reddunto*. *Superi* autem dicuntur κατ' ἐξοχὴν Dii, et proprie coelestes, quod superiora loca, nempe Coelum et sidera incolere et habitare putabantur. Exempla passim sunt obvia.

(18) *Defendite*. Omni scilicet pacto, quibuslibet armis, et qualibet ratione defendite, tutamini sive ab aperta vi, sive ab occultis insidiis.

(19) *Armis hostem et ferro pellite*. Quum scilicet in fines vestros excurrunt, quum vestros agros occupant. *Hostis* est qui vi et iniuria aperta Rempublicam et Patriam oppugnat. Illud autem *ferro*, etsi esset τὸ *armis*, minime superfluum est et damnandum. Nam primum quum aliquid volumus vehementius ab auditoribus vel lectoribus sentiri nos recte aliam vocem superiori simillimam et synonimam adponimus. Praeterea *ferrum* tantummodo pro ense, gladiove sumitur, ut omnia exempla passim

sim

Amicos sublevate (20); miseris parcite (21);
Bonis favete (22); subdolis ite obviam (23);
De-

sim ostendunt. *Armorum* vero potestas latissime patet, et omnia instrumenta significat, quibus homines in bello utuntur sive ad se tegendum, sive ad oppugnandum, sive ad repellendum. *Arma*, ait Cicero pro Caecin. c. 21., *alia ad tegendum, alia ad nocendum*. Et arma sunt galeae, loricae, ocreae, hastae, tela, lapides, fustes, et alia huiusmodi, ut scribit Caius Dig. de verbor. significat. leg. 41. Tum si Sallustius Bell. Catilin. c. 43. recte dixit: *Armorum atque telorum portationes*. Livius lib. XLIV. *Arma telaque parant*. Columella lib. II. R. R. c. 3. *Seorsim arma ac tela seponere*: Quidni Noster recte dicere potuit *armis et ferro*? Sed politissimus certe Poeta Pedo Albinovanus iam Eleg. I. v. 235. scripserat:

Iste tuus periit, periit arma *inter et* enses.

(20) *Amicos sublevate*. Quum scilicet aliqua calamitate oppressi ope vestra indigent. *Sublevare* proprie est iacentem levare et erigere. Caesar autem III. Bell. Gall. c. 80. Sublevare *inopiam alicuius*. Cicero Div. in Verr. c. 2. *Videor non omnino a defendendis hominibus, sublevandisque discedere*. Philipp. VII. c. ult. Sublevare *vicinos suis facultatibus*.

(21) *Miseris parcite*. Abstinete manus a miseris, temperate vos ab iis, qui vobis iam subiecti, nocere amplius non possunt, nolite vindictam sumere ab iis, qui iam miseri facti sunt, bonumque animum erga eos induite. *Parcere* hic non est proprie ignoscere, sed abstinere, cohibere, temperare se, quae prior verbi potestas, et verior. Sic Virgilius III. Georg. v. 339. *Et hibernis* parcebant *flatibus Euri*: Ubi Servius: *Abstinebant*. I. Aen. v. 261. Parce *metu*. v. 530. Parce *pio generi*. III. v. 40. Parce *pias scelerare manus*. Noster in vulg. lib. II. fab. 8. vel II. Epit. fab. 3. v. 8. *Vos modo inquit* parcite. etc. Hoc autem praeceptum simile illi est, quod Virgilius VI. Aen. v. 854. tradidit scribens:

. . . *Romane memento*,
Parcere subiectis, *et debellare superbos*.

Horatius III. Od. 10. v. 16. Supplicibus *tuis* parcas. Ovidius I. ex Pont. V. v. 23.

Parcendum *est animo* miserabile *vulnus habenti*.

Quin is egregie III. Trist. V. v. 33. iam cecinerat:

Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni,
Pugna suum finem quum iacet hostis habet.

(22) *Bonis favete*. Bonos Viros, probos, integros favore vestro, vestra gratia prosequimini, benevole eos complectimini, ut hoc pacto lubentius virtutis viam satis arduam carpere pergant et alacriores in incoepto perdurent. Ideo Noster scribebat in Prologo v. 8.

Quod si labori faverit *Latium* meo,
Plures habebit, quos opponat Graeciae.

(23) Sub-

Delicta vindicate (24); castigate impios (25);
Punite turpi thalamos (26) qui violant stupro;
15 Ma-

(23) *Subdolis ite obviam*. Date operam ne dolosi homines vos fallant, circumveniant, attendite ne fraudolenti et subdoli laqueis, insidiis, fallaciis suis vos irretiant, involvant, et perdant. *Ire obviam* est opponere se, et veluti anteverrere eum, qui in nos ruit. Sallustius in Iugurth. c. 26. Obviam ire *sceleri*. Cicero III. Verr. 41. Ire obviam *cupiditati*. Tacitus VI. Ann. c. 16. Ire obviam *fraudibus*.

(24) *Delicta vindicate*. Sumite vindictam, poenas debitas de flagitiis et facinoribus. Nemini scelus sit impunitum. Hic autem recipiendus est amphibrachus, ut in Lect. nostris observavimus.

(25) *Castigate impios*. Arguite, reprehendite, obiurgate eos, qui pietatem violant, ut sese a malo temperent: Conamini ut corrigatis, emendetis, perducatis impios ad bonam frugem. *Castigare* non est *punire*, sumere poenas, sed arguere, cohibere, temperare. Ideo Petronius Satur. cap. 47. dixit: Castigare *risum*. Cicero III. Tuscul. c. 27. *Pueros vero matres et magistri* castigare *solent nec verbis solum, sed etiam* verberibus. Virgilius V. Aen. v. 387.

Hic gravis Entellum dictis
castigat *Acestes*.

Iuvenalis Satyr. VI. v. 456.

Nec curanda viris Opicae castigat *amicae*
Verba.

Et iterum Cicero I. de Legib. c. ult. *Oratio, qua regat populos, qua stabiliat leges, qua* castiget *improbos*.

(26) *Thalamos*. Thalamus Graecis cubiculum, et generatim quivis lectus et cubile; Latinis vero semper fere maritalis singillatim est et genialis torus. Virgilius lib. II. Aen. v. 503.

Quinquaginta illi thalami *spes tanta nepotum*.

Lib. IV. v. 550.

Non licuit thalami *expertem sine crimine vitam*
Degere more ferae.

Lib. VII. v. 388.

Quo thalamum *eripiat Teucris taedasque moretur*.

v. 254.

Quantum in connubio natae,
thalamoque *moratur*.

Ita Seneca Oedip. v. 489. In Troadib. v. 888. In Hercul. furent. v. 852. Et alii plures. Ideo hic de adulteris loqui Auctorem singillatim dici possit, quum etiam *stuprum* non una virginis violatio sit, ut definivit Papinianus Leg. 6. Dig. de Leg. Iul. de adulter., sed quodvis impurum facinus, sive in nuptas, sive in viduas, sive in virgines. Seneca in Hercul. Furent. v. 488.

. . . . . *Qui tamen nullo* stupro
Laesere thalamos.

Et Noster in vulg. III. fab. 10. sive II. Epit. fab. 12. v. 17. de nupta:

Stuproque *turpi pollui famam domus*.

Attamen quum τὸ *stuprum* tam latae sit potestatis, et *thalamus* etiam

Malos cavete (27); nulli nimium credite (28)!
Haec eloquuta concidit (29) Virgo furens (30):
Fu-

etiam virginalis lectus sit, qui ad libidinem conscenditur, ut ex illis Virgilii VI. Aen. v. 6.8. *Hic thalamum invasit natae*: atque ex aliorum testimoniis patet; putarem potius Auctoris mentem fuisse, ut de quavis impudicitia debitae poenae sumantur.

(27) *Malos cavete*. Ne vos corrumpant, et inducant ad malum. Syntaxis recta. Cicero IX. ad Famil. Epist. 21. *Neque metuere quidquam*, et cavere *omnia*. Svetonius in Caesar. c. 86. *Cavere insidias*.

(28) *Nulli nimium credite*. Quisquis ille est, qui vobis aliorum vitia, et facta deferat, nolite cito et semper credere. Seneca de Ira II. c. 23. *Plurimum mali* credulitas *facit*. Et cap. 22. *Ne sint aures criminantibus faciles*. Consolat. ad Polyb. c. 10. *Sua quemque* credulitas *decipit*. Petronius Satur. c. 43. *Numquam recte facit, qui* cito credit. Quin Noster hac de re elegantissimam Fabellam habet, quae in secundo libro Epitomes num. 12. occurrit.

(29) *Concidit*. Cecidit, in terram corruit; Quod revera fiebat. Haud enim diu femineum corpusculum incredibilem illum furorem ferre poterat. Lucanus Lib. V. v. 118.

. . . *Quippe stimulo fluctuque furoris*
Compages humana labat, pulsusque Deorum
Concutiunt fragiles animas.

Unde Seneca de Cassandra in Agamemn. v. 765.

Ch. *Iam pervagatus ipse se fregit furor*:
Caditque, flexo qualis ante aras gradus
Cervice taurus vulnus incisâ ferens.
Relevemus artus Entheos.

Lucanus iterum de alia Vate I. v. 695.

Haec, ait, et lasso iacuit *defessa furore*.

Et de ipsa Pythia lib. V. v. 224. *Vixque refecta* cadit.

(30) *Virgo furens*. Pythia scilicet, Phaebas. Aetate quidem Auctoris Pythiae non ex virginibus seligebantur, sed ex viduis. Cuius moris originem Diodorus Siculus lib. XVI. Biblioth. cap. 25. refert. Attamen quod per diuturnum tempus ex unis virginibus assumtae fuissent, tum perpetuo habitu virgineo uterentur, et castissimam vitam degere tenerentur absolute *Virgines* sunt appellatae. Lucanus lib. VI. v. 161.

. . . *Tandem conterrita* Virgo
Confugit ad tripodas.

Tum v. 141. Virginei *patuere doli*. Et v. 97.

Hoc ubi virgineo *conceptum est pectore Numen*.

Furens autem dicitur quod, ut notum, Vates sacro furore perciti, ut putabatur, Oracula ederent. Ovidius II. Metam. v. 640. de quadam Vate:

Ergo ubi fatidicos concepit mente furores,
Incaluitque Deo, quem clausum pectore habebat.

Epist. Heroid. V. v. 121. de Cassandra.

DI-

Furens profecto (31); nam quae dixit perdidit (32).

FA-

Dixerat, in cursu famulae rapuere furentem.

Seneca in Troad. v. 34. de eadem Cassandra:

Quaecumque Phoebas ore lymphato furens,
Credi Deo vetante, praedixit mala.

Et Lucanus de ipsa Pythia V. v. 150.

Instinctam sacro mentem testata furore.

(31) *Furens profecto.* Hic *furens* in vulgari potestate sumitur, pro furibunda, amente, pro ea, quae sanae mentis et integrae non est, quae imprudenter et inepte agit. Quo sensu Cicero II. Catil. cap. 1. *Catilina* furens *audaciâ*. Et cap. 12. Furens *et violentus*. Virgilius lib. V. Aen. v. 202. Furens *animi*. Et VIII. v. 228. *Ecce furens animis aderat Tirynthius*.

(32) *Quae dixit perdidit.* Frustra protulit, incassum edidit. *Perdo* non est amitto, iacturam accipio, sed proiicio, disperdo, veluti in abyssum et profundum do. Fit enim a *do* das et *per* pro *pessum*, ut etiam in *pereo* patet. Ad hanc autem sententiam Ovidius Epist. Her. VII. v. 6.

. . . Perdere *verba leve est*.

III. Am. XI. v. 31

Desine blanditias, et verba potentia quondam
Perdere.

I. Trist. 2. v. 13.

Verba *miser frustra non proficientia* perdo.

Sensus ergo Auctoris est: videri potius amentem Pythiam, quae tam egregia praecepta, et nobilissimas recte vivendi regulas hominibus proposuisset, qui per adversam plane viam ruunt, et eis tamquam surdis omnino canitur.

(*) Pro-

FABULA VIII.

Aesopus, et Scriptor (*).

Aesopo quidam scripta recitârat (1) mala (2),
In

(*) Promythium.
Ubi vanus animus ineptâ captus gloriâ
Arripuit insolentem sibi fiduciam,
Merito ad derisum stulta levitas ducitur.
Ipsius Phaedri sunt isti versiculi ex fabella VII. lib. V. desumti, si duo verba prioris, et *merito* excipias. Visi sane sunt etiam ad hanc rem apposite facere. Scriptor autem revera, ut patet, ab Aesopo deridetur. Tum Auctor, quum lib. I. vulg. fab. 25. v. 1. scripsisset:
Consilia qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam, et deridentur turpiter.
En autem quibus verbis istam turpem derisionem significavit:
. . . . *At ille: facerem mehercule,*
Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

(1) *Recitârat*. *Recitare* est legere scriptum, librumque, ut alii audiant. Veteres autem Scriptores maxime Poetae sua passim scripta amicis, sodalibus, populo recitabant, ut ex Horatio I. Satyr. 4. v. 73. I. Epist. 19. v.41. Martiali II. Epigr.88. Lib.I. Epigr.30. atque aliis patet. Quin Scriptores saepe recitabant Poemata, ut nota esset quid alii de iis sentirent, et emendare possent. Horatius Art. Poet. v.438.
Quintilio si quid recitares, corrige, sodes,
Hoc, aiebat, et hoc.
Ovidius IV. Trist. 10. v. 45.
Saepe suos solitus recitare *Propertius ignes,*
Iure sodalitii, qui mihi iunctus erat.
Martialis lib. VIII. Epigr. 76. in Gallicum:
Dic verum mihi, Marce, dic amabo,
Nil est quod magis audiam libenter:
Sic et quum recitas *tuos* libellos,
Et caussam quoties agis clientis
Oras, Gallice, me rogasque semper.
Durum est me tibi, quod petis, negare:
Vero verius ergo quid sit audi:
Verum, Gallice, non libenter audis.

(2) *Mala*. Malus hic non est improbus, impius, sed ineptus, insulsus, plane futilis. Horatius II. Epist. 2. v. 106.
Ridentur mala *qui componunt carmina.*
Et v. 126.
Praetulerim Scriptor delirus, inersque videri

 Dum

In quîs (3) ineptê (4) multum se iactaverat:
Scire ergo cupiens quidnam sentiret Senex (5):
Numquid, ait (6), sum tibi visus superbior (7)?
5 Haud

Dum mea *delectant* mala *me* (scripta).
Martialis I. Epigr. 17.

Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala *plura,*
Quae legis hic, aliter non fit, Avite, liber.

Et lib. XII. Ep. 40.

Mentiris, credo; recitas mala *carmina, laudo*.

(3) *In quîs*. *Quîs* pro quibus receptum est, et latinum. Catullus Carm. LXIII. v. 13.

Accipe quis *merser fortunae fluctibus ipse*.

Plinius lib. XII. c. 1. *Mille sunt usus arborum, sine quîs vita degi non possit*. Vid. etiam Tacitum IV. Ann. c. 32. 42. 61. etc. Auctorem nostrum in vulg. lib. III. fab. 13. sive II. Epit. fab. 15. v. 11. lib. V. fab. 1. sive II. Ep. fab. 27. v. 9.

(4) *Inepte*. *Qui aut tempus quid postulet non videt*, ait Cicero II. de Orat. c. 17., *aut plura loquitur, aut se* ostentat, *aut eorum quibuscum est vel dignitatis vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut* multus *est is* ineptus *esse dicitur*. Hinc Horatius I. Satyr. 10. v. 2.

. . . *Quis tam Lucilî fautor* inepte *est*,
Qui id non fateatur.

Satyr. 6. v. 16.

Iudice quem nosti populo, qui stultus honores
Saepe dat indignis, et famae servit ineptus.

Et Satyr. 3. v. 49. Ineptus, *et iactantior hic est paullum*. Gellius lib. XIII. c. 20. *Homo* inepte *gloriosus*. XVIII. c. 5. *Inscite et* inepte *argutus*.

(5) *Quidnam sentiret Senex*. Quodnam scilicet esset Aesopi iudicium de scriptis suis, quod potissimum se in illis iactasset. Quid illi videretur de sua iactantia in huiusmodi libellis. Martialis V. Epigr. 64.

Quid sentis, *inquis, de nostris, Marce*, libellis?
Sic me sollicitus, Pontice, saepe rogas:
Admiror, stupeo, nihil est perfectius illis,
Ipse tuo cedit Regulus ingenio.
Hoc sentis? *inquis*. *Faciat tibi sic bene Caesar*,
Sic Capitolinus Iupiter. *Immo tibi*.

Similia Cicero II. Philipp. c. 15. Horatius I. Epist. 14. v. 20. II. Satyr. 3. v. 183. etc. *Senex* autem saepius in vulgat. Aesopus ab Auctore dicitur. Vid. Prolog. lib. II. v. 8. lib. III. fab. 14. v. 4. vel II. Epit. fab. 16. v. 9. Fab. 19. v. 11. lib. IV. fab. 14. v. 2. etc.

(6) *Ait*. In Codice *inquit*. Sed vide Lect. nostras.

(7) *Superbior*. Aliquanto superbus elatus tumens, quod me iactaverim, laudaverim, extulerim. Apposite: nam *superbia* ex propriae laudis opinione oritur. Unde Ovidius VII. Metam. v. 802. *Laudato pavone superbior*. In Codic. autem *superb*... Sed vid. Lect. nostr.

(8) *Haud*

Haud vana nobis ingenii fiducia est (8).
Confectus (9) ille pessimo volumine (10),
Ego, inquit (11), quod te laudas vehementer probo (12);
Namque hoc (13) ab alio numquam continget tibi.

FA-

(8) *Haud vana nobis ingenii fiducia est*. Haud temere ingenii nostri viribus confidimus, perspectum est, quid valeat et efficere possit ingenium nostrum, confidenter et tuto de ingenio nostro praestare possumus. Similiter autem dixit Virgilius I. Aen. v. 136. *fiducia generis*. II. v. 162. *fiducia belli*. Propertius III. Eleg. ult. v. 1. Ovidius I. Art. v. 707. *fiducia formae*. IX. Met. v. 120. *fiducia pedum*. Quintilianus XII. c. 8. *fiducia memoriae*. Ad rem vero Horatius II. Epist. 2. v. 105.

Obturem patulas impune legentibus aures,
Ridentur mala qui componunt carmina: verum
Gaudent Scribentes, et se venerantur, et ultro
Si taceas, laudant, quidquid scripsere beati.

(9) *Confectus*. Gravissimâ molestiâ affectus, acerbissimum taedium tolerans. *Confectus* proprie absolutus, effectus, finitus, et propterea absumtus, consumtus, fractus, et veluti necatus, et mortuus, quo sensu hic sumitur. Cicero XIV. ad Famil. Epist. 4. *Mulier aegra, et corpore et animo* confecta. Pro Muren. c. 40. *Homo miser, et cum corporis morbo, tum animi dolore* confectus. Catullus Carm. LXIII. v. 1. *Dolore assiduo* confectus. Ovid. I. ex Ponto v. 74. *Curis* confici. Tibull. I. Eleg. 7. v. 39. Confecta *dolore pectora*.

(10) *Pessimo volumine*. A pessimis et ineptissimis illis scriptis, quae recitabantur. *Volumina* a volvo, quòd circa se volverentur, per excellentiam dicta sunt Scriptorum libri. Horatius II. Ep. I. v. 26. *Annosa* volumina *Vatum*. I. Epist. 13. v. 2.

Augusto reddes signata volumina; *Vinni*.

Ovidius III. Trist. 14. v. 19.

Sunt quoque mutatae ter quina volumina *formae*.

Unde Plinius XIV. cap. 22. *Edere* volumina. XXV. c. 1. *Componere*. VI. c. 17. *Condere*. Ad rem autem Horat. Art. v. 474.

Indoctum doctumque fugat recitator acerbus,
Quem vero arripuit tenet, occiditque *legendo*,
Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

(11) *Inquit*. Aesopus scilicet.

(12) *Vehementer probo*. Summopere, maximopere. Terentius Eun. V. 9. v. 39. *Credere hoc mihi* vehementer *velim*. Hecyr. III. 5. v. 38. *Amoque, et laudo, et* vehementer *desidero*. Cicero IV. Academ. c. 63. *Admirari* vehementer.

(13) *Hoc*. Scilicet ut tu lauderis, commenderis. Sensus est. Equidem maximopere probo, quod tu in scriptis tuis teipsum laudasti. Nam saltem hoc pactò laudem tibi habuisse videris, quum nemo ullus umquam erit, qui te et scripta tua sit laudaturus.

(*) Fa-

FABULA IX.

Pompeius et eius Miles (*).

Magni Pompeii (1) Miles vasti corporis (2) Fra-

(*) In Fabellae Promyrhium haberi posset:

Est saepe mendax frontis humanae fides,
Nec qui videtur is reapse noscitur.

Hac sententiâ *mendax fides* rectum puto. Nam Iuvenalis Satyr. II. v. 8. *Frontis*, ait, *nulla fides*. Tum Horatius III. Od. 1. v. 30. *Fundus* mendax. Ovidius III. Trist. 7. v. 38. *Speculum* mendax. Tibullus *os*, *sive facies*, mendax. *Frons* autem saepe est species, vultus hominum, et singillatim ad ostendendos mores. Apposite Cicero ad Q. Fratr. lib. I. Epist. 1. cap. 5. Frons, *oculi*, *vultus persaepe mentiuntur*. V. ad Attic. Epist. 10. *Haec ipsa fero equidem* fronte, *ut puto*, *et volo bellissime*, *sed angor intimis sensibus*. II. de Finib. c. 24. *Ut in* fronte *ostentatio sit*, *intus veritas occultetur*. Et Q. Frater de Petit. Consul. c. 12. *Homines* fronte *et oratione magis*, *quam ipso beneficio reque capiuntur*. Et Noster Prol. lib. IV. v. 4.

Non semper ea sunt quae videntur, *decipit*
Frons *prima multos*.

Is autem est *talis*, is ipse, ut in his Phaedri verbis, et apud Terentium Eun. III. 4. v. 7. *Quisnam hinc a Thaide exit.* Is *est*, *an non est? Ipsus est*. *Noscitur* tandem proprie. Terentius Phorm. II. v. 35. *Unum cognôris omnes* noris. Cicero I. Tusc. cap. 22. *Hanc habet vim praeceptum Apollinis quo monet*, *ut se quisque* noscat. *Quum igitur* nosce *te dicit*, *hoc dicit* nosce *animum tuum*. Perottus quidem scripsit: *Quam difficile sit hominem nosse*. Sed ego nescio an haec ipsa Phaedri sint verba. Quod si quis tamen esse putet, forte haud temere scriberet:

Difficile est hominem nosse, *et interdum suae*
Mendax nos primae decipit frontis fides.

(1) *Magni Pompeii*. Cneus Pompeius, Pompeii Strabonis filius Vir aetate sua fuit divitiis, potentia, gratia, animique virtute nemini secundus. Adeptus est propterea cognomen *Magni*, quod in populari Republica mirum. Altissimis omnino laudibus a Cicerone eius coaevo et familiari tollitur potissimum in Orationibus pro lege Manilia, et in Pisonem: a Velleio Paterculo lib. II. Histor. cap. 29. 30. etc. a Lucano in Pharsalia passim, quae unius Pompeii laus videri potest, a Plinio lib. VII. Hist. c. 26. etc. ab App. Alexandr. aliisque pluribus.

(2) *Vasti corporis*. Ingentis, amplissimi, staturae et magnitu-

Fracte loquendo (3), et ambulando molliter (4)

Fa-

tudinis maximae. Cicero de Orat. l. c. 26. Vastus *homo*, *atque* foedus. l. de nat. Deor. c. 35. *Elephanto belluarum nulla prudentior, aut figurâ* vastior. Seneca Hippol. v. 801.

. . . . . *Tu licet asperos*
Pugnacesque Deos viribus arceas,
Et vasti *spatio vincere corporis*.

In Agamemn. v. 756.

Et ossa vasti corporis.

Et Noster in vulg. l. fab. 5. v. 5.

Hi quum cepissent cervum vasti corporis.

Dubitari ergo nequit, quin loquendi modus latinus et rectus sit, quumque eius sententia absurda et plane inepta non sit, et Codicis lectio contra sit perspicua, haud fidenter pronuntiarem mendum aliquod in ea verba omnino irrepsisse. Arbitrarer tamen forte ab Auctore revera fuisse *vesci corporis*, non *vasti corporis*. Nam primum haud videtur tam ingentis magnitudinis hominem tam certam cinaedi famam trahere potuisse, quum huiusmodi corporis homines, quiqui eorum mores sunt, metum potius quemdam et terrorem incutiant, et parum facti ad mollitiem videantur. Tum si reverâ tantae magnitudinis fuit miles haud probe intelligitur, quomodo plane nihili haberetur, quum statura maxime et magnitudo, etsi non raro iniuriâ, milites commendet. Atqui si miles ille *vesci* fuit corporis nempe sicci et gracilis omnia dubio procul egregie procedunt. Sed quod maius est haec Plinius lib. VII. c. 20. Corpore vesco, *sed eximiis viribus Tritanum in gladiatorio ludo, Samnitium armaturâ celebrem, filiumque eius* militem Magni Pompeii, *et rectos et transversos cancellatim toto corpore habuisse nervos in brachiis etiam, manibusque auctor est Varro in prodigiosa virium relatione. Atque etiam hostem ab eo ex provocatione dimicantem inermi dexterâ uno digito superavit, et postremo correptum in castra translatum*. Hic autem non modo habemus simile vel etiam maius fortitudinis in *corpore vesco* exemplum, sed etiam forte de isto ipso milite, de quo Noster, Plinius etiam loquitur. Quod si verum est, emendatio plane certa videtur. Auctoritas autem Codicis haud maxima est, et nemo porro non videt, quam facile *vesci* in *vasti* transire potuerit sive quod verbum parum intelligeretur, sive quod *c* cum *i* copulatum speciem *τ̃* *t* habuerit.

(3) *Fracte loquendo*. Delicatê, tenerê, effeminate. *Fracte loqui* non est loqui abrupte, et veluti per intervalla, sed vocem variê inflectendo, eamque per varios tonos dividendo, et frangendo, quo placeat. Iuvenalis Satyr. II. v. 111.

Hic turpis Cybeles, et fracta *voce loquendi*
Libertas.

Tacitus Annal. XIV. c. 20. *Si* fractos sonos, *et dulcedinem vocum perite audissent*. Plinius Caecil. III. Epist. 14. *Pudet referre, quae quam* fracta *pronuncia-*

Famam cinaedi (5) traxerat (6) certissimam;
Hic insidiatus nocte iumentis Ducis (7),
Cum veste (8), et auro, et magno argenti pondere,
Aver-

ciatione dicantur, quibusquam teneris clamoribus excipiantur. Claudianus in Eutrop. l. v.261.

... Verbis*que sonat plorabile quiddam*
Ultra nequitiam fractis.

(4) *Ambulando molliter*. Gressu molli, effeminato, languido, tenero. Ovidius II. Am. IV. v. 33. Molliter *incedit*. III. Art. v. 305.

...... *Rusticus alter*
Motus in incessu, mollior *alter erit*.

Seneca VII. Quaest. nat. c.31. *Tenero et* molli incessu *suspendimus gradum*. Iulius Firmicus lib. VIII. c. 7. *Molliter ambulant*.

(5) *Cinaedi*. Mollis, effeminati, et impudici hominis.

(6) *Traxerat*. Contraxerat, sibi comparaverat, adeptus fuerat. Recte. Nam ut egregiè dictum ab Ovidio II. Metam. v. 306. Trahere *colorem*, a Plinio XV. c. 14. Trahere *e caussis nomen*. XXXII. c. 10. Trahere *vitium*. XXXVII. c. 8. Trahere *nomen*, a Cicerone III. Philipp. c. 6. *Cognomen ex contumelia traxit*: ab Ovidio iterum Fast. I. v. 596.

Ille Numantina traxit *ab urbe* notam.

Sic *trahere famam* rectum et latinum est.

(7) *Iumentis Ducis*. Nempe Pompeii Imperatoris et Ducis sui. Summus Imperator exercitus, cuiusque auspiciis bellum gerebatur *Dux* etiam dicebatur. Livius lib. IV. c. 20. *Nec Ducem novimus, nisi cuius auspicio bellum geritur*. Unde *Duces* dicti etiam Imperatores post Caesarem. V. Horatium III. Od. 14. v. 7. Auctorem nostrum in vulg. II. fab. 5. v. 23. Martialem XII. Epigr. 6. etc. *Iumentum* autem appellabant Romani quemvis iustae magnitudinis quadrupedem, qui onera gestaret, aut currus et plaustra traheret, veluti equos, mulos, asinos, boves: Ea enim vox vel a *iuvare* est, tamquam *iuvamentum*, quod Columellae Praef. in lib. VI. R. R. D. Augustino Quaest. in Deutor. V. cap. 38. D. Isidoro XII. Orig. c. 1. placebat, vel a *iugare* veluti *iugamentum*, quod Caecilius apud Gellium lib. XX. Noct. c. 1. et Non. Marcellus cap. 1. p. 54. malebant. Per ista autem *iumenta* Auctor omnia Pompeii impedimenta et sarcinas intelligit, quae a iumentis gestabantur aut vehebantur.

(8) *Cum veste*. *Vestis* singulari numero non una numero vestis, non unicum est indumentum, sed contra universa supellex, qua homines ad amictum, vestitumque indigent, quidquid ad se honeste tegendum ornandumque facit *vestis* singulari numero dicebatur. Plautus Curcul. II. 3. v. 69. *Mulierem a lenone cum auro et veste abducere*. Et IV. 2. v. 2. *Et aurum et* vestem *omnem suam aiebat, quidquid haec haberet*. Cicero II. Philipp. c. 27. *Permagnum fuit optimi pondus argen-*

Avertit mulos (9). Factum rumor dissipat (10), Arguitur Miles (11); rapitur in Praetorium (12). Tum

genti, *pretiosa vestis*, *multa et lauta supellex*. VII. Verr. c. 56. *Ad deprecandum periculum proferebant alii purpuram Tyriam, tus alii, atque odores*, vestem*que lineam* Vid. etiam fab. XVI. v. 3.

(9) *Avertit mulos*. Sensus est: Miles quum struxisset insidias, ut Imperatoris sarcinas interciperet non omnia plane iumenta avertit, sed mulis iniecit manus, qui veste, auro, argento, pretiosioribus nempe rebus onusti erant, et abduxit. Eleganter autem ad hanc sententiam *averto*. Catullus de Nupt. Pelei et Thetid. v. 5.

Auratam optantes Colchis avertere *pellem*.

Virgilius I. Aen. v. 471.

Tydides multa vastabat caede cruentus,
Ardentesque avertit *equos in castra*.

(10) *Factum rumor dissipat*. Factum nempe vulgatur, late differtur, et spargitur. Ex stilo Auctoris. Ita in vulg. Lib. IV. fab. 4. v. 14. *Athenas* rumor *implet*. Fab. 17. v. 17. Rumor *legatos prodidit*. Lib. V. fab. 5. sive II. Epit. fab. 31. v. 11.

Dispersus rumor *civitatem convocat*.

Et lib. V. fab. 7. v. 20. Rumor *fremit in theatro*. *Dissipat* eleganter. Cicero XIV. Philipp. c. 6. *Et cum vitae etiam dispendio famam istam fascium* dissipaverunt. Cap. 10. Dissipatis *rumoribus improbissimis*. Pro Planc. capit. 57. *Nihil est tam volucre quam maledictum, nihil latius* dissipatur etc.

(11) *Arguitur miles*. Accusatur, patrati facinoris reus traducitur. Cicero pro Rosc. Amerino cap. 13. *Occidisse patrem Sext. Roscius* arguitur. Pro Coelio c. 1. *Nec dubito, quin tanti facinoris reus* arguatur. Ovidius II. Trist. v. 327. Arguor *immerito*.

(12) *Rapitur in Praetorium*. Rapitur in tentorium Pompeii Imperatoris, quo iudicaretur. *Praetorium* a Praetore, locus generatim fuit, quo Praetor ius reddebat, dicebatque. Sed quoniam *Praetor* priscis Romanis, quivis Magistratus fuit, et Duces in castris reddebant iura in suis tentoriis, ideo Imperatoris tentorium dictum absolute *Praetorium*. Asconius in III. Ciceronis Verr. cap. 14: *Veteres omnem Magistratum, cui pareret exercitus Praetorem appellaverunt*: *Unde et* Praetorium *Tabernaculum eius dicitur, hinc Praetoria navis, qua Classis Praefectus vehebatur, et Praetoria cohors, quae circa Ducem versabatur*. Et hac sententia, qua Auctor noster adhibet penes Caesarem B. Civ. I. c. 76. III. c. 82. Sallustium B. Iugurth. c. 8. Livium lib. III. c. 25. VII. c. 12. X. c. 33. et alios plures τὸ *Praetorium* occurrit. *Rapitur* autem proprie. Plautus Aulul. IV. 10. v. 31. Eucl. *Iam quidem ad Praetorem hercle te* rapiam, *et tibi scribam dicam*. Poenul. V. 5. v. 56. Ag. Rapiamus *in ius*. Horat. I Satyr. 9. v. 77. Rapit *in ius*. II. Satyr. 3. v. 72. *Quum* rapies *in ius*.

(13) *Tum*

Tum Magnus (13): Quid ais (14)? Tune me, commilito (15),
Spoliare (16) es ausus? Ille continuo exscreat (17)
Sibi in sinistram, et sputum digitis disiicit (18):
Sic, Imperator, oculi extillescant mei (19),
Si

(13) *Tum Magnus*. Pompeius nempe ad militem dixit. Pompeius appellatus est *Magnus* absolute, et simpliciter. Petronius Spec. Bel. Civ. v. 63. *Libyco lucet aequore* Magnus et v. 244. *Gemino cum Consule* Magnus. Lucanus vero passim.

(14) *Quid ais?* Quid huic accusationi, postulationi respondes? Quomodo id fieri potuit? Interrogandi formula de iis, quae pudorem et verecundiam faciunt. Plautus Amphitr. II. 1. v. 73. Amph. *Sed* quid ais? *Num obdormivisti dudum?* Sos. *Nusquam gentium*.

(15) *Commilito*. *Commilito* qui una militat, militiae socius et comes. Cicero pro Deiotar. c. 10. *Qui meus in Cilicia miles, in Graecia commilito fuit*. Vell. Paterculus lib. II. c. 19. *Habere aliquem* commilitonem *belli*. Hoc autem nomine Imperatores ad popularitatem et benevolentiam captandam milites suos interdum appellabant. Ita Caesar fecit, ut Svetonius tradit in vit. c. 67. *Nec* milites *eos pro concione, sed blandiore nomine* commilitones *appellabat*. Ita Octavianus antequam esset Augustus, ut idem Svetonius scribit in vit. cap. 25. Ita Alexander Severus apud Ael. Lampridium in vit. cap. 3. aliique plures.

(16) *Spoliare*. Supellectilem meam furari, rapere, me veluti nudum et spoliatum relinquere? Eleganter. Ita Cicero dixit II. ad Attic. Epist. 3. *Opibus* spoliare. VI. Verr. c. 37. *Argento omni aliquem* . . . spoliare. Pro Quint. c. 6. et Iustinus lib. XVI. *fortunis* spoliare. Similia Virgilius V. Aen. v. 661. Ovidius XII. Metam. v. 245. Lucanus I. v. 379. Et Noster in vulg. II. fab. 7. sive II. Epit 2. v. 10.

(17) *Exscreat*. *Exscreare* est sputum cum sonitu et crepitu eiicere. Plautus Asinar. I. 1. v. 28.

... Lib. *Age age usque* exscrea.
Dem. *Etiamne?* Lib. *Quaeso, hercle usque ex penitis faucibus*.

Ita Ovidius Epist. Her. XXI. v. 24. et Trist. II. v. 460. Tum Celsus IV. c. 6. etc.

(18) *Disiicit*. In Codic. *Dissipat*. Sed vid. Lect. nostras. Disiicit, spargit huc illuc, in parvas guttas infringit, et disperdit.

(19) *Sic, Imperator, oculi extillescant mei*. Verba militis ad Pompeium. Sensus est: Eodem pacto, o Imperator, quo sputum hoc digitis disiectum in minutas stillas guttasque resolutum et dispersum est, oculi mei in minutas guttas stillasque disrupti dissipentur et disperdantur. *Extillescere* hîc non est guttas destillare, stillas emittere, quo sensu Plautus Pseud. III. 2. v. 29. Columella XII. R. R. c. 40. *extillo* usurpant;
ve

Si vidi, aut tetigi (20) Tum Vir animi simplicis (21),
Id dedecus Castrorum (22) propelli iubet (23),
Nec

verum est se in stillas convertere, in guttas se resolvere; quod expressisse videtur Terentius in Phorm. V. 7. v. 81.

Hisce ego illam dictis tibi incensam dabo,
Ut ne restinguas, lacrymis si extillaveris.

(20) *Si vidi aut tetigi.* Mulos nempe illos, quos revera averterat: Et ita impudenti mendacio horrendam in semetipsum imprecationem adiiciebat.

(21) *Tum Vir animi simplicis.* Pompeius scilicet. *Simplex* hic est candidus, bonus, qui facile credit, et aegre malum in aliis ex se suspicatur. Cicero IV. Acad. c. 112. *Homo simplex, purus, apertus, nihil tectum, nihil simulatum habens.* Ovidius II. Fast. v. 226.

Quo ruitis, generosa domus, male creditis hosti,
Simplex *Nobilitas, perfida tela cave.*

I. Art. v. 241. *Aevo rarissima nostro* Simplicitas. Petronius Satur. c. 101. *Mens* simplicissima. Pompeius autem candidi certe fuit et simplicis animi. Plinius lib. XXXVII. c. 2. *Imago Cn. Pompeii e margaritis, illa regio honore grata, illius* probi *oris venerandaque per cunctas gentes, illa, inquam, ex margaritis.* Paterculus lib. II. c. 29. *Pompeius* innocentiâ *eximius*, sanctitate *praecipuus . . . . civis in toga* modestissimus, *amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, in reconcilianda gratia fidelissimus, in accipienda satisfactione facillimus.* Tanta autem probitas et innocentia sine multa animi simplicitate haberi non potuerunt.

(22) *Id dedecus Castrorum.* Militem hunc impurum, cinaedum, qui ab omnibus habebatur Castrorum dedecus, qui exercitum tam gravi dedecore afficiebat, quum vitam tam turpem et mollem, tamque militari disciplinae adversam duceret. Alexander Severus sic in Romanos milites deliciis aliquanto fractos apud Ael. Lampridium in vit. c. 14. invehitur. *Milites Romani, vestri socii, mei contubernales, et commilitones amant, potant, lavant, graecorum more etiam quidam se instituunt, hoc ego diutius feram, et non eos capitali dedam supplicio?* Miles autem de quo agimus et his nequior videtur. Syntaxis autem recta. Noster in vulg. lib. I. fab. 21. v. 11. *Asinum* dixit *naturae dedecus.* Lucanus X. Phars. v. 59. Cleopatram *Aegypti dedecus.* Ovidius V. Fast. v. 589. Signa rapta Crasso: *longi dedecus aevi.* Seneca in Agamn. v. 300. Clytaemnestram sic in Aegysthum invehentem inducit:

Facesse propere, et dedecus *clarae* domus
Asporta ab oculis, haec vacat regi et viro.

Et apud Silium Hamilcar sic filium Annibalem alloquitur I. Punic. v. 105.

Gens recidiva Phrygum Cadmeae stirpis alumnos
Foederibus non aequa premit, si fata negarint

De

Nec cadere in illum credit tantam audaciam (24).
Forte intercessit praelium (25), et fidens manu (26)
Hor-

Dedecus id Patriae *nostra depellere dextra*,
Haec tua sit laus, *nate*, velis.
Ex Codice vero haec colliguntur tantummodo . *I . . . . s . as . . o . . .* Vid. Lect. nostr.

(23) *Propelli iubet* . Procul pelli, extra Praetorium eiici. *Propellere* est procul, et vi pellere. Plautus Rudent. III. 3. v. 8. *Qui scelestus Sacerdotem anum praecipitem repulit*, propulit *perquam indignis modis*. Ovidius Epist. Her. XXI. v. 41.
Ipsa velut navis iactor, *quam certus in altum*
Propellit *Boreas*, *aestus et unda refert*.

(24) *Nec cadere in illum credit tantam audaciam*. Pompeius nempe militem hunc vesci et gracilis corporis, mollem, effeminatum, quique coram se tam secure et audacter gravissimam in semetipsum imprecationem pronunciasset haud credit tanti facinoris fuisse capacem, et eum propterea absolvit. Multi quidem Imperatoris sine magnis viribus, et incredibili audacia averti non potuerant, quae nemo ullus in eo esse existimabat. Dicendi autem modus plane elegans. Cicero pro Sylla c. 27. *Non* cadit *in hos mores*, *non in hunc pudorem*, *non in hanc vitam*, *non in hunc hominem ista suspicio*. Virgilius IX. Eclog. v. 17. *Heu* cadit *in quemquam tantum scelus!* Plinius lib. XXXVI. c. 10. *Non* cadit *in alium tam absolutum opus*. Quamvis autem sit antea *id dedecus*; recte deinceps est *illum*, non *illud*. Horatius I. Od. 37. v. 20. de Cleopatra:
. . *Daret ut catenis*
Fatale monstrum, quae *generosius*
Perire quaerens.
Audacia porro hic non est inconsideratio, et temeritas, sed quaedam audax vis animi, quae propriis viribus confisa magna et difficilia facinora adgreditur. Sic Sallustius Bell. Catil. cap. 52. *Maiores nostri*, *P. C. neque consilio*, *neque* audaciâ *umquam eguerunt*. Livius lib. XXV. c. 38. *Numquam tantum ausi estis sponte vestra*, *experiri libet*, *quantum* audeatis *Duce vestro auctore*. *Non frangere* audaciam *vestram*, *sed differre in maiorem gloriam atque opportunitatem volui*. In Codic. *Nec . . de . . . . uni* etc.

(25) *Forte intercessit praelium*. Quum in bello exercitus invicem confligunt et certant, tum *praelium* fit. Unde *bellum* interdum nullo, saepius pluribus praeliis conficitur. Sallustius Bell. Iugurth. c. 58. *Ita fuit non* praeliis, *neque acie*; *sed alio more bellum gerendum*. Livius lib. IX. c. 7. *Quod Pop. Rom. etsi nullo bello*, *multis tamen* praeliis *victus sit*. Quum autem Romani duce Pompeio bellum, de quo hic agitur in Barbaros gererent forte *praelium* factum est, invicem nempe Romani et Barbari manus conseruerunt. *Intercessit* autem veluti intervenit, interpositum est, per id bellum factum est, accidit. Nam in bello, ut dictum est, non semper acie decernitur,
sed

Horrendâ voce provocabat Barbarus (27).

Sibi

sed pugnae et praelia interce. dunt tantummodo et interponuntur. Ad similem sententiam Terentius Andr. V. 5. v. 4. *Nam mihi immortalitas parta est, si nulla huic aegritudo gaudio intercesserit.* Caesar I.B.Civ. c. 21. *Saepe in bello parvis momentis magni casus intercedunt.* Ex Codice vero haec colliguntur: . . . . *ars* . . . . *r cessit*. Sed vid. Lect. nostras. Legebamus quidem in his: *Bellum forte intercessit*: quod *bellum* non raro pro *praelio* usurpatum fuerit. Attamen quum in versiculo insignis immutatio inducenda omnino videatur, placuit potius *praelium* deinceps adoptare, quod sententiam certe magis perspicuam, receptam, et notam praestat. Ceterum haec Docti viderint.

(26) *Fidens manu.* Strenuus nempe, fortis, multo robore valens, qui viribus suis fidebat. *Manus* hic est virtus, et militaris strenuitas, quae manu praesertim ostenditur. Unde apud plerasque gentes *manus* symbolum virium et fortitudinis fuit. Sallustius in Bell. Iugurth. c.35. *Vindicandum in eos, qui hosti prodidere Rempublicam non manu neque vi.* Tacitus in vit. Agricol. c. 9. *Castrensis iurisdictio secura et obtusior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exercet.* Florus lib. I. c. 10. *Porsena Tarquinios manu reducebat.* IV. cap. 1. *Coniurationem manu opprimere.* Syntaxis autem recta. Virgilius III. Georg. v. 31. Fidens *cursu*. Ovidius VII. Metam. v. 545. Fidens *pedibus*. Horatius III. Od. 4. v. 50. Fidens *iuventus brachiis*.

(27) *Horrendâ voce provocabat Barbarus.* Sensus est. Unus Barbarorum, cum quibus Pompeius gerebat bellum, magnis suis viribus confisus ferâ et horrendâ voce quemque Romanorum provocabat, ut singulari certamine secum congrederetur. In bellis autem Veterum saepe fiebat, ut aliquis ex alterutro exercitu alium quemlibet ex altero sibi adversarium in singulari certamine posceret, vel ad gloriam militaris fortitudinis, vel ut eo certamine totam belli fortunam experiretur. Ita Siccius Dentatus Romanus miles *octies ex provocatione victor evasit*, ut scribit Plinius lib. VII. c. 28. Ita M. Torquatus cum Gallo pugnat; quod certamen Quadrigarius apud Gellium lib. IX. c. 13. et Livius lib. VII. c. 6. describunt. Simile certamen Valerii Corvini cum alio Gallo, de quo idem Livius lib. VII. cap. 18. *Barbarus* autem hic non est generatim quidam *barbarus*, sed unus ex illis barbaris, ex barbarorum exercitu: et *Barbari* hîc gens moribus effera, et immanis, quod animadvertendum. Nam Romani *barbaros* generatim appellabant omnes, qui Romani et Graeci non essent, unde Phryges, Lydi, Assyrii, Babylonii dicuntur interdum hoc sensu *barbari*. Eo sensu Cicero pro Marcell. cap. 2. *Gentes immanitate* barbarae. VI. Verr. c. 50. *Neque tam* barbari *lingua et natione illi, quam sui natura et moribus.* Quod autem

rem

Sibi quisque metuit (28), et (29) primi mussant
Duces (30):

Ta-

tem duo priora versiculi verba, quae ex Codice colliguntur haec sunt: In eorum nempe loco extitisse tredecim ferme vel quatuordecim literas; quarum primam et initialem fuisse videtur *V*, postremas *u*, *s*: quod iam in Lectionibus nostris monuimus. In istis quidem putabamus forte scriptum: *Voce Nostros ferus*: Et propterea teneri posse: *Voce ferâ Nostros*: Sed aliter deinceps visum est. Nam primum ea tria verba ampliora aliquanto sunt, ut eo loco aptissime contineantur. Tum *Nostros* ex Phaedri stilo esse affirmari nequit, qui nuspiam, quod ego sciam, Romanos *Nostros* dixit, vel se Romanum esse professus est. Vid. Dissert. nostram de Phaedr. vita Cap. II. §. 14. Quamobrem, quum Phaedrus saepius elliptice loquatur, et contra satis luculenta hactenus mentio Romani belli cum Barbaris iniecta sit; quin dici etiam possit uberiorem forte factam fuisse in Promythio vel Epimythio, quod resecuit Perottus: haud prorsus temere coniicitur simpliciter scriptum fuisse ab Amanuensi *Voce horrendus* forte pro *Horrenda voce*, quod hîc in Phaedro commode teneri posse videtur. Nam ad rem plane facit, et Virgilius IX. Aen. v. 112. scripsit: Vox horrenda *per auras Excidit*. Ovidius IV. Fast. v. 190. *Horrendus sonus*. Seneca in Herc. Fur. v. 795. *Vocis horrendae fragor*. Similia alii. Ceterum et haec lectio Doctis curae sit.

(28) *Sibi quisque metuit*. Ne scilicet iussus cogatur prodire in tam immanem Barbarum, et mortem propterea cum infamia oppetere. Quadrigarius loc. cit. *Nemo Romanorum audebat prodire propter magnitudinem atque immanitatem facies Galli*. Livius loc. cit. *Diu inter primores iuvenum Romanorum silentium pariter fuit, quum et abnuere certamen vererentur, et praecipuam sortem periculi petere nollent*. Loquendi autem modus elegans. Livius lib. I. c. 9. *Tantam in medio crescentem molem* sibi, *et posteris suis* meruebant. Apuleius lib I. Metam. *Eximie* metuens mihi. Lib. VII. Sibi quisque metuentes *delitescebant*. Noster in vulg. lib. III. fab. 2. vel II. Epit. fab. 5. v. 15.

Tum sibi timentes *qui ferae pepercerant*.

In Codic. autem: . . *bi* . . . *que metuit*.

(29) *Et*. Vocula haec deest in Codice. Sed vid. Lect. nostr.

(30) *Primi mussant Duces*. *Dux* non est tantummodo supremus exercitus moderator, unus Imperator, qua potestate vox hactenus hîc usurpata est. Sed etiam ductor Imperatori subditus. Cicero III. Offic. c. 26. *Attilius Regulus quum Consul iterum in Africa ex insidiis captus esset* Duce *Xantippo Lacedaemonio, Imperatore autem patre Hannibalis Hamilcare, iuratus missus est ad Senatum*. Seneca in Agamemn. v. 39.

Rex ille Regum, ductor Agamemnon Ducum.

Et

Tamen is (31) cinaedus habitu (32), sed Mars viribus (33)
Adiit (34) sedentem pro tribunali Ducem (35),

Et

Et v. 1007. *Mille ductorem* Ducum. *Mussare* autem est summissa, demissa voce loqui, ne alii potissimum audiant, quod pudorem metumve faciat. Virgilius XI. Aen. v. 454. *Flent moesti*, mussant*que Patres.* XII. v. 657.

> . . . Mussat *Rex ipse Latinus*
> *Quos generos vocet, aut quae*
> *sese ad foedera flectat.*

Statius III. Theb. v. 92.

> *Excussae procerum mentes, turbat*que mussant
> *Concilia.*

Claudianus II. in Eutrop. v. 134. *Tacita formidine* mussat. Mussabant ergo illi Duces, quod gravissimum negotium illud esse videbant, et quid consilii caperent nesciebant.

(31) *Tamen is.* Miles nempe de quo agitur. Duo haec verba coniectura reposita sunt. Sed vid. Lect. nostras.

(32) *Cinaedus habitu.* Externa specie, exteriori cultu, facie, incessu, voce, modis, quibus vivebat, agebatque. Cicero de nat. Deor. I. cap. 35. *Oris quidem habitus ad vitae firmitatem nihil pertinet.* Pro Coel. c. 24. *Quum floreret integerrima aetate, optimo* habitu, *maximis viribus.* Seneca Epist. 52. *Insanam vultus,* habitus*que demonstrant.* Et Noster in vulg. l. fab. 3. v. 2.

> *Suoque potius* habitu *vitam*
> *degere.*

(33) *Sed Mars viribus.* Sed quoad vires et robur tamquam ipse Mars. *Mars* belli Deus a Romanis habebatur, et propterea omnium fortissimus et robustissimus. Opportune Cicero XV. ad Attic. Epist. 11. *Fortibus sane oculis Cassius,* Martem *spirare diceres, se in Siciliam non iturum dixit.* Plinius autem lib. VII. cap. 20. ut vidimus: *Corpore vesco, sed eximiis viribus.*

(34) *Adiit* ex coniectura repositum, sed quae plane certa videtur. Nam loco Codicis omnino congruit, nec sententia, ut arbitror aliud potius probat. Cicero ad Q. Fratr. I. Ep. 2. *Quum Praetores diebus aliquot adiri non possent.* Livius lib. XXXVII. c. 6. Aditus *Consul.* Seneca Herc. Fur. v. 733.

> Aditur *illo Gnossius Minos*
> *foro.*

(35) *Sedentem pro tribunali Ducem.* Pompeium nempe, qui tum in suo Praetorio sedebat pro Tribunali. *Tribunal* a *Tribuno* dictum suggestum quoddam et locus sublimis dicebatur, ex quo primum Tribuni, tum ceteri Magistratus ius dicebant, reddebantque, et quoniam in Castris iura ab Imperatoribus reddebantur, ut dictum est, ideo in Praetorio Imperatoris et Tribunal erat. Tacitus lib. III. Histor. c. 10. *Sensit ludibrium miles, disiectisque, qui* Tribunal *tuebantur, extrema vis parabatur.* Lib. IV. cap. 25. *Gliscebat iracundia Legionum; conscendit* Tribunal *Vocula mira constantia.* *Sedere* autem *pro Tribunali,* erat sedere vel ad reddenda iura, vel ad gravissi-

ma

Et voce molli (36): Licet (37)? Enimvero eiici (38),
Ut in re atroci (39), Magnus stomachans, imperat.
Tum quidam senior ex amicis Principis (40),
Hunc

ma negotia expedienda. Cicero III. ad Famil. Epist. 8. *Me vultu et taciturnitate significasse, tibi non esse amicum, idque pro Tribunali, quum aliquid ageretur*. Non dubito autem quin Pompeius se ere hic *pro Tribunali* inducatur, ut de illa ipsa Barbari provocatione quid agendum faciendumve esset decerneret.

(36) *Et voce molli*. Delicatâ et tenerâ voce ad Pompeium dixit. Cicero III. de Orat. c.38. *Sunt enim certa vitia, quae nemo est, quin effugere cupiat, mollis vox et muliebris*.

(37) *Licet?* Perinde ac dixisset. Licetne mihi, Imperator, in hostem prodire, iubesne, ut cum Barbaro congrediar? Formula quaerendi veniam a suo Praefecto vel Principe ad aliquid agendum faciendumve. Militi autem Imperatoris iniussu numquam decertare licebat, potissimum quod auspicia, sine quibus nil ratum bonumque erat, apud Ducem omnino esse arbitrabantur. Ita loquentem M. Torquatum Livius loc. cit. inducit: *Iniussu tuo, Imperator, extra ordinem numquam pugnaverim, non si certam victoriam videam: Si tu permittis, volo*. Tum de Corvino: *Prius sciscitatus Consulis voluntatem in medium armatus processit*.

(38) *Enimvero eiici*. Supple *Militem*, quae vox tamen eleganter reticetur, nam de irato loquitur Auctor. *Enimvero* autem plane apposite. Donatus ad Terentium Andr. I. 3. v. 1. Enimvero, ait, *habet significationem nimium permoti atque irritati animi*. Cicero III. Verr. c. 26. Enimvero *ferendum hoc non est*. Livius lib. II. c. 45. Enimvero *non ultra contumeliam pati Romanos posse*. In Codice post *eiici* legitur etiam *virum*. Sed vid. Lect. nostras.

(39) *Ut in re atroci*. Rem atrocem, seu negotium atrox illud Romani appellabant, ex quo aliquid detrimenti Respublica capere videretur, ex quo Romano nomini dedecus aliquod fieret. Sallustius B. Catil. c.30. *Itaque quod plerumque in atroci negotio solet, Senatus decrevit, darent operam Consules, ne quid Respublica detrimenti caperet*. Et cap. 54. Res *tanta atque atrox nos movit*. Pompeius igitur super illa provocatione graviter occupatus, ne scilicet Romanum nomen barbaris contemtui fieret, in ludibrium fere et contumeliam tulit, quod vescus et gracilis homo, cinaedus et mollis peteret sibi veniam, ut in Barbarum procederet, adversus quem strenuissimi et fortissimi Viri prodire detrectabant. Ideo vehementer iratus iussit, ut statim eiiceretur.

(40) *Principis*. Nempe Pompeii. Sed Pompeius haud dicitur hic *Princeps* eo sensu, quo Imperatores Romani ab Augusto *Principes* dicti fuerunt, supremus scilicet Imperii moderator et arbiter. Attamen anteriori et veteri, quo praecipuam quam-

Hunc ego committi satius fortunae arbitror (41),
In quo iactura levis est (42), quam fortem virum (43),
Qui casu victus (44) temeritatis te arguat (45).

As-

quamdam personam, praecipuum Civem vox significabat. Cicero I. Famil. Epist. 9. *Quales in Republica Principes essent, tales reliquos solere esse Cives.* Horatius I. Epist. 17. v. 35.

Principibus placuisse viris non ultima laus est.

Nepos in Cimon. c. 3. *Ceteri Atheniensium principes.* Tacitus II. Histor. c. 62. Principes *Civitatum.* Et Noster in vulg. hic lib. II. fab. 27. v. 4. *Ipsi principes:* nempe Athenarum. Nec Princeps Senatus, vel princeps Iuventutis alius erat, nisi qui primus inter Senatores vel Equites numerabatur. Pompeius autem Romanorum aetate sua potentissimus vere Princeps Civitatis extitit. Cicero I. ad Fam. Ep. 9. *Quum in Republica Cn. Pompeius Princeps esset.* Pro Domo sua c. 66. *Cn. Pompeium, quem omnium iudicio longe Principem esse Civitatis videbat.* Vid. si lubet etiam Lect. nostr.

(41) *Hunc ego committi satius fortunae arbitror.* Equidem nempe arbitror, puto, existimo, quod satius, melius, potius sit, ut hic miles cinaedus et nihili homo committatur fortunae, experiatur hoc periculum, ineat certamen cum Barbaro. *Committere fortunae* est tradere ad eventum incertum rei, ut suscipiatur quidquid sors et fortuna ferent. Cicero IV. ad Attic. 6. Committere *se timidius* fortunae.

(42) *In quo iactura levis est.* Nempe in quo milite. Si huius militis iactura fit, si is miles a Barbaro in certamine necatur, iactura est levissima. Nam est homo nihili. Serv. Sulpicius inter Epist. Ciceron. IV. Fam. Ep. 5. *In unius mulierculae animula* iactura *facta est.* Livius IV. cap. 32. *Parva* iactura *accepta.* Ovidius II. Am. 14. v. 32.

Iacturâ *socii sanguinis ulta virum.*

(43) *Quam fortem virum.* Intelligitur iterum *committi fortunae.* *Vir* proprie est strenuus et fortis. Nam est a *vis*. Cinaedi autem et molles numquam viri habiti sunt et fortes.

(44) *Qui casu victus.* Non quod viribus et virtute impar Barbaro esset, sed quodam casu, ut fieri solet. Anceps est pugnatum et certaminum fortuna, nec semper validior vincit.

(45) *Temeritatis te arguat.* *Temeritas* hic non est audacia, et magna animi confidentia, sed, quae prima eius vocis potestas est, inconsiderantia, imprudentia. Hoc sensu Caesar. VII. B. Gall. c. 42. Temeritas *quam maxime illi hominum generi est innata, ut levem auditionem habeat pro re comperta.* Cicero pro Marcell. c. 2. *Numquam* temeritas *cum sapientia commiscetur, nec ad consilium* casus *admittitur.* II. de Div. c. 41. *Quibus in rebus* temeritas *et* casus, *non ratio nec consilium valent.* *Arguo* autem etiam hic est accuso, ut sup. v. 7.

(46) *As-*

Assensit Magnus (45), et permisit Militi
Prodire contra (47); qui, mirante exercitu (48),
Dicto celerius (49) hosti recîdit caput (50),
Victorque rediit. His tum Pompeius super (51)
Coronâ (52), Miles (53), equidem te dono libens,

(45) *Assensit Magnus*. Nempe amico suo. Opinionem eius probavit.

(47) *Prodire contra*. Intellige *hostem*, vel *barbarum*. Quod tamen eleganter reticetur, quum *τῷ contra* contineatur. *Prodire* proprie. Caesar III. B. Civ. c. 86. Milites, *quo firmiore animo in praelio* prodeatis. Quadrigarius apud Gellium loc. cit. *Extemplo silentio facto cum voce maxima conclamat, si qui secum depugnare vellet uti* prodiret ... *Id subito perdolitum est cuidam T. Manlio ... ex tanto exercitu neminem* prodire. Lucanus lib. VII. v. 231.

Inde truces Galli solitum pro-
distis *in hostem*.

(48) *Mirante exercitu*. Haud enim eum tantae virtutis et fortitudinis capacem existimaverant. In huiusmodi autem certaminibus sub oculis utriusque exercitus pugnabatur. Quadrigarius loc. cit. *Congressio in ipso ponte, utroque exercitu inspectante, facta est*.

(49) *Dicto celerius*. Celerius, quam dicatur, momento ferme temporis. Eleganter. Horatius II. Satyr. 2. v. 80. Virgilius I. Aen. v. 146. Livius lib. XXIII. c. 47. dixerunt: *Dicto citius*: quod idem valet.

(50) *Hosti recîdit caput*. In Codic. *hosti abscidit caput*. Sed vid. Lect. nostras.

(51) *His super*. De his, circa haec, quae facta fuerant. Virgilius I. Aen. v. 754.

Multa super *Priamo rogitans*,
super *Hectore multa*.

IV. Aen. v. 233.

Nec super *ipse sua molitur*
laude laborem.

(52) *Corona*. Romani milites ex egregio instituto, ubi in hostes eximia facinora edidissent coronis et muneribus ab Imperatoribus suis donabantur. Quae qualesque huiusmodi coronae fuissent Aulus Gellius V. Noct. Att. c. 6. explicat, et uberius etiam Carolus Paschalis in libris de coronis Veterum. *Corona* quidem, qua donatus dicitur miles, de quo loquimur, peculiari nomine caruisse videtur. Attamen vera, ut arbitror, et proprie dicta *corona* fuit. Nam Livius in Torquati certamine loc. cit: *Dictator*, ait, coronam *auream addidit donum, mirisque pro concione eam pugnam laudibus tulit*. Et de Corvino loc. cit: *Consul*, ait, *concione advocata laudatum Tribunum decem bobus, aureaque* coronâ *donat*. Id autem animadvertendum, quod *corona* non raro praemium quodvis significavit, torquem puta, aurum, argentum. Vid. Car. Paschal. Oper. cit. lib. VII. c. 2.

(53) *Miles*. In Codic. *militis*. Vid. Lect. nostras.

Quia vindicasti laudem Romani Imperî (54):
Sed extillescant oculi sic (55), inquit, mei:
[Turpe illud imitans (56) is quod ante fecerat (57)]:
Nisi tu abstulisti (58) e sarcinis opes meas (59).
FA-

(54) *Quia vindicasti laudem Romani Imperî*. Quia virtute tua Romani nominis gloriam, quae a Barbaris foedabatur illibatam in eos intemeratamque asseruisti ac praestitisti. *Vindicare* est aliquid sibi virtute et vi asserere, quod ab aliis iniuste occupatum putatur. Cicero II. de Invent. c. 22. Vindicatio *est per quam vis et iniuria, et omnino quod obfuturum est defendendo aut ulciscendo propulsatur*. *Imperium* autem hoc sensu latinum et probatum est. Cicero de Prov. Consul. c. 12. Imperii *finium propagatio*. Caesar IV. B. Gall. 16. *Populi Romani* Imperium *finit Rhenus*. Virgilius I. Aen. v. 291.

Imperium *Oceano, famam qui terminat astris*.

(55) *Sic*. Simili pacto, eodem modo. Verba Pompei ad militem.

(56) *Turpe illud imitans*. Imitans turpitudinem illam, quam ob oculos suos miles fecerat: scilicet exscreavit in manum suam, et disiecit sputum digitis, quod revera turpe. Nam *turpe* saepe est, ut hic, visu foedum, immundum, illiberale. Sic Virgilius dixit III. Georg. v. 557. *turpe tabum*. Horatius I. Epist. 5. v. 22. Turpe *toral*. Martialis IV. Epigr. 36. Turpis *stiria*. Ex Codice tantum: *Turpe illud . . . . . ns*. Sed vid. Lect. nostras.

(57) *Is quod ante fecerat*. Quod miles paullo ante usurpaverat. Haec verba omnia ex coniectura reposita sunt. Nam Codex hic plane deficit. Illud *sic* superioris versiculi, et *τὸ imitans*, quod fere explorate teneo, et locus vacuus, et metrum commode, ut puto, haec verba, vel simillimae plane sententiae recipiunt. Difficile quidem videtur turpitudinem istam a Pompeio admitti potuisse. Sed illud *sic* rem certam facit, quidquid de reliquis fiat. Neque porro ignotum vel praestantissimos et sapientissimos viros non raro in absurdos et foedos modos erumpere. Ceterum potiora ab Doctis.

(58) *Abstulisti*. Furatus es, rapuisti. Ita Cicero Divin. in Verr. c. 5. *Eripere et* auferre. Pro Quint. c. 27. Auferre *et abducere*. VI. Verr. c. 16. *Ab hoc abacos, vasa omnia* abstulit. Ad Attic. VII. Epist. 21. *Pecuniam de aerario* auferre.

(59) *E sarcinis opes meas*. Ex impedimentis pretiosiora mea supellectilia, pecuniam, aurum, et argentum. *Sarcinae* plerumque sunt fasces et involucra militarium supelectilium, quae iumentis etiam gestentur aut vehantur: quae iumenta propterea Caesar B. Civ. I. cap. 81. *Sarcinaria* dixit. Quamobrem id, ut puto, Pompeium non dedecet. *Opes* vero sunt vestis, aurum, argentum, de quibus v. 5. In Codice quidem haec: . . . . .

FABULA X.

Iuno, Venus, et Gallina.

Quum castitatem (1) Iuno (2) laudaret suam, Iucunditatis caussam (3) non repulit (4) Venus (5): Nul-

. . . . *me* . . Sed vid. Lect. nostr., in quibus lectionem illam et nonnullorum vestigiorum auctoritate, et aliis argumentis suadere conati sumus. Quibus addendum est *auferre* de *opibus* quidem proprie et recte dici, non vero de mulis et iumentis, quae *averti* vel *abigi* dicuntur, non *auferri*.

(1) *Castitatem*. *Castitas* non est absoluta abstinentia a nuptiis, sed tantummodo a vetitis et illicitis. Unde Cicero de Harusp. Resp. c. 13. *Femina, quae Matronarum* castissima *putabatur*. Ovidius II. Fast. v. 139.

Hic castas, *duce se, iubet esse maritas*.

Ita Tacitus in vit. Agric. c. 4. Noster in vulg. III. fab. 10. vel II. Epit. fab. 12. v. 14. Et supra fab. 7. v. 9. etc.

(2) *Iuno*. Iuno Iovis uxor et quidem spectatissimae pudicitiae a veteribus Romanis habebatur. Quamvis eius Vir coniugalem fidem perpetuo frangeret, ipsa tamen, ex eorum opinione, integram semper eam praestitit et illibatam. Ferebant quidem absque Iovis consuetudine Heben et Martem suscepisse, verum id factum addebant novo quodam et miro modo.

(3) *Iucunditatis caussam*. Occasionem, opportunitatem iocandi et oblectandi, iucunditatem quamdam et oblectamentum sumendi. Cicero I. Offic. c. 34. *Relaxare animum, et dare se iucunditati*. Ad Attic. X. Epist. 8. *Nihil mihi ex pluribus tuis iucunditatibus gratius accidit, quam quod meam Tulliam suavissime diligentissimeque coluisti*. *Caussa* autem ad hanc sententiam eleganter sumitur. Cicero II. de Div. c. 2. *Mihi* caussam *explicandae Philosophiae attulit gravis casus Civitatis*. Caesar II. B. Civ. c. 28. *Hanc nactus appellationis* caussam *Quintilius*. Terentius Hecyr. I. 2. v. 5.

Alias ut uti possem caussâ *hâc integrâ*.

In Codice est . . . . *nditatis caussa*. Sed vid. Lect. nostras.

(4) *Non repulit*. Non reiecit, non omisit, non passa est praeteriri. Arripuit nempe, sumsit. In Codice *non repellit*.

(5) *Venus*. Dea iucunditatum et voluptatum, φιλομμειδὴς seu risuum amans, ut appellatur ab Homero in Hymno v. 17. 49. 56. etc: Sensus est: Quum Iuno coram Venere magnopere se de sua pudicitia et castitate iactaret, Venus quae videbat pulcherrimam sibi occasionem iocandi ista iactatione praeberi, noluit quidem eam omittere et praeterire.

(6) *Nul-*

FABULA XIV.

Vidua et Miles (*).

Per aliquot annos (1) quaedam dilectum virum (2)
Amisit (3), et sarcophago (4) corpus condidit (5):
A quo

(*) Haec historiola late celebris est et vulgata, quod in Lect. nostris ad hunc locum pluribus observavimus, et iam antea occupaverat Dacerius in Mem. Acad. Inscript. Tom. XLI. Eam aeque eleganter narrat Petronius Arbiter Phaedro aetate proximus et suppar, ut peculiari Dissertatione, quae tertia est Prolegom. in Perottinum Codicem abunde, ut arbitramur, ostendimus. Facta omnino videtur sub imperio Tiberii Caesaris. V. Dissert. de Phaedr. vir. Cap. II. §. XI. In huius autem Fabellae Promythium scriberem:
Quam varium et mutabile sit semper femina,
Exemplo vero pretium est operae discere.
Nam Virgilius lib. IV. Aen. v. 569. *Varium et mutabile semper femina*. Tum Noster lib. II. vulg. fab. 5. v. 5.
Hanc emendare si tamen possum volo,
Verâ *fabella*, pretium est operae *attendere*.
Et fab. 2. v. 1.
A feminis utcumque spoliari viros
Ament amentur nempe exemplis *discimus*.
Perottus autem. *Quanta sit inconstantia et libido mulierum*.

(1) *Per aliquot annos*. Aliquot abhinc annis, aliquot tantummodo anni elapsi sunt, infra spatium aliquot abhinc annorum. *Aliquot*, ait Donatus ad Terentium Andr. III. 3. v. 2. *Nec multi, nec pauci sunt*. Syntaxis autem recta. Cicero VII. Verr. c. 12. Per *eos dies*. II. c. 3. Et II. ad Attic. Epist. 8. Per *hos dies*. Pro leg. Manil. c. 11. Per *hosce annos*.

(2) *Dilectum Virum*. Maritum, quem vehementer diligebar. *Vir* eleganter sumitur pro marito. Terentius Hecyr. IV. 1. v. 1. *Quid* Viro *meo respondebo misera*? Horatius I. Satyr. 2. v. 127. *Nec vereor ne Vir nunc recurrat*. Ita Ovidius IV. de Pont. 13. v. 3. Et Noster in vulg. III. fab. 10. sive lib. II. Epist. fab. 12. v. 45. *Dilectus* autem hic non ad vulgarem quemdam amorem significandum adhibetur, sed peculiarem, singularem, mirum.

(3) *Amisit*. Nempe *morte*. Cicero IV. ad Famil. Epist. 6. *Q. Fabius Max. qui filium consularem* amisit. Plinius Caecil. II. Epist. 8. *Quem filium* amisit *absens*. III. Epist. 7. *Minorem ex liberis duobus* amisit. Soletter autem Noster hoc verbo usus est, ut eum amorem, quem di-
xi-

A quo (6) revelli (7) nullo quum posset modo,

Et

ximus, magis ostenderet. Nam ea dicimus *amitti*, quae cara nobis ac dilecta fuerunt.

(4) *Sarcophago*. *Sarcophagus* proprie lapis dictus fuit, qui carnes exederet. Nam σὰρξ σαρκὸς Graecis caro, et φάγω comedo. Tum Plinius lib. II. Hist. c. 96. *At circa Asson Troadis lapis nascitur, quo consumuntur omnia corpora: Sarcophagus vocatur*. Et lib. XXXVI. c. 17. *In Asso Troadis sarcophagus lapis fissili vena scinditur. Corpora defunctorum condita in eo absumi constat intra quadragesimum diem, exceptis dentibus.* At quoniam corpora condi in sarcophago lapide non possent, nisi in loculi et arcae formam adduceretur, ideo absolute loculi arcaeve, qui ex eo fiebant, ut defunctorum carnes exederentur, quemadmodum Dioscorides etiam lib. V. cap. 142. scribit, *sarcophagi* appellati. Sed *sarcophagis* non ossa et cineres defunctorum, sed integra corpora servabantur; ideo urnis quibus cineres colligebantur, *sarcophagi* opponi coeperunt; quumque circa Neronis saltem aetatem, quod nos pluribus Dissertatione III. in Codicem Perotrinum Cap. II. Sect. 3. §. 11. et 12. ostendimus, plurimi ex Graecis defunctos conderent integros, aliis tamen eos cremantibus, factum ut *sarcophagi* absolute quaevis arcae loculive essent, quibus corpora defunctorum integra, non eorum cineres fuissent condita. Ita Iuvenalis qui iam sub Domitiano florebat loculum, quo Alexandri Magni corpus Aegyptio more curatum, ut aeternum duraret, non quidem ut cito exederetur, conditum fuit, *Sarcophagum* dixit. Satyr. X. v. 172.

Unus Pellaeo iuveni non sufficit Orbis:
Quum tamen a figulis munitam intraverit Urbem,
Sarcophago *contentus erit*.

Atque hoc sane sensu Noster vocem usurpavit. Haud enim videtur credibile, quod femina, quae tam miro et singulari amore virum amaret, nec eum cremari passa fuisset, permisisset tamen a *sarcophago* lapide brevi temporis spatio etiam absumi. Quin videtur corpus odoribus et aromatibus condivisse. Nam secus, quae referuntur hic, et apud Petronium Arbitrum recte intelligi non possunt.

(5) *Corpus condidit*. Cadaver Viri composuit. *Corpus* absolute saepe est cadaver, ut ex Nepote in Pausan. c. 5. Pedon. Albinov. Eleg. I. v. 167. Ovidio XIII. Metam. v. 471. II. Fast. v. 836. et aliis patet. *Condere* vero omnino ex proprietate, et veluti ex solemni formulâ. Virgilius V. Aen. v. 47.

Ex quo relliquias, divinique ossa parentis
Condidimus *terrâ*.

III. Aen. v. 67. *Animamque sepulcro* Condimus. Ovidius XIII. Metam. v. 524. Condetur *monumentis avi*. Ita Persius Satyr. II. v. 14. Plinius lib. VII. Hist. c. 54. etc.

(6) *A quo*. Nempe corpore. Fortasse sarcophagi operculo subinde amoto defuncti Viri praesentia se solabatur.

(7) *Revelli*. Abstrahi, separari.

Et in sepulcro (8) lugens (9) vitam degeret (10),

5 Cla-

ti. Proprie. Nam de rebus carissimis usurpatur. Virgilius IV. Aen. v. 544.

. . . . *Et quos Sidonia vix urbe* revelli,
Rursus agam pelago.

Ovidius VI. Fast. v. 517.

Iniiciuntque manus, puerumque revellere *tentant* (matri).

IV. Metam. v. 152.

. . . *Quique a me morte* revelli
Heu sola poteras, poteris nec morte revelli.

Similia Statius III. Silvar. 2. v. 57. III. Theb. v. 375. etc. In Codice. *quo . . velli*. Sed vid. Lect. nostras, in quibus monemus etiam *revelli* non *divelli* legendum esse.

(8) *Sepulcro*. *Sepulcrum* quidem, ut ait Ulpianus Dig. XI. Tit. 7. Leg. 2. *est locus ubi corpus, ossave hominis condita sunt*: haud vero est ipse loculus, arca, urna, quibus cadaver aut ossa composita. Quin saepius Veteribus sepulcra ampla et vasta aedificia fuerunt arcuato opere extructa, pavimentis strata, munita foribus, quibus cognati adfinesque defuncti lugendi et parentandi gratia se congregarent, et ad iustum tempus circa sarcophagum vel urnam manere possent. Ideo Iulius Sabinus qui a Vespasiano rebellaverat, cum uxore et filiis vivere per novem annos in sepulcro potuit, ut Xiphilinus ex Dione in Vespasiano refert: Sic Democritus diu in monumentis degere, ut Diogenes Laertius in vita c. 38. et Lucianus in Philopseud. c. 32. scribunt. Ita Seneca in Troad. v. 520. fingere potuit, quod Andromacha Astyanacta suum in sepulcro, ne a Graecis inveniretur, absconderet. Quin primi Christiani diu in sepulcris et monumentis degerunt, ut S. Ioannes Chrysostomus Homil. XL. scribit. Tum ipsae moechae in monumentis ad quaestum delitescebant, ut ex Martiali I. Epigr. 35. v. 8. Et lib. III. Epigr. 93. v. 14. patet. De amplitudine autem et forma huiusmodi sepulcrorum, sive hypogaeorum, ut istud de quo agimus fuisse ex Petronio liquet, sive etiam hypergaeorum legi potest idem Petronius Cap. 71. et Moutfauconius in Antiqu. explicat. Tom. V. Part. I. Lib. III. Commode igitur Mulier vidua in Viri sepulcro *degere* potuit.

(9) *Lugens*. In perpetuo luctu. Proprie de moerore funerum omnium gravissimo et tristissimo. Servius ad Virgilium Aen. XI. v. 211. Moerere *sane est cum silentio dolere*: Flere *ubertim lacrimas demittere*: Plorare *cum voce flere*: Plangere *cum aliquibus dictis miserabilibus pectus aut faciem tundere*. Lugere *etiam cum habitus mutatione*. Vid. et. Ciceron. III. Tuscul. c. 26.

(10) *Vitam degeret*. Viveret, degeret, maneret cum animo degendi vitam, non ad certum aliquod tempus. Elegans dicendi modus. Sic iterum Noster in vulg. lib. I. fab. 3. v. 2.

Suoque potius habitu vitam degere.

Tum Cicero pro Sylla cap. 27. *Foedissimam ac miserrimam* vitam degere. Pro Rosc. Amer. cap. 49. et 52. Degere vitam *in egestate*.

6 (11) *Vir-*

Claram assecuta est famam castae virginis (11),
Interea (12) fanum (13) qui compilârant (14) Iovis,
Cruci suffixi (15) luerunt poenas Numini (16).
Ho-

(11) *Virginis*. Latini non eas tantum dicebant *virgines*, quae coniugii essent expertes, sed nuptas etiam, vel viduas, dummodo viridi adhuc et integrâ essent aetate. Ideo Terentius Adelph. IV. 7. v. 7. scribit: Dem. *Peccatum in* virginem *est Civem*. . . *Puer natus est* . . . Virgo *nihil habet*. Virgilius de Pasiphaë Minois uxore Eclog. VI. v. 47. et 62. *Ah!* Virgo *infelix*. Et inde quidem patet quam solerter Auctor viduam feminam *virginem* appellasset: scilicet et quo aetatem eius floridam adhuc aliisque nuptiis idoneam ostenderet, et quo demonstraret eam iure tantam castitatis laudem fuisse promeritam.

(12) *Interea*. Per hoc ipsum tempus. Dum Vidua virum efferebat, condebat, et flebat,

(13) *Fanum*, Templum, sed ceteris augustius et religiosius. Asconius in III. Cicer. Vert. c. 20. Fanum *religiosissimum templum, unde fata petuntur*: scilicet oracula; vel quod *fando* consecrabantur, ut scribunt Varro lib. V. L. L. c. 7. et Festus in voce.

(14) *Compilârant*. Compilaverant, spoliaverant, diripuerant. Proprie. Nam *pilo* unde *compilo* est plura hinc atque hinc capta, vel direpta in unum cogere, quod faciunt qui furantur et compilant. Noster in vulg. lib. IV. fab. 10. v. 1.

Lucernam fur accendit ex ara Iovis,
Ipsumque compilavit *ad lumen suum*,

Cicero de nat. Deor. I. c. 66. *Alii omnia quae possunt* fana compilant. Similia Paullus Dig. XLVIII. Tit. 13. Leg. 9. Horatius I. Satyr. 1. v. 77. etc.

(15) *Cruci suffixi*. Crucifixi, in cruces sublati. Proprie. Nam *suffigere* est in altum figere. Ita Cicero in Pison. c. 18. *Si te et Gabinium* cruci suffixos *viderem*. Hirtius de B. Afr. c. 66. *Eos qui loco amisso fugâ se receperant in castra, in* cruces *omnes* suffixit. Horatius I. Satyr. 3. v. 82. *Servum* in cruce suffigat. Crux autem atrox et infame genus supplicii fuit, non modo apud Romanos, sed apud plerasque alias gentes late receptum. De Cruce autem copiose egerunt Lipsius, Gretserus, Bosius, aliique non pauci.

(16) *Luerunt poenas Numini*. Nece sua dederunt Iovi poenas sacrilegi facinoris. *Luere poenas* est solvere, dare, pendere poenas. Nam *luo* est a Graeco λύω *solvo*: Perinde ac quis peccando nexum et necessitatem poenae contrahat, nec reatus nisi poenâ sumtâ solvatur: Quae profecto lex Mundi est. *Luerunt* autem hîc mediam syllabam corripit. Nam omnino in Poetarum arbitrio fuit penultima verborum in *erunt*. Exempla passim occurrunt, veluti apud Terentium Prolog. Eunuch. v. 20. apud Virgilium IV. Eclog. v. 61. Aen. II. v. 774. X. v. 334. Apud Nostrum lib. IV. fab. 19. v. 1. fab. 20. v. 16. atque alios plures,

(17) *Ho-*

Horum reliquias (17) ne quis posset tollere (18),
Custodes dantur (19) milites cadaverum,
Monumentum (20) iuxta, Mulier quo se inclu-
serat (21).

Ali-

(17) *Horum reliquias*. Scilicet damnatorum et crucifixorum. Ut autem probe intelligatur quo sensu Auctor hic *reliquias* sumat animadvertendum est, quod tum gravioris criminis damnati sepultura arcebantur. Tacitus Annal. VI. c. 29. de temporibus loquens, quibus Noster florebat scribit: *Nam promtas eiusmodi mortes metus carnificis faciebat: et quia* damnati, *publicatis bonis* sepulturâ prohibebantur. Et Ulpianus Dig. XLVIII. Tit. 24. *Hodie eorum in quos animadvertitur* corpora non *aliter* sepeliuntur, *quam fuerit petitum et permissum, et nonnumquam non permittitur, maxime maiestatis caussâ damnatorum*. Fiebat igitur ut damnatorum cadavera sive in crucibus suspensa, sive alibi exposita sensim putrescerent, ac solverentur, et propterea post aliquot dies quaedam tantummodo eorum *reliquiae* superessent. Haec autem spectans, ut videtur, damnatorum cadavera generatim *reliquias* dixit Auctor. Ideoque caveat lector ne vocem hic in vulgari et recepta sententia sumat, pro cineribus scilicet et ossibus, quae tum ex cadaverum combustione supererant, et colligebantur.

(18) *Ne quis posset tollere*. Sumere detrahere de crucibus, vel delapsas colligere, ut sepulturae traderent. Petronius loc. cit. *Ne quis ad sepulturam corpora detraheret*. Incredibile est quanta cura et studio Veteres sepulturae suae suorumque prospicerent: sive quod crederent inhumatos sedibus suis arceri, inquietosque et exsules huc illuc misere vagari, sive quod autumarent eos ad Acherontis ripas flentes tristesque ad centum annos manere, defunctorum sepulturam anxie curarunt, deque sua solliciti omnino fuerunt. Ita Tiberii aetate, ut loc. cit. Tacitus tradit, plures accusati tantummodo, seipsos necabant, quod eorum corpora humarentur: Potius certam mortem oppetere, ut sepulturam quoque certam consequerentur contenti, quam aliqua vivendi spe sepulturam incertam facere: Legique plane merentur, quae apud Virgilium Palinurus Aeneae lib. VI. Aen. v. 363. etc. apud Horatium l. Carm. Od. 28. v. 23. etc. Archytas Nautae de sua sepultura solliciti dicant. Ex hac igitur persuasione factum est, ut opus fuerit apponere custodes ad cruces damnatorum, ne propinqui, aliive pii homines ad sepulturam cadavera detraherent.

(19) *Dantur*. Apponuntur. Cicero III. de nat. Deor. cap. 15. Dare *quempiam alicui comitem*.

(20) *Monumentum*. Quod superius dixit sepulcrum. Recte nam idem sunt saepissime. Petronius *Casulam* dixit. *Secundum illam* casulam, *in qua recens cadaver Matrona deflebat*.

(21) *Quo se incluserat*. Ut scilicet, sicut dictum v. 4. in eo

vi-

Aliquando (22) sitiens unus de custodibus,
Aquam rogavit mediâ nocte ancillulam (23),
Quae forte Dominae tunc adsistebat (24) suae,
Dormitum eunti: namque lucubraverat (25);
Et usque in serum (26) vigilias perduxerat (27).
Paullum reclusis foribus (28) Miles prospicit (29),
Vi-

vitam degeret. Se in eo clauserat, ut ibi sepultum virum perpetuo lugeret.

(22) *Aliquando*. Hic brevissimum temporis spatium, et paucissimos tantum dies significat. *Aliquando* enim ex se nec longum nec breve tempus notat, sed quoddam tantummodo intervallum, quod certissimis finibus non clauditur.

(23) *Ancillulam*. Viduae scilicet, quae ancillula unâ cum Domina in sepulcro degebat.

(24) *Adsistebat*. Aderat ministrans, adstabat ad praestanda opportuna officia. Proprie. Nam *adsisto* non est nudum et simplex adsum, et adsto; sed adsum et adsto, ut aliquid praestem, agam, faciam. Ita Cicero II. Tusc. c. 9. Sophoclem vertens: *Accede, nate*, adsiste. Plautus Pseud. I. 3. v. 123. Ca. *Pseudole*, adsiste *altrinsecus, atque onera hunc maledictis*.

(25) *Lucubraverat*. Domina nempe, vidua usque tum ad lucernam laboraverat, quae verbi potestas est. Livius autem IV. c. 57. de Lucretia: *Sed nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium sedentem inveniunt*. Vid. etiam Varron. IV. L. L. p. 7. et Martial. IV. Epigr. 90.

(26) *Usque in serum*. Usque in seram noctem, ut Liviana phrasi utamur, in multam noctem. Et ita quidem: nam iam erat media, ut vidimus. *Serum* autem substantive sumtum probatum et latinum est. Livius lib. XXXIII. c. 48. *Multo vino in serum noctis convivium productum*. Svetonius in Aug. c. 17. *Navali praelio vicit in serum dimicatione protracta*.

(27) *Perduxerat*. Proprie, ut ex testimonio Livii modo adducto patet. Tum Caesar B. Gall. c. 30. *Res disputatione ad mediam noctem* perducitur. Quin putaverim satius forte interdum usurpari *producere* de iis rebus, quae lubenter in longum trahimus, *perducere* vero de iis quae vel gravia et magna sunt, vel aliqua molestia et aegritudine, ut quidem Viduae vigiliae, trahuntur.

(28) *Paullum reclusis foribus*. Quum miles reclusisset paullum fores. Apertis aliquantulum a milite cubiculi foribus.

(29) *Prospicit*. In cubiculum oculos conjicit, intendit aciem oculorum, ut aliquid videndo detegat, curiose introrsum spectat. Absolute et simpliciter. Ita Varro apud Nonium cap. V. p. 442. *Sedens altus alieno sumtu, neque post respiciens, neque ante* prospiciens. Plinius lib. X. Hist.

Videtque aegram (30), sed (31) facie pulcrâ feminam (32).
Corruptus animus (33) illico succenditur (34),
Et uritur impudicitiae cupidine (35).

20 So-

Hist. c.13. *Grues volant ad* prospiciendum *alte*. Ita Terentius Phorm. V. 1. v. 8. Caesar II. B. Civil. c. 5. etc.

(30) *Aegram.* Gravissime moestam, tristem, moerore confectam. *Aeger* dicitur non modo qui alicuo corporis morbo afflictatur, et male se habet, sed etiam, qui miseris affectibus agitatur et angitur, tum enim is ne corpore quidem recte valet. Ita vetus Poeta apud Ciceronem pro Coelio c. 8.

Medea animo aegra, amore saevo saucia.

Livius lib. XXX. cap.11. *Amore* aeger. Lucretius III. v. 946. et Ovidius II. Metam. v. 329. *Luctus* aeger. Apuleius lib.VI. Metam. *Psyche* aegerrima: amore nempe et dolore.

(31) *Sed.* In Codice *et*. Verum haec vocula et metrum versiculi, et sententiam corrumpit. *Sed* autem, fortasse *ut* in vetustiori Codice, unde facillime in *et* Amanuensis errore transire potuit, utrumque egregie praestat.

(32) *Facie pulcrâ feminam.* Auctor in vulg. lib. III. fab. 8. vel lib. II. Epit. fab. 11. v. 2. *Insigni* habebat, *et pulcra facie filium.*

(33) *Corruptus animus.* Formâ, pulcritudine feminae victus, depravatus. Eleganter. Nepos in Miltiad. cap. 6. *Populus largitione Magistratuum* corruptus. Sallustius in B. Iugurth. c. 33. Animus *ab ignavia atque socordia* corruptus. Brutus ad Cicer. Epist. 4. Corruptus *largitionibus* animus. Hic quidem τὸ *animus corruptus* interpretari quis etiam posset, animus utpote iam corruptus et vitiosus: Animus iam aliis flagitiis et impudicitiis depravatus. Sed sententiam priorem genuinam dicerem. Nam satius fabellae cohaeret, et loquendi modus dubio procul fit elegantior. Certe *corruptus animus*, *corruptus homo*, sic absolute sumta, ut hîc sumi velint, haud facile, ut puto, penes puriores latinos Scriptores occurrent.

(32) *Illico succenditur.* Eleganter. Propertius I. Eleg. 2. v. 15.

Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe.

Ovidius XV. Metam. v. 167. Succensus *amore*. VIII. v. 74. Succensa *cupidine tanto.*

(35) *Et uritur impudicitiae cupidine.* Virgilius IV. Aen. v.68. Uritur *infelix Dido*. Horatius I. Od. 19. v. 5. Urit *me Glycerae nitor*. Ovidius VII. Metam. v. 21.

. . . *Quid in hospite, regia Virgo,*
Ureris.

Petronius autem: *Pudicitiam eius mulieris aggressus est*. Sed in Codice: *Uriturque sensim impud. . . . . . . cupid. . .* Scriptum quidem antea videtur *impu-*

Nec cadere in illum credit tantam audaciam (24).
Forte intercessit praelium (25), et fidens manu (26)
Hor-

Dedecus id Patriae *nostra depellere dextra,*
Haec tua sit laus, nate, velis.
Ex Codice vero haec colliguntur tantummodo . *I . . . . s . as . . . o . . .* Vid. Lect. nostr.

(23) *Propelli iubet* . Procul pelli, extra Praetorium eiici. *Propellere* est procul, et vi pellere. Plautus Rudent. III. 3. v. 8. *Qui scelestus Sacerdotem anum praecipitem repulit*, propulit *perquam indignis modis*. Ovidius Epist. Her. XXI. v. 41.
Ipsa velut navis iactor, quam certus in altum
Propellit *Boreas, aestus et unda refert*.

(24) *Nec cadere in illum credit tantam audaciam*. Pompeius nempe militem hunc vesci et gracilis corporis, mollem, effeminatum, quique coram se tam secure et audacter gravissimam in semetipsum imprecationem pronunciasset haud credit tanti facinoris fuisse capacem, et eum propterea absolvit. Multi quidem Imperatoris sine magnis viribus, et incredibili audacia averti non poterant, quae nemo ullus in eo esse existimabat. Dicendi autem modus plane elegans. Cicero pro Sylla c. 27. *Non* cadit *in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem ista suspicio*. Virgilius IX. Eclog. v. 17. *Heu* cadit *in quemquam tantum scelus!* Plinius lib. XXXVI. c. 10. *Non* cadit *in alium tam absolutum opus*. Quamvis autem sit antea *id dedecus*; recte deinceps est *illum*, non *illud*. Horatius I. Od. 37. v. 20. de Cleopatra:
. . Daret ut catenis
Fatale monstrum, quae *generosius*
Perire quaerens.
Audacia porro hic non est inconsideratio, et temeritas, sed quaedam audax vis animi, quae propriis viribus confisa magna et difficilia facinora adgreditur. Sic Sallustius Bell. Catil. cap. 52. *Maiores nostri, P. C. neque consilio, neque* audaciâ *umquam eguerunt*. Livius lib. XXV. c. 38. *Numquam tantum ausi estis sponte vestra, experiri libet, quantum* audeatis *Duce vestro auctore. Non frangere* audaciam *vestram, sed differre in maiorem gloriam atque opportunitatem volui*. In Codic. *Nec . . de . . . . um* etc.

(25) *Forte intercessit praelium*. Quum in bello exercitus invicem confligunt et certant tum *praelium* fit. Unde *bellum* interdum nullo, saepius pluribus praeliis conficitur. Sallustius Bell. Iugurth. c. 58. *Ita fuit non* praeliis, *neque acie, sed alio more bellum gerendum*. Livius lib. IX. c. 7. *Quod Pop. Rom. etsi nullo bello, multis tamen* praeliis *victus sit*. Quum autem Romani duce Pompeio bellum, de quo hic agitur in Barbaros gererent forte *praelium* factum est, invicem nempe Romani et Barbari manus conseruerunt. *Intercessit* autem veluti intervenit, interpositum est, per id bellum factum est, accidit. Nam in bello, ut dictum est, non semper acie decernitur,
sed

Horrendâ voce provocabat Barbarus (27).

Sibi

sed pugnae et praelia interce. dunt tantummodo et interponuntur. Ad similem sententiam Terentius Andr. V. 5. v. 4. *Nam mihi immortalitas parta est, si nulla huic aegritudo gaudio intercesserit.* Caesar I.B.Civ. c. 21. *Saepe in bello parvis momentis magni casus intercedunt.* Ex Codice vero haec colliguntur: . . . . *ars* . . . . *r cessit*. Sed vid. Lect. nostras. Legebamus quidem in his: *Bellum forte intercessit*: quod *bellum* non raro pro *praelio* usurpatum fuerit. Attamen quum in versiculo insignis immutatio inducenda omnino videatur, placuit potius *praelium* deinceps adoptare, quod sententiam certe magis perspicuam, receptam, et notam praestat. Ceterum haec Docti viderint.

(26) *Fidens manu*. Strenuus nempe, fortis, multo robore valens, qui viribus suis fidebat. *Manus* hic est virtus, et militaris strenuitas, quae manu praesertim ostenditur. Unde apud plerasque gentes *manus* symbolum virium et fortitudinis fuit. Sallustius in Bell. Iugurth. c.35. *Vindicandum in eos, qui hosti prodidere Rempublicam non manu neque vi*. Tacitus in vit. Agricol. c. 9. *Castrensis iurisdictio secura et obtusior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exercet*. Florus lib. I. c. 10. *Porsena Tarquinios manu reducebat*. IV. cap. r. *Coniurationem manu opprimere*. Symaxis autem tecta. Virgilius III. Georg. v. 31. Fidens *cursu*. Ovidius VII. Metam. v. 545. Fidens *pedibus*. Horatius III. Od.4. v.50. Fidens *iuventus brachiis*.

(27) *Horrendâ voce provocabat Barbarus*. Sensus est. Unus Barbarorum, cum quibus Pompeius gerebat bellum, magnis suis viribus confisus ferâ et horrendâ voce quemque Romanorum provocabat, ut singulari certamine secum congrederetur. In bellis autem Veterum saepe fiebat, ut aliquis ex alterutro exercitu alium quemlibet ex alteto sibi adversarium in singulari certamine posceret, vel ad gloriam militaris fortitudinis, vel ut eo certamine totam belli fortunam experiretur. Ita Siccius Dentatus Romanus miles, *octies ex provocatione victor evasit*, ut scribit Plinius lib. VII. c. 28. Ita M. Torquatus cum Gallo pugnat, quod certamen Quadrigarius apud Gellium lib. IX. c. 13. et Livius lib. VII. c. 6. describunt. Simile certamen Valerii Corvini cum alio Gallo, de quo idem Livius lib. VII. cap. 18. *Barbarus* autem hic non est generatim quidam *barbarus*, sed unus ex illis barbaris, ex barbarorum exercitu: et *Barbari* hic gens moribus efera, et immanis, quod animadvertendum. Nam Romani *barbaros* generatim appellabant omnes, qui Romani et Graeci non essent, unde Phryges, Lydi, Assyrii, Babylonii dicuntur interdum hoc sensu *barbari*. Eo sensu Cicero pro Marcell. cap. 2. *Gentes immanitate barbarae*. VI. Verr. c. 50. *Neque tam barbari lingua et natione illi, quam tu natura et moribus*. Quid autem

rem

Sibi quisque metuit (28), et (29) primi mussant
Duces (30):

Ta-

tem duo priora versiculi verba, quae ex Codice colliguntur haec sunt: In eorum nempe loco extitisse tredecim fetme vel quatuordecim literas; quarum primam et initialem fuisse videtur *V*, postremas *u*, *s*: quod iam in Lectionibus nostris monuimus. In istis quidem putabamus forte scriptum: *Voce Nostros ferus*: Et propterea teneri posse; *Voce ferâ Nostros*: Sed aliter deinceps visum est. Nam primum ea tria verba ampliora aliquanto sunt, ut eo loco aptissime contineantur. Tum *Nostros* ex Phaedri stilo esse affirmari nequit, qui nuspiam, quod ego sciam, Romanos *Nostros* dixit, vel se Romanum esse professus est. Vid. Dissert. nostram de Phaedr. vita Cap. II. §. 14. Quamobrem, quum Phaedrus saepius elliptice loquatur, et contra satis luculenta hactenus mentio Romani belli cum Barbaris iniecta sit; quin dici etiam possit uberiorem forte faciam fuisse in Promythio vel Epimythio, quod resecuit Perottus: haud prorsus temere coniicitur simpliciter scriptum fuisse ab Amanuensi *Voce horrendus* forte pro *Horrenda voce*, quod hic in Phaedro commode teneri posse videtur. Nam ad rem plane facit, et Virgilius IX. Aen. v. 112. scripsit: Vox horrenda *per auras Excidit*. Ovidius IV. Fast. v. 190. *Horrendus sonus*. Seneca in Herc. Fur. v. 795. *Vocis horrendae fragor*. Similia alii. Ceterum et haec lectio Doctis curae sit.

(28) *Sibi quisque metuit*. Ne scilicet iussus cogatur prodire in tam immanem Barbarum, et mortem propterea cum infamia oppetere. Quadrigarius loc. cit. *Nemo Romanorum audebat prodire propter magnitudinem atque immanitatem facies* Galli. Livius loc. cit. *Diu inter primores iuvenum Romanorum silentium pariter fuit, quum et abnuere certamen vererentur, et praecipuam sortem periculi petere nollent*. Loquendi autem modus elegans. Livius lib. I. c. 9. *Tantam in medio crescentem molem* sibi, *et posteris suis* metuebant. Apuleius lib I. Metam. *Eximie* metuens mihi. Lib. VII. Sibi quisque metuentes *delitescebant*. Noster in vulg. lib. III. fab. 2. vel II. Epit. fab. 5. v. 15.

Tum sibi timentes *qui ferae pepercerant*.

In Codic. autem: . . *bi* . . . *que metuit*.

(29) *Et*. Vocula haec deest in Codice. Sed vid. Lect. nostr.

(30) *Primi mussant Duces*. *Dux* non est tantummodo supremus exercitus moderator, unus Imperator, qua potestate vox hactenus hic usurpata est. Sed etiam ductor Imperatori subditus. Cicero III. Offic. c. 26. *Attilius Regulus quum Consul iterum in Africa ex insidiis captus esset* Duce *Xantippo Lacedaemonio, Imperatore autem patre Hannibalis Hamilcare, iuratus missus est ad Senatum*. Seneca in Agamemn. v. 39.

Rex ille Regum, ductor Agamemnon Ducum.

Et

Tamen is (31) cinaedus habitu (32), sed Mars viribus (33)

Adiit (34) sedentem pro tribunali Ducem (35),

Et v. 1007. *Mille ductorem* Ducum. *Mussare* autem est summissa, demissa voce loqui, ne alii potissimum audiant, quod pudorem metumve faciat. Virgilius XI. Aen. v. 454. *Flent moesti*, mussant*que Patres.* XII. v. 657.

... Mussat *Rex ipse Latinus*
Quos generos vocet; aut quae
sese ad foedera flectat.

Statius III. Theb. v. 92.

Excussae procerum mentes, turbat-que mussant
Concilia.

Claudianus II. in Eutrop. v. 134. *Tacita formidine* mussat. Mussabant ergo illi Duces, quod gravissimum negotium illud esse videbant, et quid consilii caperent nesciebant.

(31) *Tamen is.* Miles nempe de quo agitur. Duo haec verba coniectura reposita sunt. Sed vid. Lect. nostras.

(32) *Cinaedus habitu.* Externa specie, exteriori cultu, facie, incessu, voce, modis, quibus vivebat, agebatque. Cicero de nat. Deor. I. cap. 35. *Oris quidem* habitus *ad vitae firmitatem nihil pertinet.* Pro Coel. c. 24. *Quum floreret integerrima aetate, optimo* habitu, *maximis viribus.* Seneca Epist. 52. *Insanum vultus*, habitus*que demonstrant.* Et Noster in vulg. l. tab. 3. v. 2.

Suoque potius habitu *vitam degere.*

(33) *Sed Mars viribus.* Sed quoad vires et robur tamquam ipse Mars. *Mars* belli Deus a Romanis habebatur, et propterea omnium fortissimus et robustissimus. Opportune Cicero XV. ad Attic. Epist. 11. *Fortibus sane oculis Cassius, Martem spirare diceres, se in Siciliam non iturum dixit.* Plinius autem lib. VII. cap. 20. ut vidimus: *Corpore vesco, sed eximiis viribus.*

(34) *Adiit* ex coniectura repositum, sed quae plane certa videtur. Nam loco Codicis omnino congruit, nec sententia, ut arbitror aliud potius probat. Cicero ad Q. Fratr. I. Ep. 2. *Quum Praetores diebus aliquot adiri non possent.* Livius lib. XXXVII. c. 6. Aditus *Consul.* Seneca Herc. Fur. v. 733.

Aditur *illo Gnossius Minos foro.*

(35) *Sedentem pro tribunali Ducem.* Pompeium nempe, qui tum in suo Praetorio sedebat pro Tribunali. *Tribunal* a *Tribuno* dictum suggestum quoddam et locus sublimis dicebatur, ex quo primum Tribuni, tum ceteri Magistratus ius dicebant, reddebantque, et quoniam in Castris iura ab Imperatoribus reddebantur, ut dictum est, ideo in Praetorio Imperatoris et Tribunal erat: Tacitus lib. III. Histor. c. 10. *Sensit ludibrium miles, disiectique, qui* Tribunal *tuebantur, extrema vis parabatur.* Lib. IV. cap. 25. *Gliscebat iracundia Legionum; conscendit* Tribunal *Voculà mirâ constantià.* *Sedere* autem *pro Tribunali*, erat sedere vel ad reddenda iura, vel ad gravissi-

Et voce molli (36): Licet (37)? Enimvero eiici (38),
Ut in re atroci (39), Magnus stomachans, imperat.
Tum quidam senior ex amicis Principis (40),
Hunc

ma negotia expedienda. Cicero III. ad Famil. Epist. 8. *Me vultu et taciturnitate significasse, tibi non esse amicum*, idque pro Tribunali, *quum aliquid ageretur*. Non dubito autem quin Pompeius se ere hic *pro Tribunali* inducatur, ut de illa ipsa Barbari provocatione quid agendum faciendumve esset decerneret.

(36) *Et voce molli*. Delicatâ et tenerâ voce ad Pompeium dixit. Cicero III. de Orat. c.38. *Sunt enim certa vitia, quae nemo est, quin effugere cupiat*, mollis vox *et muliebris*.

(37) *Licet*? Perinde ac dixisset. Licetne mihi, Imperator, in hostem prodire, iubesne, ut cum Barbaro congrediar? Formula quaerendi veniam a suo Praefecto vel Principe ad aliquid agendum faciendumve. Militi autem Imperatoris iniussu numquam decertare licebat, potissimum quod auspicia, sine quibus nil ratum bonumque erat, apud Ducem omnino esse arbitrabantur. Ita loquentem M. Torquatum Livius loc. cit. inducit: *Iniussu tuo, Imperator, extra ordinem numquam pugnaverim, non si certam victoriam videam: Si tu permittis, volo*. Tum de Corvino: *Prius sciscitatus Consulis voluntatem in medium armatus processit*.

(38) *Enimvero eiici*. Supple *Militem*, quae vox tamen eleganter reticetur, nam de irato loquitur Auctor. *Enimvero* autem plane apposite. Donatus ad Terentium Andr. I. 3. v. 1. Enimvero, ait, *habet significationem nimium permoti atque irritati animi*. Cicero III. Verr. c. 26. Enimvero *ferendum hoc non est*. Livius lib. II. c. 45. Enimvero *non ultra contumeliam pati Romanos posse*. In Codice post *eiici* legitur etiam *virum*. Sed vid. Lect. nostras.

(39) *Ut in re atroci*. Rem atrocem, seu negotium atrox illud Romani appellabant, ex quo aliquid detrimenri Respublica capere videretur, ex quo Romano nomini dedecus aliquod fieret. Sallusrius B. Catil. c.30. *Itaque quod plerumque* in atroci negotio *solet, Senatus decrevit, darent operam Consules, ne quid Respublica detrimenti caperet*. Et cap. 54. Res *tanta atque* atrox *nos movit*. Pompeius igitur super illa provocatione graviter occupatus, ne scilicet Romanum nomen barbaris contemtui fieret, in ludibrium fere et contumeliam tulit, quod vescus et gracilis homo, cinaedus et mollis peteret sibi veniam, ut in Barbarum procederet, adversus quem strenuissimi et fortissimi Viri prodire detrectabant. Ideo vehementer iratus iussit, ut statim eiiceretur.

(40) *Principis*. Nempe Pompeii. Sed Pompeius haud dicitur hic *Princeps* eo sensu, quo Imperatores Romani ab Augusto *Principes* dicti fuerunt, supremus scilicet Imperii moderator et arbiter. Attamen anteriori et veteri, quo praecipuam quam-

Hunc ego committi satius fortunae arbitror (41),
In quo iactura levis est (42), quam fortem virum (43),
Qui casu victus (44) temeritatis te arguat (45).

As-

quamdam personam, praecipuum Civem vox significabat. Cicero I. Famil. Epist. 9. *Quales in Republica Principes essent, tales reliquos solere esse Cives.* Horatius I. Epist. 17. v. 35.

Principibus placuisse viris non ultima laus est.

Nepos in Cimon. c. 3. *Ceteri Atheniensium principes.* Tacitus II. Histor. c. 62. *Principes Civitatum.* Et Noster in vulg. hic lib. II. fab. 27. v. 4. *Ipsi principes*: nempe Athenarum. Nec Princeps Senatus, vel princeps Iuventutis alius erat, nisi qui primus inter Senatores vel Equites numerabatur. Pompeius autem Romanorum aetate sua potentissimus vere Princeps Civitatis extitit. Cicero. I. ad Fam. Ep. 9. *Quum in Republica Cn. Pompeius Princeps esset.* Pro Domo sua c. 66. *Cn. Pompeium, quem omnium iudicio longe Principem esse Civitatis videbat.* Vid. si lubet etiam Lect. nostr.

(41) *Hunc ego committi satius fortunae arbitror.* Equidem nempe arbitror, puto, existimo, quod satius, melius, potius sit, ut hic miles cinaedus et nihili homo committatur fortunae, experiatur hoc periculum, ineat certamen cum Barbaro. *Committere fortunae* est tradere ad eventum incertum rei, ut suscipiatur quidquid sors et fortuna ferent. Cicero IV. ad Attic. 6. *Committere se timidius fortunae.*

(42) *In quo iactura levis est.* Nempe in quo milite. Si huius militis iactura fit, si is miles a Barbaro in certamine necatur, iactura est levissima. Nam est homo nihili. Serv. Sulpicius inter Epist. Ciceron. IV. Fam. Ep. 5. *In unius mulierculae animula iactura facta est.* Livius IV. cap. 32. *Parva iactura accepta.* Ovidius II. Am. 14. v. 32.

Iacturâ socii sanguinis ulta virum.

(43) *Quam fortem virum.* Intelligitur iterum *committi fortunae.* *Vir* proprie est strenuus et fortis. Nam est a *vis*. Cinaedi autem et molles numquam viri habiti sunt et fortes.

(44) *Qui casu victus.* Non quod viribus et virtute impar Barbaro esset, sed quodam casu, ut fieri solet. Anceps est pugnarum et certaminum fortuna, nec semper validior vincit.

(45) *Temeritatis te arguat.* *Temeritas* hic non est audacia, et magna animi confidentia, sed, quae prima eius vocis potestas est, inconsiderantia, imprudentia. Hoc sensu Caesar. VII. B. Gall. c. 42. Temeritas *quam maxime illi hominum generi est innata, ut levem auditionem habeat pro re comperta.* Cicero pro Marcell. c. 2. *Numquam temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.* II. de Div. c. 41. *Quibus in rebus* temeritas *et* casus, *non ratio nec consilium valent.* *Arguo* autem etiam hic est accuso, ut sup. v. 7.

(46) As-

Assensit Magnus (46), et permisit Militi
Prodire contra (47); qui, mirante exercitu (48),
Dicto celerius (49) hosti recîdit caput (50),
Victorque rediit. His tum Pompeius super (51):
Coronâ (52), Miles (53), equidem te dono libens,
Quia

(46) *Assensit Magnus*. Nempe amico suo. Opinionem eius probavit.

(47) *Prodire contra*. Intellige *hostem*, vel *barbarum*: Quod tamen eleganter reticetur, cum *τῷ contra* contineatur. *Prodire* proprie. Caesar III. B. Civ. c. 86. Milites, *quo firmiore animo in praelio prodeatis*. Quadrigarius apud Gellium loc. cit. *Extemplo silentio facto cum voce maxima conclamat, si qui secum depugnare vellet uti prodiret ... Id subito perdolitum est cuidam T. Manlio ... ex tanto exercitu neminem* prodire. Lucanus lib. VII. v. 231.

Inde truces Galli solitum prodisris *in hostem*.

(48) *Mirante exercitu*. Haud enim eum tantae virtutis et fortitudinis capacem existimaverant. In huiusmodi autem certaminibus sub oculis utriusque exercitus pugnabatur. Quadrigarius loc. cit. *Congressio in ipso ponte, utroque exercitu inspectante, facta est*.

(49) *Dicto celerius*. Celerius, quam dicatur, momento ferme temporis. Eleganter. Horatius II. Satyr. 2. v. 80. Virgilius I. Aen. v. 146. Livius lib. XXIII. c. 47. dixerunt: *Dicto citius*: quod idem valet.

(50) *Hosti recîdit caput*. In Codic. *hosti abscidit caput*. Sed vid. Lect. nostras.

(51) *His super*. De his, circa haec, quae facta fuerant. Virgilius I. Aen. v. 754.

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

IV. Aen. v. 233.

Nec super ipse sua molitur laude laborem.

(52) *Corona*. Romani milites ex egregio instituto, ubi in hostes eximia facinora edidissent coronis et muneribus ab Imperatoribus suis donabantur. Quae qualesque huiusmodi coronae fuissent Aulus Gellius V. Noct. Att. c. 6. explicat, et uberius etiam Carolus Paschalis in libris de coronis Veterum. *Corona* quidem, qua donatus dicitur miles, de quo loquimur, peculiari nomine caruisse videtur: Attamen vera, ut arbitror, et proprie dicta *corona* fuit. Nam Livius in Torquati certamine loc. cit: *Dictator*, ait, coronam *auream addidit donum, mirisque pro concione eam pugnam laudibus tulit*. Et de Corvino loc. cit: *Consul*, ait, *concione advocata laudatum Tribunum decem bobus, aureaque* coronâ *donat*. Id autem animadvertendum, quod *corona* non raro praemium quodvis significavit; torquem puta, aurum, argentum. Vid. Car. Paschal. Oper. cit. lib. VII. c. 2.

(53) *Miles*. In Codic. *militis*. Vid. Lect. nostras.

(54) *Quia*

Quia vindicasti laudem Romani Imperi (54):
Sed extillescant oculi sic (55), inquit, mei:
[Turpe illud imitans (56) is quod ante fecerat (57)]:
Nisi tu abstulisti (58) e sarcinis opes meas (59).

FA-

(54) *Quia vindicasti laudem Romani Imperi*. Quia virtute tua Romani nominis gloriam, quae a Barbaris foedabatur illibatam in eos intemeratamque asseruisti ac praestitisti. *Vindicare* est aliquid sibi virtute et vi asserere, quod ab aliis iniuste occupatum putatur. Cicero II. de Invent. c. 22. Vindicatio *est per quam vis et iniuria, et omnino quod obfuturum est defendendo aut ulciscendo propulsatur*. *Imperium* autem hoc sensu latinum et probarum est. Cicero de Prov. Consul. c. 12. Imperii *finium propagatio*. Caesar IV. B. Gall. 16. *Populi Romani* Imperium *finit Rhenus*. Virgilius I. Aen. v. 291.

Imperium *Oceano, famam qui terminat astris*.

(55) *Sic*. Simili pacto, eodem modo. Verba Pompei ad militem.

(56) *Turpe illud imitans.* Imitans turpitudinem illam, quam ob oculos suos miles fecerat: scilicet exscreavit in manum suam, et disiecit sputum digitis, quod revera turpe. Nam *turpe* saepe est, ut hic, visu foedum, immundum, illiberale. Sic Virgilius dixit III. Georg. v.557. *turpe tabum*. Horatius I. Epist. 5. v. 22. Turpe *toral*. Martialis IV. Epigr. 36. Turpis *stiria*. Ex Codice tantum: *Turpe illud . . . . . ns*. Sed vid. Lect. nostras.

(57) *Is quod ante fecerat*. Quod miles paullo ante usurpaverat. Haec verba omnia ex coniectura reposita sunt. Nam Codex hic plane deficit. Illud *sic* superioris versiculi, et *το imitans*, quod fere explorate teneo, et locus vacuus, et metrum commode, ut puto, haec verba, vel simillimae plane sententiae recipiunt. Difficile quidem videtur turpitudinem istam a Pompeio admitti potuisse. Sed illud *sic* rem certam facit, quidquid de reliquis fiat. Neque porro ignotum vel praestantissimos et sapientissimos viros non raro in absurdos et foedos modos erumpere. Ceterum potiora ab Doctis.

(58) *Abstulisti*. Furatus es, rapuisti. Ita Cicero Divin. in Verr. c. 5. *Eripere et* auferre. Pro Quint. c. 27. Auferre *et abducere*. VI. Verr. c. 16. *Abhoc abacos, vasa omnia* abstulit. Ad Attic. VII. Epist. 21. *Pecuniam de aerario* auferre.

(59) *E sarcinis opes meas.* Ex impedimentis pretiosiora mea supellectilia, pecuniam, aurum, et argentum. *Sarcinae* plerumque sunt fasces et involucra militarium supellectilium, quae iumentis etiam gestentur aut vehantur: quae iumenta propterea Caesar B. Civ. I. cap. 81. *Sarcinaria* dixit. Quamobrem id, ut puto, Pompeium non dedecet. *Opes* vero sunt vestis, aurum, argentum, de quibus v. 5. In Codice quidem haec: . . . . .

FABULA XIV.

Vidua et Miles (*).

Per aliquot annos (1) quaedam dilectum virum (2)
Amisit (3), et sarcophago (4) corpus condidit (5):
A quo

(*) Haec historiola late celebris est et vulgata, quod in Lect. nostris ad hunc locum pluribus observavimus, et iam antea occupaverat Dacerius in Mem. Acad. Inscript. Tom. XLI. Eam aeque eleganter narrat Petronius Arbiter Phaedro aetate proximus et suppar, ut peculiari Dissertatione, quae tertia est Prolegom. in Perottinum Codicem abunde, ut arbitramur, ostendimus. Facta omnino videtur sub imperio Tiberii Caesaris. V. Dissert. de Phaedr. vit. Cap. II. §. XI. In huius autem Fabellae Promythium scriberem:

Quam varium et mutabile sit semper femina,
Exemplo vero pretium est operae discere.

Nam Virgilius lib. IV. Aen. v. 569. *Varium et mutabile semper femina*. Tum Noster lib. II. vulg. fab. 5. v. 5.

Hanc emendare si tamen possum volo,
Verâ *fabella*, pretium est operae *attendere*.

Et fab. 2. v. 1.

A feminis utcumque spoliari viros
Ament amentur nempe exemplis *discimus*.

Perottus autem. *Quanta sit inconstantia et libido mulierum*.

(1) *Per aliquot annos*. Aliquot abhinc annis, aliquot tantummodo anni elapsi sunt, infra spatium aliquot abhinc annorum. *Aliquot*, ait Donatus ad Terentium Andr. III. 3. v. 2. *Nec multi, nec pauci sunt*. Syntaxis autem recta. Cicero VII. Verr. c. 12. Per *eos dies*. II. c. 3. Et II. ad Attic. Epist. 8. Per *hos dies*. Pro leg. Manil. c. 11. Per *hosce annos*.

(2) *Dilectum Virum*. Maritum, quem vehementer diligebat. *Vir* eleganter sumitur pro marito. Terentius Hecyr. IV. 1. v. 1. *Quid* Viro *meo respondebo misera*? Horatius I. Satyr. 2. v. 127. *Nec vereor ne Vir nunc recurrat*. Ita Ovidius IV. de Pont. 13. v. 3. Et Noster in vulg. III. fab. 10. sive lib. II. Epist. fab. 12. v. 45. *Dilectus* autem hic non ad vulgarem quemdam amorem significandum adhibetur, sed peculiarem, singularem, mirum.

(3) *Amisit*. Nempe *morte*. Cicero IV. ad Famil. Epist. 6. *Q. Fabius Max. qui filium consularem* amisit. Plinius Caecil. II. Epist. 8. *Quem filium* amisit *absens*. III. Epist. 7. *Minorem ex liberis duobus* amisit. Solerter autem Noster hoc verbo usus est, ut eum amorem, quem di-

xi-

A quo (6) revelli (7) nullo quum posset modo,

Et

ximus, magis ostenderet. Nam ea dicimus *amitti*, quae cara nobis ac dilecta fuerunt.

(4) *Sarcophago*. *Sarcophagus* proprie lapis dictus fuit, qui carnes exederet. Nam *σὰρξ σαρκὸς* Graecis caro, et *φάγω* comedo. Tum Plinius lib. II. Hist. c. 96. *At circa Asson Troadis lapis nascitur, quo consumuntur omnia corpora*: Sarcophagus *vocatur*. Et lib. XXXVI. c. 17. *In Asso Troadis* sarcophagus *lapis fissili vena scinditur. Corpora defunctorum condita in eo absumi constat intra quadragesimum diem, exceptis dentibus.* At quoniam corpora condi in sarcophago lapide non possent, nisi in loculi et arcae formam adduceretur, ideo absolute loculi arcaeve, qui ex eo fiebant, ut defunctorum carnes exederentur, quemadmodum Dioscorides etiam lib. V. cap. 142. scribit, *sarcophagi* appellati. Sed *sarcophagis* non ossa et cineres defunctorum, sed integra corpora servabantur; ideo urnis quibus cineres colligebantur, *sarcophagi* opponi coeperunt; quumque circa Neronis saltem aetatem, quod nos pluribus Dissertatione III. in Codicem Perottinum Cap. II. Sect. 3. §. 11. et 12. ostendimus, plurimi ex Graecis defunctos conderent integros, aliis tamen eos cremantibus, factum ut *sarcophagi* absolute quaevis arcae loculive essent, quibus corpora defunctorum integra, non eorum cineres fuissent condita. Ita Iuvenalis qui iam sub Domitiano florebat loculum; quo Alexandri Magni corpus Aegyptio more curatum, ut aeternum duraret, non quidem ut cito exederetur, conditum fuit, *Sarcophagum* dixit. Satyr. X. v. 172.

Unus Pellaeo iuveni non sufficit Orbis:
Quum tamen a figulis munitam intraverit Urbem,
Sarcophago *contentus erit*.

Atque hoc sane sensu Noster vocem usurpavit. Haud enim videtur credibile, quod femina, quae tam miro et singulari amore virum amaret, nec eum cremari passa fuisset, permisisset tamen a *sarcophago* lapide brevi temporis spatio etiam absumi. Quin videtur corpus odoribus et aromatibus condivisse. Nam secus, quae referuntur hîc, et apud Petronium Arbitrum recte intelligi non possunt.

(5) *Corpus condidit*. Cadaver Viri composuit. *Corpus* absolute saepe est cadaver, ut ex Nepote in Pausan. c. 5. Pedon. Albinov. Eleg. I. v. 167. Ovidio XIII. Metam. v. 471. II. Fast. v. 836. et aliis patet. *Condere* vero omnino ex proprietate, et veluti ex solemni formulâ. Virgilius V. Aen. v. 47.

Ex quo relliquias, divinique ossa parentis
Condidimus *terrâ*.

III. Aen. v. 67. *Animamque sepulcro* Condimus. Ovidius XIII. Metam. v. 524. Condetur *monumentis avi*. Ita Persius Satyr. II. v. 24. Plinius lib. VII. Hist. c. 54. etc.

(6) *A quo*. Nempe corpore. Fortasse sarcophagi operculo subinde amoto defuncti Viri praesentia se solabatur.

(7) *Revelli*. Abstrahi, separari.

Et in sepulcro (8) lugens (9) vitam degeret (10),

5 Cla-

ri. Proprie. Nam de rebus carissimis usurpatur. Virgilius IV. Aen. v. 544.

.... *Et quos Sidonia vix urbe* revelli,
Rursus agam pelago.

Ovidius VI. Fast. v. 517.

Iniiciuntque manus, puerumque revellere *tentant* (matri).

IV. Metam. v. 152.

....*Quique a me morte* revelli
Heu sola poteras, poteris nec morte revelli.

Similia Statius III. Silvar. 2. v. 57. III. Theb. v. 375. etc. In Codice. *quo .. velli*. Sed vid. Lect. nostras, in quibus monemus etiam *revelli* non *divelli* legendum esse.

(8) *Sepulcro*. *Sepulcrum* quidem, ut ait Ulpianus Dig. XI. Tit. 7. Leg. 2. *est locus ubi corpus, ossave hominis condita sunt*: haud vero est ipse loculus, arca, urna, quibus cadaver aut ossa composita. Quin saepius Veteribus sepulcra ampla et vasta aedificia fuerunt arcuato opere extructa, pavimentis strata, munita foribus, quibus cognati adfinesque defuncti lugendi et parentandi gratia se congregarent, et ad iustum tempus circa sarcophagum vel urnam manere possent. Ideo Iulius Sabinus qui a Vespasiano rebellaverat, cum uxore et filiis vivere per novem annos in sepulcro potuit, ut Xiphilinus ex Dione in Vespasiano refert: Sic Democritus diu in monumentis degere, ut Diogenes Laertius in vita c. 38. et Lucianus in Philopseud. c. 32. scribunt. Ita Seneca in Troad. v. 520. fingere potuit, quod Andromacha Astyanacta suum in sepulcro, ne a Graecis inveniretur, abscondere. Quin primi Christiani diu in sepulcris et monumentis degerunt, ut S. Ioannes Chrysostomus Homil. XL. scribit. Tum ipsae moechae in monumentis ad quaestum delitescebant, ut ex Martiali I. Epigr. 35. v. 8. Et lib. III. Epigr. 93. v. 14. patet. De amplitudine autem et forma huiusmodi sepulcrorum, sive hypogaeorum, ut istud de quo agimus fuisse ex Petronio liquet, sive etiam hypergaeorum legi potest idem Petronius Cap. 71. et Montfauconius in Antiqu. explicat. Tom. V. Part. I. Lib. III. Commode igitur Mulier vidua in Viri sepulcro *degere* potuit.

(9) *Lugens*. In perpetuo luctu. Proprie de moerore funerum omnium gravissimo et tristissimo. Servius ad Virgilium Aen. XI. v. 211. Moerere *sane est cum silentio dolere*: Flere *ubertim lacrimas demittere*: Plorare *cum voce flere*: Plangere *cum aliquibus dictis miserabilibus pectus aut faciem tundere*. Lugere *etiam cum habitus mutatione*. Vid. et. Ciceron. III. Tuscul. c. 26.

(10) *Vitam degeret*. Viveret, degeret, maneret cum animo degendi vitam, non ad certum aliquod tempus. Elegans dicendi modus. Sic iterum Noster in vulg. lib. I. fab. 3. v. 2.

Suoque potius habitu vitam degere.

Tum Cicero pro Sylla cap. 27. *Foedissimam ac miserrimam* vitam degere. Pro Rosc. Amer. cap. 49. et 52. Degere vitam *in egestate*.

Claram assecuta est famam castae virginis (11),
Interea (12) fanum (13) qui compilârant (14) Iovis,
Cruci suffixi (15) luerunt poenas Numini (16).
Ho-

(11) *Virginis*. Latini non eas tantum dicebant *virgines*, quae coniugii essent expertes, sed nuptas etiam, vel viduas, dummodo viridi adhuc et integrâ essent aetate. Ideo Terentius Adelph. IV. 7. v. 7. scribit: Dem. *Peccatum in virginem est Civem*. . . *Puer natus est* . . . Virgo *nihil habet*. Virgilius de Pasiphaë Minois uxore Eclog. VI. v. 47. et 62. *Ah!* Virgo *infelix*. Et inde quidem paret quam solerter Auctor viduam feminam *virginem* appellasset: scilicet et quo aetatem eius floridam adhuc aliisque nuptiis idoneam ostenderet, et quo demonstraret eam iure tantam castitatis laudem fuisse promeritam.

(12) *Interea*. Per hoc ipsum tempus. Dum Vidua virum efferebat, condebat, et flebat.

(13) *Fanum*. Templum, sed ceteris augustius et religiosius. Asconius in III. Cicer. Vert. c. 20. Fanum *religiosissimum templum, unde fata petuntur*: scilicet oracula; vel quod *fando* consecrabantur, ut scribunt Varro lib. V. L. L. c. 7. et Festus in voce.

(14) *Compilârant*. Compilaverant, spoliaverant, diripuerant. Proprie. Nam *pilo* unde *compilo* est plura hinc atque hinc capta, vel direpta in unum cogere, quod faciunt qui furantur et compilant. Noster in vulg. lib. IV. fab. 10. v. 1.

Lucernam fur accendit ex ara Iovis,
Ipsumque compilavit *ad lumen suum*.

Cicero de nat. Deor. I. c. 66. *Alii omnia quae possunt* fana compilant. Similia Paullus Dig. XLVIII. Tit. 13. Leg. 9. Horatius I. Satyr. 1. v. 77. etc.

(15) *Cruci suffixi*. Crucifixi, in cruces sublati. Proprie. Nam *suffigere* est in altum figere. Ita Cicero in Pison. c. 18. *Si te et Gabinium* cruci suffixos *viderem*. Hirtius de B. Afr. c. 66. *Eos qui loco amisso fugâ se receperant in castra*, *in* cruces *omnes* suffixit. Horatius I. Satyr. 3. v. 82. *Servum* in cruce suffigat. Crux autem atrox et infame genus supplicii fuit, non modo apud Romanos, sed apud plerasque alias gentes late receptum. De Cruce autem copiose egerunt Lipsius, Gretserus, Bosius, aliique non pauci.

(16) *Luerunt poenas Numini*. Nece sua dederunt Iovi poenas sacrilegi facinoris. *Luere poenas* est solvere, dare, pendere poenas. Nam *luo* est a Graeco λυω *solvo*: Perinde ac quis peccando nexum et necessitatem poenae contrahat, nec reatus nisi poenâ sumtâ solvatur; Quae profecto lex Mundi est. *Luerunt* autem hîc mediam syllabam corripit. Nam omnino in Poetarum arbitrio fuit penultima verborum in *erunt*. Exempla passim occurrunt, veluti apud Terentium Prolog. Eunuch. v. 20. apud Virgilium IV. Eclog. v. 61. Aen. II. v. 774. X. v. 334. Apud Nostrum lib. IV. fab. 19. v. 1. fab. 20. v. 16. atque alios plures.

(17) *He-*

Horum reliquias (17) ne quis posset tollere (18),
Custodes dantur (19) milites cadaverum,
Monumentum (20) iuxta, Mulier quo se incluserat (21).

Ali-

(17) *Horum reliquias*. Scilicet damnatorum et crucifixorum. Ut autem probe intelligatur quo sensu Auctor hic *reliquias* sumat animadvertendum est, quod tum gravioris criminis damnati sepultura arcebantur. Tacitus Annal. VI. c. 29. de temporibus loquens, quibus Noster florebat scribit: *Nam promtas eiusmodi mortes metus carnificis faciebat: et quia* damnati, *publicatis bonis* sepulturâ prohibebantur. Et Ulpianus Dig. XLVIII. Tit. 24. *Hodie eorum in quos animadvertitur* corpora non *aliter* sepeliuntur, *quam fuerit petitum et permissum, et nonnumquam non permittitur, maxime maiestatis caussâ damnatorum*. Fiebat igitur ut damnatorum cadavera sive in crucibus suspensa, sive alibi exposita sensim putrescerent, ac solverentur, et propterea post aliquot dies quaedam tantummodo eorum *reliquiae* superessent. Haec autem spectans, ut videtur, damnatorum cadavera generatim *reliquias* dixit Auctor. Ideoque caveat lector ne vocem hic in vulgari et recepta sententia sumat, pro cineribus scilicet et ossibus, quae tum ex cadaverum combustione supererant, et colligebantur.

(18) *Ne quis posset tollere*. Sumere detrahere de crucibus, vel delapsas colligere, ut sepulturae traderent. Petronius loc. cit. *Ne quis ad sepulturam corpora detraheret*. Incredibile est quanta cura et studio Veteres sepulturae suae suorumque prospicerent: sive quod crederent inhumatos sedibus suis arceri, inquierosque et exsules huc illuc misere vagari, sive quod autumarent eos ad Acherontis ripas flentes tristesque ad centum annos manere, defunctorum sepulturam anxie curarunt, deque sua solliciti omnino fuerunt. Ita Tiberii aetate, ut loc. cit. Tacitus tradit, plures accusati tantummodo, seipsos necabant, quod eorum corpora humarentur: Potius certam mortem oppetere, ut sepulturam quoque certam consequerentur contenti, quam aliqua vivendi spe sepulturam incertam facere: Legique plane metentur, quae apud Virgilium Palinurus Aeneae lib.VI. Aen. v 363. etc. apud Horatium l. Carm. Od. 28. v. 23. etc. Archytas Nautae de sua sepultura solliciti dicant. Ex hac igitur persuasione factum est, ut opus fuerit apponere custodes ad cruces damnatorum, ne propinqui, aliive pii homines ad sepulturam cadavera detraherent.

(19) *Dantur*. Apponuntur. Cicero III. de nat. Deor. cap. 15. Date *quempiam alicui comitem*.

(20) *Monumentum*. Quod superius dixit sepulcrum. Recte nam idem sunt saepissime. Petronius *Casulam* dixit. *Secundum illam* casulam, *in qua recens cadaver Matrona deflebat*.

(21) *Quo se incluserat*. Ut scilicet, sicut dictum v. 4. in eo

vi-

Aliquando (22) sitiens unus de custodibus,
Aquam rogavit media nocte ancillulam (23),
Quae forte Dominae tunc adsistebat (24) suae,
Dormitum eunti : namque lucubraverat (25),
Et usque in serum (26) vigilias perduxerat (27),
Paullum reclusis foribus (28) Miles prospicit (29).

Vi-

vitam degeret. Se in eo clauserat, ut ibi sepultum virum perpetuo lugeret.

(22) *Aliquando*. Hic brevissimum temporis spatium, et paucissimos tantum dies significat. *Aliquando* enim ex se nec longum nec breve tempus notat, sed quoddam tantummodo intervallum, quod certissimis finibus non clauditur.

(23) *Ancillulam*. Viduae scilicet, quae ancillula unâ cum Domina in sepulcro degebat.

(24) *Adsistebat*. Aderat ministrans, adstabat ad praestanda opportuna officia. Proprie. Nam *adsisto* non est nudum et simplex adsum, et adsto; sed adsum et adsto, ut aliquid praestem, agam, faciam. Ita Cicero II. Tusc. c. 9. Sophoclem vertens : *Accede nate*, adsiste. Plautus Pseud. I. 3. v. 123. Ca. *Pseudole*, adsiste *altrinsecus*, *atque onera hunc maledictis*.

(25) *Lucubraverat*. Domina nempe, vidua usque tum ad lucernam laboraverat, quae verbi potestas est. Livius autem IV. c. 57. de Lucretia : *Sed nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium sedentem inveniunt*. Vid. etiam Varron. IV. L. L. p. 7. et Martial. IV. Epigr. 90.

(26) *Usque in serum*. Usque in seram noctem, ut Liviana phrasi utamur, in multam noctem. Et ita quidem: nam iam erat media, ut vidimus. *Serum* autem substantive sumtum probatum et latinum est. Livius lib. XXXIII. c. 48. *Multo vino in serum noctis convivium productum*. Svetonius in Aug. c. 17. *Navali praelio vicit in serum dimicatione protracta*.

(27) *Perduxerat*. Proprie, ut ex testimonio Livii modo adducto patet. Tum Caesar B. Gall. c. 30. *Res disputatione ad mediam noctem* perducitur. Quin putaverim satius forte interdum usurpari *producere* de iis rebus, quae lubenter in longum trahimus, *perducere* vero de iis quae vel gravia et magna sunt, vel aliqua molestia et aegritudine, ut quidem Viduae vigiliae, trahuntur.

(28) *Paullum reclusis foribus*. Quum miles reclusisset paullum fores. Apertis aliquantulum a milite cubiculi foribus.

(29) *Prospicit*. In cubiculum oculos conjicit, intendit aciem oculorum, ut aliquid videndo detegat, curiose introrsum spectat. Absolute et simpliciter. Ita Varro apud Nonium cap. V. p. 442. *Sedens altus alieno sumtu, neque post respiciens, neque ante prospiciens*. Plinius lib. X.

Hist.

Videtque aegram (30), sed (31) facie pulcrâ feminam (32).
Corruptus animus (33) illico succenditur (34),
Et uritur impudicitiae cupidine (35).

So-

Hist. c. 13. *Grues volant ad* prospiciendum *alte*. Ita Terentius Phorm. V. 1. v. 8. Caesar II. B. Civil. c. 5. etc.

(30) *Aegram*. Gravissime moestam, tristem, moerore confectam. *Aeger* dicitur non modo qui aliquo corporis morbo affliciatur, et male se habet, sed etiam, qui miseris affectibus agitatur et angitur, tum enim is ne corpore quidem recte valet. Ita vetus Poeta apud Ciceronem pro Coelio c. 8.

Medea animo aegra, *amore saevo saucia*.

Livius lib. XXX. cap. 11. *Amore* aeger. Lucretius III. v. 946. et Ovidius II. Metam. v. 329. *Luctus* aeger. Apuleius lib. VI. Metam. *Psyche* aegerrima: amore nempe et dolore.

(31) *Sed*. In Codice *et*. Verum haec vocula et metrum versiculi, et sententiam corrumpit. *Sed* autem, fortasse *ut* in vetustiori Codice, unde facillime in *et* Amanuensis errore transire potuit, utrumque egregie praestat.

(32) *Facie pulcrâ feminam*. Auctor in vulg. lib. III. fab. 8. vel lib. II. Epit. fab. 11. v. 2. *Insigni* habebat, *et pulcra facie filiam*.

(33) *Corruptus animus*. Formâ, pulcritudine feminae victus, depravatus. Eleganter. Nepos in Miltiad. cap. 6. *Populus largitione Magistratuum* corruptus. Sallustius in B. Iugurth. c. 33. Animus *ab ignavia atque socordia* corruptus. Brutus ad Cicer. Epist. 4. Corruptus *largitionibus* animus. Hic quidem τo *animus corruptus* interpretari quis etiam posset, animus utpote iam corruptus et vitiosus: Animus iam aliis flagitiis et impudicitiis depravatus. Sed sententiam priorem genuinam dicerem. Nam satius fabellae cohaeret, et loquendi modus dubio procul fit elegantior. Certe *corruptus animus*, *corruptus homo*, sic absolute sumta, ut hîc sumi velint, haud facile, ut puto, penes puriores latinos Scriptores occurrent.

(32) *Illico succenditur*. Eleganter. Propertius I. Eleg. 2. v. 15.

Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe.

Ovidius XV. Metam. v. 167. Succensus *amore*. VIII. v. 74. Succensa *cupidine tanto*.

(35) *Et uritur impudicitiae cupidine*. Virgilius IV. Aen. v. 68. Uritur *infelix Dido*. Horatius I. Od. 19. v. 5. Urit *me Glycerae nitor*. Ovidius VII. Metam. v. 21.

. . . *Quid in hospite, regia Virgo*,
Ureris.

Petronius autem: *Pudicitiam eius mulieris aggressus est*. Sed in Codice; *Uriturque sensim impud. . . . . . . cupid. . .* Scriptum quidem antea videtur *impu-*

Solers acumen (36) mille caussas (37) invenit (38),
Per quas videre possit illam (39) saepius.
Quotidiana capta consuetudine (40),
Paullatim facta est advenae (41) summissior (42),
Mox

pudicitiae cupidine, quod iam in Lect. nostris singillatim observavimus. Sed quid, si versiculus est plane depravatus, et longior, quam leges carminis ferunt? Tum *sensim* quidem interpolatum videtur. Nam modo praecessit *illico*: et *succenditur* longe satius τῷ *cupidine* spectat, quam absolute usurpatur. Ideo hac voce reiecta, solutoque *que* in *et*, eo etiam consilio, ut quaedam caesurae species in versum inducatur, omnium lenissima, ut, puto, emendatione versiculum eo pacto edidi. In Lect. nostris alia plura coniecimus, quae qui vult legat. Attamen et hîc a Doctis potiora expectamus.

(36) *Solers acumen*. Supple *militis*. Proprie. Nam de perspiciendis et inveniendis caussis agitur. Cicero pro Flacco c. 4. *Sermonis leporem, ingeniorum* acumen, *dicendi copiam*. I. Tuscul. c.5. *Ubi est* acumen *tuum, Attice*. Horatius I. Epist. 12. v. 20.

Empedocles, an Stertinii deliret acumen.

Solers autem est varium et multiplex. V. Fab. 2. v. 8.

(37) *Caussas*. Praetextus. Eleganter. P. Syrus in Sentent. v. 174.

Malefacere qui vult numquam non caussam *invenit*.

Terentius Eun. I. 2. v.57. *Fingit* caussas, *ne det, sedulo*. Ita Tibullus I. Eleg.7. v.25. et alii.

(38) *Invenit*. In Codice ..... *it*. Sed vid. Lect. nostras.

(39) *Illam*. Mulierem viduam.

(40) *Quotidiana capta consuetudine*. Quae scilicet mulier; haec vidua. Quamobrem in Lectionibus coniiciebamus haud male forte *quae* vel *haec* versiculo adiici. Secus enim Syntaxis videtur abrupta, et minime superioribus ex verborum ordine et potestate cohaerens. *Capta* autem eleganter. Terentius Andr. I. 1. 55. Chr. *Ego continuo mecum, certe* captus *est*. Cicero pro Cluent. c. 5. Captus *amore*: Tibullus lib. III. Eleg. 1. v. 7.

Carmine formosae, pretio capiuntur *avarae*.

Sic Horatius II. Od. 18. v. 36. Noster in vulg. lib. V. fab. 7. v. 4. etc. *Consuetudo* vero hîc non est mos, sed familiaritas, conversatio. Quo sensu Cicero IV. ad Familiar. Epist. 13. *Insinuare se in* consuetudinem *alicuius*. Pro Rosc. Amer. cap. 6. *Est mihi domesticus usus et* consuetudo *cum aliquo*. Terentius Heaut. II. 3. v. 42. Quotidianae *vitae* consuetudine.

(41) *Advenae*. Militi scilicet. Satis constat et ex Auctore nostro, et ex Petronio militem hunc haud Civem, sed externum fuisse: et ideo videtur modo *advenam* dici. Attamen quamvis Civis fuisset, vox in fabellā non esset culpanda. Nam quum Mulier vidua se ab omni societate, et a Civitate etiam se se-

cre-

Mox arctiore vinxit animum (43) copula (44):
Hic (45) dum consumit noctes Custos diligens (46),
Desideratum est corpus (47) ex una cruce.
Turbatus Miles (48) factum exponit (49) Mulieri:
At

crevisset, recte *advena* dicitur qui *ad* eam *venit*, et cum ea vivit. Tum certum est recte dici *advenas*, vel qui in eadem Urbe de domo in domum transeunt, ibique excipiuntur. Auctor autem forte ea mente hac voce usus est, qua Ovidius I. Art. v. 178.

Eheu, quam multos advena *torsit amor!*

(42) *Summissior*. Facilior, indulgentior, voluntati eius aliquantum obtemperans, veluti victa et submissa. Virgilius IV. Aen. v. 414. *Animos* submittere *amori*. Statius I. Theb. v. 662.

. . . . . *Ardentem tenuit reverentia caedis*
Latoidem, tristemque viro summissus *honorem*
Largitur vitae.

(43) *Vinxit animum*. Supple suum, hoc est mulier: Haec se militi mancipavit.

(44) *Arctiore copulâ*. Firmiori et tenaciori nexu: Vinculis intimis. *Copula* est vinculum, catena. Plautus Epid. V. 1. v. 11.

. . . Ep. *Quin tu mihi adornas ad fugam viaticum,*
Prius quam pereo. Nam per Urbem duo defloccati senes
Quaeritant me, in manibus gestant copulas *secum*.

Ovidius VII. Metam. v. 769. Copula *detrahitur canibus*. V. Trist. 9. v. 38. *Utque . . canem* copula *dura tenet*. Et propius Horatius I. Od. 13. v. 18. et seq. quem locum in Lectionibus nostris iam adduximus.

(45) *Hic*. Apud mulierem in sepulcro.

(46) *Custos diligens*. Ironice. Nam constitutus fuerat ad custodienda damnatorum cadavera, ut supra dictum est. Proprie autem *custos* dicitur *diligens*. Cicero I. Catilin. c. 19. *Et ad custodiendum te* diligentissimum *fore putasti*.

(47) *Desideratum est corpus*. Non est inventum cadaver, ablatum fuit, detractum fuit. *Desidero* vi sua non est opto, cupio, sed occido, deficio, desum. Nam a *de* et *sidus* fit, ut certum esse Festus scribit, notatque omnino siderum et stellarum occasum, et propterea quemvis defectum et absentiam. Et hoc sensu Caesar II. B. Civ. c. 32. *Nullâ omnino nave* desideratâ. Et VII. Bell. Gall. c. 11. *Perpauci ex hostium numero* desiderati *occubuerunt*. De *corpore* autem pro cadavere dictum est ad v. 2.

(48) *Turbatus miles*. Nempe timore poenae, quae dubio procul erat gravissima. Ita Noster in vulg. IV. fab. 17. v. 9.

Eos Mercurius . . . turbatos *adtrahit*.

Et fab. 24. v. 27. *Homo* perturbatus. Svetonius in Nerone c. 19. Turbatus *religione simul et periculo*.

(49) *Factum exponit*. Narrat quod factum fuerat, detractum nempe fuisse ex una cruce ca-
da-

At sancta Mulier (50): non est quod timeas ait (51);
Virique corpus (52) tradit figendum cruci (53),
Ne subeat ille (54) poenas negligentiae.
Sic turpitudo laudis obsedit locum (55).

FA-

daver. Petronius: *Mulieri quod accidisset exponit.*

(50) *At sancta mulier.* Per ironiam, quam et Petronius servat: *Mulier*, ait, *non minus misericors, quam pudica. Sancta* autem hîc potissimum est *pudica*, quum mulieres vel unice vel maxime ob castitatem dictae fuerint *sanctae.* Horatius I. Od. 2. v. 27. *Virgines* sanctae. Virgilius XI. Aen. v. 158. Sanctissima *coniux.* Martialis X. Epigr. 30. v. 5. Sancta *uxor.* Tibullus I. Eleg. 3. v. 83. Sanctus *pudor.* Valer. Flaccus II. Arg. v. 345. Sanctum *cubile.* Vid. etiam Ciceron. pro Coel. cap. 13. Tacit. XIV. Annal. c. 60. et Nostrum II. Epir. fab. 13. v. 14. et 30.

(51) *Non est quod timeas ait.* V. Fabell. XI. v. 9. In Codice: *Non est quod tim.* . . . . . Sed vid. Lecr. nostras.

(52) *Virique corpus.* Illius scilicet Viri cadaver, quod tam diligenter in sarcophago condiderat, et cuius amore in tanto moerore et luctu hactenus vixerat.

(53) *Cruci.* Illi nempe, ex qua detractum fuerat cadaver latronis, ut pro eo sumi posset cadaver Viri.

(54) *Ille.* Miles suus, qui propterea turbatus erat. Petronius: *Nec se expectaturum iudicis sententiam, sed gladio ius dicturum ignaviae suae.*

(55) *Sic turpitudo laudis obsedit locum.* Atque ita locus pudicitiae antea et castitatis laude clarissimus, factus est impurus, infamis, et turpis. Scilicet ita sepulcrum et conditorium hoc antea Feminae pudicitiâ celebratum, eiusdem Feminae turpitudine paullo post infame, et obscenum evasit. *Obsideo* autem hîc non est circumdo, cingo, ut vulgo sumitur, sed occupo, capio, et proprie alterius locum. Virgilius Aen. III. v. 400.

Et Salentinos obsedit *milite campos*
Lyctius Idomeneus.

Cicero II. Agrar. c. 28. *Totam Italiam suis praesidiis* obsidere *atque occupare.* Ita Plautus Poen. Prolog. v. 23. Rud. III. v. 26. Terentius Adelph. IV. 6. v. 5. etc. Praeterea *locus laudis* hic haud abstracte sumitur, ut sensus sit: turpitudo successit laudi; sed ut diximus locus est, quo mulier aliquamdiu clausa mansit, et ille loquendi modus ex stilo Phaedri est, qui adiectiva nomina in substantiva et abstracta convertit, ut saepius dictum est. Unde *locus laudis* est *locus laudatus, celebratus.*

(*) In

FABULA XV.

Duo Iuvenes proci dives et pauper (*).

Unà (1) expetebant Virginem (2) Iuvenes duo:
Vicit Locuples (3) et genus, et formam (4) Pauperis (5).

Ut

(*) In argumentum istius Fabellae scripsit Perottus: *Fortunam interdum praeter spem atque expectationem hominibus favere*. Quae quum genuinae lectionis elementa habere videantur, non incommode forte scribi posset:

Fortuna interdum facilis praeter spem favet,
Animumque necopinis perfundit gaudiis.

Facilis est secunda, blanda, quae alterius votis se accommodat. Cicero pro Balbo cap. 16. *Comes, benigni, faciles, suaves homines*, Terentius Heaut. II. 1. v. 5. Facilis *et liberalis pater*. Tum *necopinus* ea sententia rectum. Statius VI. Theb. v. 778. dixit *necopinum ictum*. Silius Italicus lib. XIV. v.789. *necopina pericula*. Livius lib. XXXIX. cap. 49. *necopinatum gaudium*. Tandem Cicero IV. Tuscul. cap. 9. *Perfundere* animum *voluptatibus*. V. de Fin. cap. 24. *laetitia*. Livius lib. XXX. cap. 16. *gaudio*.

(1) *Unà*. Eodem tempore. Hic *unà* non societatem et mutuam consuetudinem Iuvenum, sed unitatem propositi et consilii significat.

(2) *Expetebant Virginem*. In uxorem nempe, in matrimonium. Proprie. Plautus Casin. V. 2. v. 33. *Amabo, mea uxorcula, quia te mihi* expetivi. Terentius Heaut. II. 4. v. 3. *Miror ti te sibi quisque* expetit. Ovidius XIII. Met. v. 740.

Te tamen, o Virgo, genus haud immite virorum
Expetit.

Virgo autem hîc non eo sensu sumitur, quem superiori Fabula v. 5. diximus, sed vulgari et recepto.

(3) *Locuples*. Qui ex duobus illis Iuvenibus erat locuples, dives.

(4) *Et genus, et formam*. Primum *et* in Codice deest. Attamen his de caussis restituimus: Scilicet quod si reiicitur media in *locuples* producenda est, quod insolens in Iambis videtur. Secundo opportune auget sententiae vim. Tertio plures Scriptores praestantissimi, qui loquendi formulam, ad quam vocula spectat usurparunt, omnes expresserunt, ut Horatius I. Epist. 6. v. 35.

Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos,
Et genus, et formam *regina pecunia donat*.

II. Satyr. V. v. 8.

Et

Ut nuptiarum dictus advenit dies (6),
Amans (7) dolorem (8) quia non poterat perpeti (9);
Moerens (10) propinquos contulit se (11) in hortulos (12),
Quos ultra paullo (13) Villa splendida (14) Divitis Erat

Et genus, et virtus nisi cum re vilior alga est.

Ita Ovidius VII. Metam. v. 26. Aliique. *Genus* autem apud Nostrum hic, ut apud adductos Auctores, absolute est *nobilitas*, claritas stirpis, ut etiam apud Ciceronem pro Rosc. Amer. c.6. et alios.

(5) *Pauperis*. Alterius Iuvenis, qui *pauper* erat. Sensus est: Alter Iuvenum, quod locuples, etsi nec nobilis, nec formosus electus est in sponsum Virginis, at alter quamvis et nobilis et formosus repulsam tulit, quod pauper. Adeo vera nos modo ex Horatio audiebamus. *Pauper* autem non est ille cui omnia fere ad vitam necessaria aut commoda desunt, sed qui dives non est, cui res familiaris est angusta. Seneca Epist. 87. Paupertas *est non quae pauca possidet, sed quae multa non possidet*. Unde Martialis lib. XI. Epigr. 33.

Non est paupertas, *Nestor, habere nihil.*

Et Tibullus Eques Romanus I. Eleg. 1. v. 3.

Me mea paupertas *vitâ traducat inerti.*

Vid. etiam Silius Italicus I. v. 609. Iuvenalis Satyr. VI. v.294. etc. Quin hîc *Pauper* tantummodo *Diviti* opponitur, ut et ipse facile ad alios pauperiores dives dici potuisset. Vid. adnotat. ad v. 24.

(6) *Dictus dies*. Adsignatus, constitutus. Eleganter. Ita Noster in vulg. lib. IV. fab. 10. v. 10. Dictum *tempus*. Fab. 24. v. 19. *Hora* dicta. Statius IV. Theb. v. 13. Dicta *dies*. Et tandem Terentius Andr. I. 1. v. 103. *Hic* nuptiis dictus *est* dies.

(7) *Amans*. Nempe Pauper, qui adhuc ardenter amabat; Tum Locuples non erat amplius *amans*, sed sponsus.

(8) *Dolorem*: Quem ex repulsa hauserat, quod Virgine potiri negatum fuerat.

(9) *Perpeti*. Ferre aequo animo, pati moderate in Urbe, intra moenia, forte ob praesentiam Virginis et Sponsi, ac nuptiarum apparatum.

(10) *Moerens*. Tristissimus, moestissimus. *Moereo* profundum quemdam et acerbum dolorem significat.

(11) *Contulit se*. Eleganter. Cicero pro Flacc. c. 5. *Romam* se contulit. III. de Orat. c.56. *Quum Aeschines* se *Rhodum* contulisset.

(12) *In hortulos*. Intellige *suos*, suburbanos, urbi proximos. Scilicet ut animum agri fruitione aliquantulum averteret, et se a tanto dolore paullulum levaret.

(13) *Quos ultra paullo*. Paullo ultra quos hortulos. Nempe haud longe etiam ab Urbe, haud multo ab Urbe intervallo.

(14) *Villa splendida*. Quae nem-

Erat acceptura Virginem (15) e matris sinu (16),
Parum ampla in Urbe visa quod fuerat domus (17).
Pompa explicatur (18), turba concurrit frequens (19),
Et

nempe magnifice, splendide, eleganter ad nuptias, ad convivia ornata, et instructa fuerat. In Codice legitur *splendidi*. Sed vid. Lect. nostras.

(15) *Erat acceptura Virginem.* In qua Virgo sponsa accipienda erat, ducenda erat. Simili fere pacto Noster in vulg. I. fab. 12. v. 9. *Silva excepit ferum*. Et IV. fab. 23. v. 20.

Me copiosa recipit incolumem Domus.

Sed *accipienda* ex proprietate. Nam non velut hospes et advena *excipienda*, nec ut notus et vetus incola *recipienda*, sed tum primum et ut Domina *accipienda*.

(16) *E matris sinu*. Thaedri aetate inter nuptiarum ritus, qui tum obtinebant, erat, ut sponsa, quae iam iam in domum Viri ducenda erat super genua, sinumque matris sederet, et inde simulata vi a sponso abriperetur, quod revera primitivam connubiorum rationem quodammodo referebat, quum homines per raptum et vim uxores sibi comparassent. Hinc Catullus in Epithalam. Iuliae et Manlii v. 56.

Tu fero iuveni in manus
Floridam ipse puellulam,
Matris e gremio *suae*
Dedis, o Hymenae hymen.

Tum alio carmine Nuptial. v. 20.

Qui natam possis complexu *avellere* matris,
Complexu matris *retinentem avellere natam*,
Et iuveni ardenti castam donare puellam.

Illis ergo verbis hunc ritum moremque Auctor spectavit: Verum quum mater sponsae, et sponsa ipsa in Urbe degerent, voluit etiam indicare quo ex loco in villam sponsa esset ducenda.

(17) *Parum ampla in Urbe visa quod fuerat Domus*. Ideo scilicet nuptias Ruri celebrare maluit Dives, quod domus, quae sibi erat in Urbe parum ampla, angustior ad pompam, et turbam recipiendam visa fuerat.

(18) *Pompa explicatur*. Apparatus nempe nuptialis, nuptiale spectaculum panditur, ordine digeritur. Nam Sponsa, ut non semel dictum est, e domo paterna, in villam mariti ducenda erat. *Pompa* proprie est magnificus apparatus per publicas vias cum ostentatione et specie et agmine plurium, qui ordine ac graviter procedunt. Hinc recte huiusmodi nuptialem apparatum *pompam* Noster dixit, ut Ovidius XVII. Epist. Her. v. 171.

Hic mihi: *mater, abi*, pompam *pater*, *inquit*, *Iason Ducit*.

Explicatur etiam eleganter. Hirtius de B. Afric. c. 59. Explicare *equitatum*. Caesar de B. Civ. c. 95. *Equites se turmatim explicare coeperunt*. Virgilius II. Georg. v. 279.

Ut saepe ingenti bello quum longa cohortes
Explicuit *legio*, *et campo stetit agmen aperto*.

(19) *Turba concurrit frequens.* Scilicet Populi. Plurima sane

tur-

Et coniugalem praebet Hymenaeus facem (20):
Asellus autem, qui solebat Pauperi (21)
Quaestum referre (22), stabat portae in limine (23):
Illum puellae (24) casu (25) conducunt (26) suae,

Viae

turba et multitudo populi ad pompas huiusmodi confluebat. Terentius Adelph. V. 7. v. 9.

Hymenaeum, turbas, *lampadas*, *tibicinas*.

Sic Ovidius Epist. cit. v. 143. et v. 155. etc.

(20) *Et coniugalem praebet Hymenaeus facem*. Graecis et Latinis Deus et praeses Nuptiarum dicebatur *Hymenaeus*, ideoque ipsae nuptiae, et nuptiale carmen eo nomine audiebant. Et quoniam ignis Amoris symbolum, et nuptiae amore potissimum constant, propterea semper in nuptiis faces ad bonum omen praelatae sunt, et ipsi Hymenaeo maxime fax attributa. Tum faces *nuptiales*, *coniugales*, vel *iugales* dictae, puta a Seneca Agamemn. v. 158. Herc. Oet. v. 957. Medea v. 27. atque aliis pluribus, quod coniugium, connubium et significarent et perficerent. Catullus autem in Epithalam. Iuliae et Manlii sic Hymenaeum alloquitur v. 14.

Pelle humum pedibus, manu
Pineam quate taedam.

Et Seneca in Medeâ v. 67.

Et tu qui facibus legitimis ades,
Noctem discutiens auspice dextera
Huc incede.

Tum *praebeo* est suppedito, ministro, confero. Quamobrem sensus Nostri est. Et Hymenaeus suppeditat facem nuptialem: scilicet nec istis in nuptiis desunt *faces iugales*; sunt etiam faces maritae: Nil desideratur ad ritum absolutarum nuptiarum.

(21) *Pauperi*. Iuveni scilicet rivali et proco, qui ob dolorem repulsae se in hortulos suos contulerat.

(22) *Quaestum referre*. Aliquem proventum reddere, aliquod lucrum afferre. Nempe pauper Iuvenis asinum ad operam, ad vehenda portandaque onera locabat, unde sibi aliquod lucrum ex eo fiebat. Eodem sensu Columella I. R. R. c. 3. *Maiores* quaestus referre. Lib. VIII. c. 8. et 9. Quaestum *uberem* referre. In Codice quidem *quaestum ferre*: Sed nemo, ut puto, non videt, et sententiae et metri ratione scribendum esse *referre*.

(23) *Portae in limine*. Tecti nempe et casulae, quam ad hortulos suos habebat Pauper, et qua tum ipse morabatur. Qui putaret agi hîc de porta domus, quae forte Pauperi in ipsa Urbe erat Scriptorem haud recte caperet.

(24) *Puellae*. Virgini sponsae, ut super eo asino vectaretur ad villam.

(25) *Casu*. Nescientes scilicet eum asinum esse rivalis proci. Haud eo consilio ut asinum Pauperis potius, quam alium asinum conducerent. *Casus* certam rationem et propositum, quo aliquid fit, excludit. V. Fab. IX. not. 45.

(26) *Conducunt*. Supple *pretio*. Nam hîc *conducere* est su-

mo-

Viae labores (27) teneros ne laedant pedes (28).
Repente Coelum (29), Veneris misericordiâ (30),
Ventis movetur (31), intonat Mundi fragor (32),
No-

mere in usum certo praetio; Utque apud Ciceronem pro Coel. c. 7. conducitur *domus*, apud Plautum Rudent. Prolog. v. 57. *navis*, Aulular. II. 1. v. 1. *coquus*, apud Senecam VII. Benefic. c. 5. *rheda*: apud Gellium lib. XVIII. c.23. *liber*; ita hîc conducitur *asinus*. Ii autem *conducere* intelliguntur, qui pompam curabant, et sponsam suam dicere poterant, qui scilicet ex Sponsi familia erant, vel etiam propinqui Virginis.

(27) *Viae labores*. Asperitas, difficultas, longitudo viae, quae laborem et defatigationem pariunt. Eleganter. Ovidius XIII. Metam. v. 316.

Ut te subtraheres bellique, viaeque labori.

(28) *Teneros ne laedant pedes*. Utpote tenerae et delicatae puellae: Quae quum pedibus confecisset totum iter, quod a paterna domo ad hortulos Pauperis intercedebat, si usque ad Villam Sponsi pedibus etiam ire perrexisset nimis defatigata, et pedibus laesis pervenisset. Non abs re Virgilius Eclog. X. v. 48.

. . . *Ah! te ne frigora laedant*,
Ah! tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.

(29) *Coelum*. *Coelum* hîc non pro loco stellarum et siderum sumitur, sed pro aëre, vel atmosphaera, ut graeco vocabulo dicimus. Lucret. lib. IV. v.132.

Constituuntur in hoc coelo, *qui dicitur aër*.

Plinius lib. II. Hist. c. 38. *Et hoc* Coelum *appellavere Maiores, quod alio nomine* aëra. Cicero I. Tuscul. c. 19. Coelum *hoc*, *in quo nubes*, *imbres*, *ventique coguntur*.

(30) *Veneris misericordiâ*. Intellige erga Pauperem, qui quum vehementissime amaret, et acerbissimo dolore ob amorem affligeretur, Venus cui propterea iuvenis acceptissimus, eius miserita est, et favere instituit.

(31) *Ventis movetur*. Vehementer agitatur, impellitur, turbatur.

(32) *Intonat Mundi fragor*. Immenso fragore tonat, validissima tonitrua fiunt. *Mundus* non est semper tota rerum universitas, et omnium rerum existentium compages, quo sensu Fab. II. v. 11. sumitur; sed saepe est Coelum tantummodo, et locus scilicet ubi fulmina et ignes gigni, ubi tonare et fulgurare videtur, quae Veteres a Iove fieri putabant, atque in altissimis aëris aetherisque partibus constituebant. V. Tibullum lib. III. Eleg. 4. v. 17. Statium III. Theb. v.493. etc. Quin Seneca in Troadib. v. 353.

Cui viscerum secreta, cui Mundi fragor
Dant signa fati.

Intonat etiam proprie. Vetus Poeta apud Ciceronem I. de Divin. c. 47.

Partibus intonuit *Coeli Pater ipse sinistris*.

Virgilius lib. VIII. Aen. v.527.

. . . *Iterum atque iterum* fragor intonat *ingens*.

Si-

Noctemque (33) densis horridam nimbis (34) parat,
Lux rapitur oculis (35), et simul vis grandinis (36)
Effusa (37) trepidos pulsat (38), et omnes dissipat (39);

20 Si-

Similia lib. I. v. 94. II. v. 693. Lucanus lib. I. v. 152. etc.

(33) *Noctemque parat*. Tenebras, obscuritatem, caliginem statim inducit, instruit, subtexit, ut Senecae ad hanc rem verbo utar in Hippolit. v. 953. Intelligitur procella, tempestas. Eleganter. Cicero II. Tuscul. c.10. Aeschylum vertens:

. . . . . *Navem ut horrisono freto*
Noctem *paventes timidi adnectunt navitae*.

Virgilius III. Aen. v. 194.

Tum mihi coeruleus supra caput adstitit imber,
Noctem *hiememque ferens, et inhorruit unda tenebris.*
Involvere diem nimbi, et nox *humida coelum*
Abstulit.

Ita Propertius III. Eleg. 9. v. 5. Lucretius IV. v. 172. etc.

(34) *Densis nimbis*. Nimbus est pluvia repentina, praeceps, spissa, tenebrosa. V. Servium ad Virgil. Aen. I. v. 55. et Apuleium de Mundo p.342. edit. Lugd. Bat. 1623. Virgilius I. Georg. v. 328. *Media* nimborum *in nocte*. Ovidius I. Met. v. 269. Densi *funduntur ab aethere* nimbi.

(35) *Lux rapitur oculis*. Egregie *rapitur*, non modo quod res dulcissima et gratissima auferretur, sed quod celerrime, et plane repente eriperetur. Virgilius I. Aen. v. 92.

Eripiunt *subito* nubes *Coelumque diemque*
Teucrorum ex oculis, ponto nox *incubat atra*.

Ita Cicero I. de nat. Deor, c.3. Seneca Hippol. v. 955. etc.

(36) *Vis grandinis*. Plurima et vehemens grando, ingens copia grandinis. *Vis* enim eleganter est copia et multitudo. Cicero de Harusp. Resp. cap. 11. Vis *innumerabilis servorum*. In Somn. Scipion. c.3. *Quem ut vidi equidem* vim *lacrymarum profudi*.

(37) *Effusa*. Proprie. Livius lib. XXVIII. c. 37. *Tanta vis lapidum, creberrimae grandinis modo, in classem* effusa *est*. Virgilius X. Aen. v. 803.

Ac velut effusa *si quando grandine nimbi*
Praecipitant.

(38) *Trepidos pulsat*. Trepidantes, huc illuc diffugientes et discurrentes verberat, tundit. Auctor loquitur de iis, qui Pompam nuptialem efficiebant, vel comitabantur. Terentius Hecyr. III. 1. v. 35. Trepidari *sentio et cursari*. Livius lib. XXIII. c.7. *In foro otiose inambulavit*, trepidante *tota Civitate ad excipiendum Poenum, visendumque*. Quo sensu praeter ceteros etiam Noster in vulg. lib. IV. fab. 5. v. 3. et lib. II. fab. 5. v. 1. verbum adhibuit. *Pulso* autem tamquam proprie de *grandine* sumi solet: Ovidius VI. Metam. v. 692.

Induroque nives, et terras grandine pulso.

Ita de Ponto I. Ep.8. v.12. etc.

In

Sibi quemque cogens (40) petere praesidium
fugae (41).
Asellus notum (42) proximum tectum subit (43),
Et voce magna (44) sese venientem indicat (45).
Procurrunt pueri (46), pulcram affirmant Virginem (47),

Et

In Codice, . *ep* . *d* . *s* . . , . . , Sed vid. Lect. nostras.

(39) *Et omnes dissipat*. Huc illuc disficit, disperdit. Proprie *dissipat*. Caesar VII. B. Gall. c. 34. Dissipare *hostes*. Cicero pro Sext. c. 128. *Eversa domus est, fortunae vexatae*, dissipati *liberi, raptata coniux*. Sic pro Dom. sua c. 15. Sic Ovidius II. Fast. v. 232. etc. Ad rem autem Virgilius IV. Aen. v. 120.

His ego nigrantem commixta grandine *nimbum*,
Dum trepidant *alae saltusque indagine cingunt*,
Desuper infundam, et tonitru Coelum omne ciebo;
Diffugient *comites*, *et nocte tegentur opaca*,

In Codice . . . . *d* . *s* , . *p* . . Sed vide Lect. nostras.

(40) *Cogens*. Grando nempe, tempestas, ob imminens vitae periculum. Quod omnia eis praesentem *mortem intentent*, ut Virgilii de simili re verbis utar. Aen. I. v. 95.

(41) *Petere praesidium fugae*. Fugâ sibi consulere, quae una tum praesidio ad salutem esse poterat. Eleganter. Ita Columella lib. XII. R. R. cap. 50. *Ad praesidium aquae calidae decurritur*. Apuleius Metam. I. p. 10. *Unde autem scio an convectore illo tuo cum quo sero deverteras iugulato* fugae *mandes* praesidium. In Codice vero; *Pet.* . *r* . *praesi* , *iu* , *fug* .

(42) *Notum*. Nam inde ductus fuerat, et saepius ibi stabulabat.

(43) *Tectum subit*. Tectum nempe quod esset pars aedium, quas ad hortulos suos haberet Pauper, et ubi ipse tum manebat. Proprie, ut ex Caesare B. Gall. I. cap. 36. Virgilio VII. Aen. v. 668. Ovidio XIV. Met. v. 250. patet. In Codice . , . . . *s* . *b* . . Sed vid. Lect. nostr.

(44) *Et voce magna*. Alto et sonoro rudItu, ingenti clamore. Noster etiam in vulg. lib. I. fab. 12. v. 13. Ruditum asini *vocem* dixit.

(45) *Indicat*. Ostendit, manifestat. De hoc verbo v. Lect. nost.

(46) *Procurrunt pueri*. Servi prodeunt foras ad vocem. *Procurrere* est currere extra, exire festinanter ad aliquem. Livius lib. XXXIV. c. 2. *Matres familias repente in publicum* procucurrerunt. Horatius I. Satyr. 7. v. 20. *In ius*

Acres procurrunt, *magnum spectaculum uterque*.

Notum est autem Romanos appellasse servos κατ᾽ ἐξοχὴν *pueros*. V. Varron. apud Nonium Cap. II. n. 648. Paullum Dig. lib. ult. Tit. paenult. Leg. 204.

(47) *Pulcram affirmant Virginem*. Supple *esse*. Recte *adfirmant*, omni nempe asseveratione aiunt, et certa fide praedicant.

In

Et admirantur (48), deinde (49) Domino (50) nuntiant.
Inter sodales (51) ille (52) paucos adcubans (53),
Amorem crebris avocabat (54) poculis (55);
Ubi

In Codice *p . . e . . am . ß .* . . . . Sed vid. Lect. nostras.

(48) *Et admirantur*. Virginem nempe, uti videtur, ob eius pulchritudinem: vel potius, ut ego arbitror, admirantur inopinatum eius adventum, quod ita ad se advenerit. Id enim sententia postulat, et si *τo nuntiant*, quod modo sequitur absolute quodammodo sumitur, nec *τo virginem* copulatur, sed intelligitur *hoc factum*, *hunc rem*. Satius certe dicitur etiam admirantur istum eventum, tam mirum factum.

(49) *Deinde*. Eleganter, perinde ac Virginis pulchritudine, atque ea admiratione diu detenti fuissent. In Codice . . . . *de*. Vid. Lect. nostras.

(50) *Domino*. Iuveni qui hic *pauper* dicitur. Unde iterum patet haec vocabula relativa, ut vocant, esse, huncque dictum fuisse *pauperem*, quod *diviti* compararetur. Nam nec absolute pauper dici potest, qui domum, hortos cum tecto et aedibus, plures servos, atque alia certe multa possidet.

(51) *Inter sodales*. *Sodales* proprie dicuntur coaevi et aequales, cum quibus familiariter et intime versamur. Unde *cari* ab Horatio dicuntur I. Carm. 36. v. 5. *dilecti*, *iucundi* ab Ovidio IV. Trist. 5. v. 1. ex Pont. lib. I. 8. v. 26. Plautus Mercat. V. 2. v. 4.

Domi erat quod quaeritabam:
Sex sodales reperi,
Vitam, amicitiam, civitatem,
laetitiam, ludum, iocum.

Cicero de Senect. c. 13. *Epulabar igitur cum* sodalibus *omnino modice*.

(52) *Ille*. Dominus pauper.

(53) *Adcubans*. Supple ad mensam. Nam Graeci et Romani aetate Phaedri non sedebant coenantes, sed cubabant, ut notum est. Ita absolute Plautus Mosrell. I. 4. v. 32. *Dt te ament*, accuba *Callidamantes*: et Cicero XIV. ad Attic. Epist. 12. *Haec conscripsi* adcubans *apud Vectorium*.

(54) *Amorem avocabat*. Removebat, divertebat, animum ab ea cura abstrahebat. Latine. Seneca Epist. 56. *Animum enim ego sibi intentum esse, nec avocari ad externa volo*. Consolat. ad Polyb. c. 26. *Luctum suum lusibus* avocare. Tacitus III Ann. c. 37. *Solus et nullis voluptatibus* avocatus. Apuleius lib. IV. Met. *Sed ego te narrationibus lepidis, anilibusque fabulis protinus* avocabo.

(55) *Crebris poculis*. Multo et largo vino, copiose et affatim potando. *Pocula* hic eleganter pro ipso vino. Florus lib. II. cap. 10. *Epulantes, ac ubi essent prae* poculis *nescientes*. Horatius I. Carm. Od. 17. v. 21.

Hic innocentis pocula *lesbii*
Duces sub umbra.

Si-

Ubi nuntiatum est, recreatus gaudiis (56);
Hortante Baccho (57), et Venere (58) dulces
perficit (59),
Aequalitatis (60) inter plausus, nuptias.
Quaerunt parentes per praeconem (61) filiam (62),
Novus maritus (63) coniuge amissâ dolet (64):
Quid

Similia lib. II. Od. 11. v. 18. Tum Virgil. II. Georg. v. 383.

(56) *Recreatus gaudiis*. Ob tam laetum nuntium: Quod tam insperato casu Virgo, quam ardentissime amabat, in manus suas pervenisset, sibique sponsam Dii destinasse viderentur. *Gaudium* plurali numero eleganter usurpatur. Vid. Ciceron. I. Catil. c. 26. Virgilium l. Aen. v. 506. Ovidium VII. Metam. v. 513. et Statium I. Silv. 2. v. 46. In Codice *gaud*... clare, sed ex vestigiis *gaudiis* potius, quam *gaudio* colligitur.

(57) *Baccho*. Nam potaverat, multoque vino se repleverat.

(58) *Venere*. Quod vehementer amaret.

(59) *Perficit*. Absolvit, conficit. Ita quidem. Nam procando, et expetendo nuptias quodammodo iam inchoaverat.

(60) *Aequalitatis*. Aequalium scilicet suorum, coaevorum sodalium, cum quibus adcubabat. Ex stilo Phaedri, qui ut saepius dictum est adiectiva nomina in substantiva et abstracta convertit. *Aequales* vero absolute sunt coaevi, aequalis et eiusdem aetatis. Terentius Andr. II. 6. v. 2. *Quem vocabo ad coenam meorum* aequalium. Sallustius in B. Iugurth. c. 6. *Cum aequalibus certare*. Cicero de Senect. c. 3. *Nec cum* aequalibus *solum, qui pauci admodum restant, sed cum vestra aetate, atque nobiscum*.

(61) *Per praeconem*. *Praeco* dicebatur publicus minister, qui voce ad populum profari erat solitus. Et quidem amissa saepe per praeconem proclamabantur. Sic apud Petronium Arbitrum amissus puer per praeconem quaeritur. Satur. cap. 97: *Intrat stabulum* Praeco *cum servo publico... et haec proclamavit: Puer in balneo paullo ante aberravit, annorum circa sexdecim, crispus, mollis, formosus nomine Gyton, si quis eum reddere aut commostrare voluerit accipiet nummos mille*.

(62) *Filiam*. Virginem sponsam, novam nuptam, quae in familia non inveniebatur. Erat enim apud Pauperem.

(63) *Novus maritus*. Dives nempe qui nuptias rite celebraverat, et propterea maritus factus fuerat. Sponsi *mariti* etiam dicuntur, et proprie *novi*. Catullus in Epith. Manl. et Iul. v. 51:

Te suis tremulus parens
Invocat, tibi virgines
Zonula solvunt sinus:
Te te, Hymen, cupida novus
Captat aure maritus.

Similia Virgil. Eclog. VIII. v. 29. Tibullus III. Eleg. 4. v. 31. etc.

(64) *Coniuge amissâ dolet*. Ob amissam suam sponsam, cui modo nupserat, vehementer moeret,

Quid esset actum (65) postquam populo (66) innotuit,
Omnes favorem comprobarunt Coelitum (67).

FA-

ret, gravi cura et dolore est affectus. Horatius I. Epist. 14. v. 7. *Rapto de fratre dolentis Insolabiliter.* *Coniux* autem est etiam sponsa tantummodo, et virgo, nova nupta; quo sensu Virgilius Eclog. cit. v. 17. scripsit:

Coniugis *indigno Nisae deceptus amore.*

VII. Aen. v. 189.

. . . *Quem capta cupidine* coniux,
Aurea percussum virga, versumque venenis
Fecit avem Circe.

Et IX. v. 138. *Coniuge praerepta*: Lavinia nempe sponsa.

(65) *Quid esset actum*. Ut res ordine facta fuerit. Auctor in vulg. IV. fab. 24. vel lib. II. Epitom. fab. 26. v. 31.

Ut est vulgatus ordo narratae rei.

(66) *Populo*. Namque Urbs erat posita in proximo.

(67) *Omnes favorem comprobarunt Coelitum*. Omnes affirmarunt declararunt nuptias Pauperis cum Virgine esse ratas, legitimas, iustas. Scilicet probarunt quod Coelites fecerant; ratum habendum dixerunt quod Dii singulari favore operati fuerant. Quae enim nuptiae magis ratae, quam illae quas ipsi Dii voluntate, auspiciis, et factis apertissimis firmant? Persuasum enim erat eis omne id quod factum fuerat ex peculiari Deorum providentia, et consilio factum, ex Veneris misericordia, quod iam Auctor v. 16. praemisit, dispositum. Sic in vulg. de quadam alia mira re lib. IV. fab. 24. v. 22.

Omnes dixerunt Numinum praesentiam
Vati dedisse vitam mercedis loco.

(*) In

FABULA XVI.

Aesopus, et Domina (*).

Aesopus turpi (1) quum serviret feminae,
Quae se expingendo (2) totum intricabat diem (3):
Ve-

(*) In Fabulae Promythium haberi forte potest:
Periculosum semper est mendacium,
Tamen quandoque nocet etiam sinceritas.
Hoc sensu Auctor in vulg. lib. IV. fab. 12. v. 3.
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.
Tum lib. V. fab. 4. v. 8.
Periculosum semper *vitavi lucrum.*
Sed Perottus scripsit: *Quam noceat saepe verum dicere.* Tum Auctor v. 14. *Verum si non dixerint.* Et v. 16. *Verum quia dixi.* Unde forte in Promythio revera fuit quid *verum dicere.* Quod si fuit, tum tenerem:
Periculosum semper est mendacium,
Sed etiam verum dicere interdum nocet.
In fabellâ quidem non agitur de mendacio, sed de *vero.* Attamen nemo nescit, ea sibi invicem referri, quin quum de veritate quid invidiosum dicatur, et mores etiam his regendi sint, non corrumpendi, opus est ut honestus quidam modus sententiae aptetur. Quod ipsum sane fecit Auctor Noster lib. IV. fab. 12. v. 1. etc.

(1) *Turpi.* Deformi, foeda ac turpi facie. Sic Noster in vulg. III. fab. 8. vel II. Epit. fab. 11. v. 2.
Habebat quidam filiam turpissimam.
Et III. fab. 4. seu II. Epit. 7. v. 7.
Et turpi *facie multos cognovi optimos.*

(2) *Se expingendo.* Faciem fuco, pigmentis illinendo, coloribus pingendo, ut turpitudinem quodammodo occuleret. Verbum autem latinum et rectum est, ut in Lection. nostris data opera observavimus. Martialis quidem lib. VII. Epigr. 82.
Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci,
Expingitque *genas altera barba subit.*

(3) *Totum intricabat diem.* Integrum, solidum diem istis ineptiis consumebat, impendebat. *Intricare* est *tricis* impedire et involvere. *Tricae* autem saepe res nihili dicuntur. V. Plautum Rud. V. 1. v. 3. Et Martialem lib. XIV. Epigr. I. Vide quoque Lect. nostras, in quibus non pauca de hoc verbo diximus.

(4) Ve-

Vestem (4), uniones (5), aurum, argentum (6),
sumeret (7),
Nec inveniret digito qui se tangeret (8).

5 Li-

(4) *Vestem*. Multam vestem, supellectilem copiosam, ut ornatior, et spectatior esset. Ita Noster in vulg. lib. IV. fab. 4. v. 21,

Seponit Moechae vestem, *mundum muliebrem*.

Et v. 35.

Vestem, *uniones*, *pedisequos*, *et cetera*

Illi adsignate vitam quae luxu trahit.

V. etiam supra Fab. IX. v. 5. In Codice *vestes*. Sed hac de re in Lectionibus nostris diximus.

(5) *Uniones*. Margaritas, lapides pretiosos summi impendii. Plinius lib. IX. c. 35. *Dos omnis* unionum *in candore*, *magnitudine*, *orbe*, *pondere*, *haud promtis rebus*, *in tantum ut nulli duo reperiantur indiscreti*, *unde nomen* unionum *Romanae scilicet imposuere deliciae*.

(6) *Aurum*, *argentum*. Scilicet fabrefactum, elaboratum, ut ornatui et luxui inserviret. Terentius Heaut. V. 1. v. 20.

Continuo iniecisse verba tibi Dromonem : *Scilicet*

Sponsae vestem, aurum, *atque ancillas opus esse*, *argentum ut dares*.

Sic IV. 7. v. 14. Et Sc. 4. v. 29. Tum Virgilius Aen. I. v. 644.

Ingens argentum *mensis*, *coelataque* in auro

Fortia facta patrum, *series longissima rerum*.

Ut Iuvenalis Satyr. I. v. 74. Satyr. VII. v. 133. Satyr. XIV. v. 63. etc.

(7) *Sumeret*. Consumeret, ut ego interpretor, insumeret, quo se nitidius exornaret, et elegantius instrueret. Non quod ea usu, et labore attereret, et conficeret : Sed quod alia super alia in dies emens et aggerans, ut ingenio et luxui inserviret, plura certe haberet sibi extra usum iam et plane inutilia, tum generatim plurimam pecuniam in his rebus perderet, et absumeret. *Sumo* autem eleganter pro *consumo* usurpatur. Plautus in Milit. Glor. III. 1. v. 77.

Pl. *At tibi tanto* sumtui *esse mihi molestum est*. Pe. *Morus es*.

Nam in mala uxore atque inimico, *si quid* sumas, *sumtus est*;

In bono hospite atque amico quaestus est quod sumitur,

Et quod in divinis rebus sumas, *sapienti lucro est*.

Ita Mostell. III. 1. v. 53. Terentius Adelph. V. 3. v. 68. ubi vid. Donatum. *Sumo* quidem est etiam emo, comparo, ut palam est ex Cicerone VIII. ad Famil. Epist. 23. ex Horatio II. Satyr. 4. v. 106. atque aliis : Et in Nostro haud absurde quis verbum ad hanc sententiam usurparet, quod nos in Lect. nostris putabamus. Attamen melius perspectâ re Auctorem ad superiorem sententiam interpretandum arbitramur.

(8) *Digito qui se tangeret*. Ex vetere adagio, quod et apud nos modo obtinet. Refert Gilbertus Cagnatus Centur. II. n. 62.

si

Licetne paucis, inquit (9)? Dicas (10): Censeo,
Quidvis efficies (11), cultum si deposueris (12).
Adeone per me (13) videor tibi meliuscula (14)?
Imo, nisi dederis (15), sponda cessabit tua (16):
At

Se spectat ad mulierem; nec ambiguitas ulla apparet.

(9) *Licetne paucis, inquit?* Nempe Aesopus ad Dominam. Urbane, et ut servum decet praefatur veniam, ut eam alloquatur. Ita filius apud Terentium Andr. V. 3. v. 22 *Pater, liceetne pauca? Paucis* autem pro paucis *verbis* vulgata ellipsis. Vid. Terentium Andr. I. 1. v. 2. III. 3. v. 4. etc.

(10) *Dicas*. Verbum Dominae. Veniam et facultatem loquendi tribuit.

(11) *Censeo, quidvis efficies*. Aesopus loquitur: Ut ego quidem censeo, ut mea fert opinio, tu omni tuo voto frueris, optatis tuis potieris, quosvis ad te pellicies et pertrahes.

(12) *Cultum si deposueris*. Si istum cultum tuum abieceris, si tam multam vestem, tantum aurum, argentum exueris. *Cultum*, ait Tertullianus de habit. Mulier. c. 24., *dicimus, quem mundum muliebrem vocant; ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro, et argento, et gemmis, et vestibus deputatur; iste in cura capilli, et cutis, et aliarum partium corporis, quae oculos trahunt*. Et quamvis istud discrimen haud perpetuo a Scriptoribus servatum fuerit, ut ornatus, cultusque saepe indiscriminatim sumerentur, ut ex Livio lib. XXXIV. c. 7. Ovidio II. Fast. v. 318. Plinio seniore XXXIII. c. 1. Plinio Caecil. in Panegyr. c. 83. patet: Attamen saepius servatum est, et certum videtur Nostrum illud potissimum spectasse, quod *cultum* proprie Tertullianus appellat. Quin idem et in vulg. fecit IV. fab. 4. v. 41.

Deformis cultum *vendet ut vinum paret*.

(13) *Per me*. Ut ut ego sum, ait Domina ad Aesopum, sine pretiosa veste, absque auro, argento, et fuco. Ad rem Perronius in Fragm. p. 668. Edit. Burm.

Guttura nunc aliae magnis monilibus ornent,
Aut gemmas aptent capiti, tu sola placere
Vel spoliata potes.

Nempe per se, sine cultu et ornatu.

(14) *Meliuscula*. Pulchrior, venustior, placeo magis. Seneca l. de Benef. c. 3. *Gratias esse aetate minores, quam Horas, sed* meliuscula *facie*.

(15) *Imo nisi dederis*. Aesopus sermonem resumit, et ait: Imo nisi tu, Domina, iis, quos amas, et procos optas cultum hunc tuum donaveris; nisi quod in cultum ornatumque tuum nequicquam impendis et sumis, tu amatoribus largiaris. Ad rem Martialis VII. Epigr. 74.

Vis (amari) *gratis, quum sis deformis et anus;*
Res perridicula est, vis dare, nec dare vis.

Scilicet *vis dare* te, quae turpis et foeda res es, et non *vis dare* pretium illi, qui te fert.

(16) Spon-

At non cessabunt latera (17) respondit (18) tua,
Et obiurgari (19) iussit servum garrulum (20).
Paullo post armillam (21) tollunt (22) argenteam:
Eam

(16) *Sponda cessabit tua*. Torus tuus genialis vacabit, inanis semper viduusque manebit. *Sponda* proprie est pars lecti exterior: Unde illud Horatii Epod. III. v. 23.

Extrema et in sponda *cubet*.

Sed saepe eleganter pro toto lecto usurpatur. Ita Virgilius I. Aen. v. 701.

Cum venit aulaeis iam se Regina superbis,
Aurea composuit sponda, *mediamque locavit*.

Cesso autem est *vaco*, otior, nihil ago. Cicero III. de nat. Deor. c. paenult. *Cur tam multos Deos nihil agere, et* cessare *patitur*. Lucanus IV. Phars. v. 24.

Prima dies belli cessavit *marte cruento*.

Martialis XII. Epigr. 1.

Retia dum cessant, *latratoresque molossi*.

In Cod. *Cessavit*. Sed sententia *cessabit* postulat, quod etiam *to dederis*, et *cessabunt* indicant. Nemo autem nescit quam facile *b* in *v* saepius transierit.

(17) *Non cessabunt latera*. Nempe a verberibus. Latera tua flagris probe exercebuntur. *Latera* autem servis plerumque plectebantur. Vid. Plautum Asinar. II. 4. v. 13. Bacch. IV. 6. v. 1. Mil. Gl. II. 2. v. 2. etc.

(18) *Respondit*. Scilicet Aesopo Domina irata ob gravissimam iniuriam. Nam aperte eam turpem, deformem, foedam, et quidem in faciem, dixerat, quae maxima mulieri est contumelia. Qua de re scita est ex vulgatis Auctoris nostri fabella, hîc lib. II. n. 11. allata.

(19) *Obiurgari*. Nempe flagris, flagello plecti, verberari: Quod ex superiori et postremo versiculo omnino certum. *Obiurgare* proprie est in *iure* aliquem persequi. *Ex quo licet videre*, scribit Varro VI. de L.L.p. 80. iurgare *ab* iure *dictum, quum quis iure litigaret, a quo* obiurgat *is, qui id facit iniuste*. Tum est arguere, reprehendere, verbis aliquem insectari. Tandem poenâ corporis plectere et punire. Petronius Satur. c. 34. *Colaphisque* obiurgare *puerum*. Persius Satyr. V. v. 169. *Solea, puer*, obiurgabere *rubra*. Svetonius in Calig. c. 20. *Ferulis* obiurgari. Et in Othon. c. 2. *Flagris*.

(20) *Garrulum*. Loquacem, qui inopportune, et inepte loqueretur. Id ex persona Mulieris, et propterea recte.

(21) *Armillam*. *Armillas* vocabant Veteres brachialia quaedam ornamenta, seu circulos et annulos pretiosos, quibus brachia exornabant. Erant potissimum feminarum. Plinius lib. XII. c. 19. *Contra revehunt vitrea et ahena, vestes, fibulasque cum* armillis, *ac monilibus*. *Ergo negotiatio illa* feminarum *maxime fide constat*. Et lib. XXXIII. c. 3. *Habeant aurum feminae in* armillis, *digitisque totis, collo, auribus, spiris*. Ulpianus Dig. XXXIV. Tit. II. Leg. 26. §. 10. *Ornamenta muliebria sunt quibus mulier ornatur, veluti inaures*, ar-

Eam (23) non apparere (24) ut dictum est mulieri,
Furore plena (25) vocat omnes ad verbera (26),
Proponit gravia (27) verum si non dixerint (28).
15 Aliis

armillae, *viriolae*, *annuli*. Dixi *potissimum*: Nam et mares gestarunt, ut ex Livio lib. X. c. 44. Quadrigario apud Gellium IX. Noct. c. 13. Plinio iterum lib. XXXIII. c. 2. Petronio Satur. c. 67. Svetonio in Calig. c. 52. Festo in voc., atque aliis constat.

(22) *Tollunt*. Auferunt, surripiunt, furantur. Quidam nempe, personae incertae. Absolute: ut aiunt, ferunt. Scriptores veteres non raro verba in tertiâ personâ plurali ad hanc sententiam adhibebant. Sic Ovidius I. Met. v. 137. *Vela dabant ventis*. V. Fast. v. 423.

Annus erat brevior, nec adhuc pia februa norant.

Epist. Her. XIV. v. 42.

Quaeque tibi dederant vina, soporis erant.

Et tandem II. Amor. XIV. v. 20.

Colchida respersam puerorum sanguine culpant,

Atque sua caesum matre queruntur Ityn.

Tollo autem ad hanc sententiam recte sumitur, quemadmodum ex Auctore Flegiae de Nuce v. 139. et seq. atque aliis notum est. In Codice est *tollit*. Sed hac de re plura in Lection. nostris.

(23) *Eam*. Armillam. In Cod. *quam*. V. Lect. nostras.

(24) *Non apparere*. Non inveniri, non adesse. Ad rem Plautus in Amph. II. 2. v. 160. Sosia, *Hic patera nulla in cistula est*. Amph. *Quid ego audio?* Sos. *Id quod verum est*. Amph. *At cum cruciatu nisi apparet tuo*. Alcm. *Haec quidem apparet*.

(25) *Furore plena*. Mulier nempe, Domina ob surreptam armillam, quae dubio procul carissima erat. In Codice F . . . *re plena*.

(26) *Vocat omnes ad verbera*. Puta servos, ancillas, familiam, ut per tormenta faterentur furtum, ut deregeretur fur. *Vocare* autem *ad verbera* non est reipsa verberare, et plectere, sed intentare verbera, minari flagra, instantia esse et imminentia verbera significare. Cicero I. Catil. c. 5. *Templa Deorum immortalium, tecta Urbis, vitam omnium Civium, Italiam denique totam ad exitium et vastitatem* vocas. Sic et ad Attic. III. Ep. 7. Virgilius XI. Aen. v. 96. etc.

(27) *Proponit gravia*. Familiae scilicet convocatae minatur se graves poenas ex illis sumturam; proponit flagra, puta, pistrinum, crucem. Cicero pro Planc. c. 41. *Cui quum omnes metus, publicatio bonorum, exsilium, mors* proponeretur. II. de Finib. c. 7. *Improbis poenas* proponere. Ita II. ad Attic. Epist. 19. etc.

(28) *Verum si non dixerint*. Scilicet quomodo armilla perierit, et surrepta fuerit, quis eam tetigerit, quis alium surripientem viderit, et cetera huiusmodi.

(29) *Aliis*

Aliis minare, inquit (29), me non fallis quidem (30):
Flagris sum caesus (31), verum quia dixi (32), modo.

FABULA XVII.

Gallus lecticâ a Felibus vectus, et Vulpes (*).

Feles habebat Gallus lecticarios (1):

Hunc

(29) *Aliis minare, inquit*. Aesopus nempe ad Dominam dixit: Has minas tuas aliis serva, alios istis minis terre.

(30) *Me non fallis quidem*. Istae minae apud me non valent, ut veritatem dicam. Numquam fiet, ut ex timore tantum verberum, manifestando tibi veritatem flagris vere caedar, et sic propterea tu me fallas. In Codice loco *quidem* est *certe*. Sed de hac immutatione diximus in Lect. nostris.

(31) *Flagris sum caesus modo*. Legimus quidem supra v. 10.

Et obiurgari iussit servum garrulum.

Modo autem recte respondet τῷ *paullo post*: Nam notat aliquid nuperrime, et paullo ante factum. Cicero VI. Verr. c. 3. *Nuper homines nobiles eiusmodi, et quid dico nuper? Immo vero modo, ac plane paulio ante vidimus qui forum ac basilicas ornarent. Flagrum* est lorum, scutica, flagellum, a *flagro* dictum, quod carnes veluti exurat, et qui eo caesi sunt sensum veluti impositi ignis patiantur. Livius lib. XXVIII. c. 11. *Caesaque* flagro *est Vestalis*.

(32) *Verum quia dixi*. Nulla alia de caussa quam quod veritatem dixi. Quare ergo iterum verum dicam? Ut iterum flagris caedar? Hoc pacto haud expedit verum dicere. Nam quid mihi gravius fiat ni dixero? Caedar flagris? Atqui et verum dicens eadem poenâ vel fortasse maiori plector, ut modo factum est.

(*) Hoc Promythium Fabellae praeponerem:

Agere in exitium nimia solet securitas.

Nam Perottus: *Nimiam securitatem saepe in periculum homines ducere*: *Periculum* sane genuinum non duxi, nam in fabellâ haud de periculo, sed de exitio et pernicie agitur. At *securitas* dubio procul est rectum. Quintilianus lib. II. cap. 2. *Sit Praeceptor in laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus, quia res altera taedium laboris, altera* securitatem *parit*. Et Noster in vulg. lib. I. fab. 9. v. 9.

Tu qui securus nostra irridebas mala.

Vid. etiam lib. IV. fab. 12. v. 3.

(1) *Lecticarios*. *Lecticarii* dicebantur qui lecticam gestabant.

Le-

Hunc gloriose (2) Vulpes ut vidit vehi ,
Sic est locuta (3): moneo, praecaveas dolum (4):
Istorum (5) vultus (6) namque si consideras ,
Prae-

Lectica autem genus sellae fuit cum pulvinari et lectulo unde nomen sumsit, qua ditiores vel cubantes vel iacentes servorum aut lecticariorum humeris per Urbem gestabantur. Lecticatum magnus usus apud Romanos, ut Lecticarii corpus facerent, quemadmodum ceteri artifices, et castra sua in Urbe haberent, ut P. Victor in XIV. Urbis regione notat. In Codice est *lecticarius*, manifesto mendo. Sed quare nos *lecticarios* non *lecticarias* scripserimus abunde in Lection. nostris diximus.

(2) *Gloriose*. Cum gloria, ostentatione, iactatione. Proprie. Nam Gallus natura gloriosum et tumens animal est. Plautus autem in Persa II. 5. v. 6. *Subnixis alis me inferam, atque amicibor* gloriose. Cicero II. ad Famil. Epist. 12. Gloriose *triumphare*. Sed de gloria hoc sensu diximus etiam Fab. II. v. 6. In Codice *gloriosa*, alio manifesto mendo. Vid. Lect. nostras.

(3) *Sic est locuta*. Nempe ad Gallum, qui a Felibus vehebatur.

(4) *Moneo, praecaveas dolum*. Moneo te, ut caveas periculum, et exitium, quod tibi securo, et imprudenti imminet, antequam misere opprimaris. *Praecavere* est cavere, providere opportune, mature, antequam malum, quod timetur accidat, et quidem ne accidat, noceatque. Ita Terentius Andr. III. 5. v. 18.

Pa. *Namque hocce tempus* praecavere *mihi me, haud te ulcisci sinit*.

Ita Plautus Menechm. V. 2. v. 107. etc. *Dolus* autem hic non est astutia, fallacia, perinde ac Feles dolose in Gallum conspirassent. Id enim sententia et ordo Fabellae, ut puto, omnino reiiciunt. Sed est malum quoddam latens, quod veluti *dolo* noceat, periculum, quod specie fallat, et ideo *dolosum* dici possit. Quo sensu Virgilius V. Aen. v. 588. dixit:

Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum caecis iter, ancipitemque
Mille viis habuisse dolum.

Horatius II. Od. 1. v. 6.

Periculosae plenum opus aleae
Tractas, et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Et Persius in Prolog. Satyr. v. 12.

Quod si dolosi *spes refulserit nummi*.

Nam quum secure Gallus se Felibus commisisset, nec eorum ingenium antea expertus esset; Vulpes monet, ut videat in quorum manibus sit, ferae nempe Societatis, quae etsi tum forte cum fide serviret, statim ad atrox et truculentum ingenium reverti posset, et eum discerpere.

(5) *Istorum*. Nempe Felium. *Feles* vulgo feminini generis dicuntur, unde quis emendasset *Istarum*. Nos tamen retinere maluimus Codicis lectionem.

Qui-

5 Praedam portare iudices non sarcinam (7):
Postquam esurire coepit Societas fera (8),
Discerpsit Dominum (9), et fecit partes facinoris (10).

FA-

Quibus autem id rationibus fecerimus in Lection. nostris diximus.

(6) *Vultus*. Feros nempe, truces, feri et trucis animi indices. *Vultus* hîc non facies, aspectus simpliciter est, sed facies et aspectus ex quibus natura, ingenium, indoles noscitur, et colligitur, quod vere *vultus* significat. Cicero in Pison. cap. 1. *Oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit*. Idem sane Cicero I. de Leg. cap. 9. negat esse *vultus* in animantibus brutis, et recte quidem, si de singulis loquitur. Nam verum est non esse brutum animal, quod vultu suo laetitiam, dolorem, odium, iram, prudentiam, industriam, et similia exprimere, ut homo, possit. Sed si de omnium specierum invicem vultibus loqueretur, sententiam suam probare non possem. Nam etsi quis bovis, asini, canis, et vulpis indolem non nosset, ex eorum vultibus nullo negotio et certissimo argumento colligeret. *Vultus* porro de brutis recte hîc usurpatur, ut praeter ceteros apud Virgilium VII. Aen. v. 19. Et Nostrum in vulg. I. fab. 13. v. 6.

(7) *Praedam portare iudices non sarcinam*. Tu existimabis, indicabis, senties lecticarios istos non portare te ut onus et sarcinam, quam conducti vehant, sed ut praedam, ut cibum, quem discerpant et devorent, ubi est lubitum. *Sarcina* hîc generatim est onus, pondus: quo sensu etiam usurparunt Propertius IV. Eleg. 3. v. 45. Ovidius Epist. Heroid. III. v. 68. I. Trist. 3. v. 84. etc.

(8) *Societas fera*. Feles nempe lecticarii, qui plures erant, quatuor puta, sex. Societas autem vel inter duos habetur. Cicero II. Philipp. c. 10. *Utinam Cn. Pompeii cum C. Caesare societatem aut numquam coisses, aut numquam diremisses*. Recte autem *fera*. Nam Feles ferum et saevum brutorum genus sunt. In Codice *fera societas*, quod metrum corrumpit.

(9) *Discerpsit dominum*. Gallum nempe, qui eorum erat dominus, quia illi serviebant. Apud Romanos non appellabantur *domini* tantummodo ratione mancipiorum, et servorum; sed aliis, aliisque de caussis et rationibus. Martialis V. Epigr. 88.

Quum voco te dominum noli tibi, Cinna, placere,
Saepe etiam servum sic resaluto meum.

(10) *Et fecit partes facinoris*. Et in partes divisit, unicuique ex societate partem necati Galli tribuit. Cicero II. de Orat. c. 366. *Primum quis Antonio permisit*, inquit, *ut et* partes faceret, *et utram vellet, prior ipse sumeret*. Et Noster in vulg. I. fab. 5. v. 3.

Hi

FABULA XVIII.

Scrofa parturiens, et Lupus (*).

Premente partu (1) Scrofa quum gemeret iacens,
Accurrit Lupus (2), et obstetricis partibus (3),
Se

Hi quum cepissent cervum vasti corporis,
Sic est locutus partibus factis *Leo*.
Facinoris autem ex stilo Phaedri, ut saepius est observatum, perinde ac scripsisset iniustae praedae, Galli per facinus et scelus occisi.

(*) Huic Fabellae non incommode forte hoc Promythium praeponeretur:
Malâ qui fraude innotuit frustra suis
Officiis nititur, et blanditiis fallere.
Vid. Nostrum in vulg. lib. I. fab. 10. v. 1. Et fab. 19. v. 1. Romulus Nilantii fab. 21. scribit: *Docet subsequens fabula, quod nullus debet inimicos suos credere, quamvis blanda verba locuti fuerint*. Perottus vero: *Faciendum prius de homine periculum, quam eius te committas fidei*. Equidem videre non valeo, quae ex istis verbis Phaedriana dici possint. Attamen si isti sententiae propius haerendum esset in Epimythium scriberem:
Sit notus ille cuius in fidem venis,
Ne perfido des poenas imprudentiae.

(1) *Premente partu*. Instante, imminente, et ideo ob dolores torquente, urgente, unde altos gemitus ederet. Non abs re Noster in vulg. l. fab. 18. v. 2.
Instante partu *mulier actis mensibus*,
Humi iacebat *flebiles* gemitus *ciens*.
Premo autem hîc eleganter. Sallustius B. Iugurth. c. 117. *Omnes has, quae me premunt, aerumnas cum anima simul amisisti*. Cicero IX. ad Famil. Ep. 1. *Videor sperare debere si te viderim, et ea quae* premant, *et ea quae impendeant facile transiturum*. In Codice *Tremente* manifesto mendo. Vid. Lect. nostras.

(2) *Accurrit Lupus*. Iis gemitibus excitatus, et veluti admonitus. Proprie. Nam *accurrere* est currere ad aliquem, ut ex periculo liberetur, ex labore levetur, vel saltem sub tali specie. Silius Italic. XIV. Pun. v. 404. *Dumque ad opem* accurrit. Ita Terentius Andr. I. 1. v. 104. Heaut. I. 1. v. 70. etc.

(3) *Obstetricis partibus*. Munere, officio. Eleganter. Cicero pro Quint. c. 2. *Hortensius qui hoc iudicio* partes *accusatoris obtinet*. Et XI. Ep. 5. *Tuum est hoc munus, tuae* partes. V. et. III. Famil. Epist. 10.

(4) *Pos-*

Se posse fungi (4) dixit, promittens opem (5):
Quae (6) vero quum (7) nosset pecoris fraudem improbi (8),
Suspectum officium (9) repudiavit (10) malefici (11):
Et satis est (12), inquit, si recedas longius:
Quod (13) si perfidiae (14) se commisisset Lupi,
Pari

(4) *Posse fungi*. Quod scilicet eam artem nosset, in ea arte probe versatus esset.

(5) *Promittens opem*. Scrofae nempe. Quum dixisset se optime callere obstetricis officium, quod par erat, subiunxit, se paratum esse ad praestandam ei operam suam hac occasione.

(6) *Quae*. Scrofa.

(7) *Quum*. Haec vocula deest in Codice. Sed requiritur ad sententiam, et metrum, ut iam diximus in Lect. nostris. Numerosior forte versiculus fieret, si *quum* post *pecoris* construeretur, quae inversio defendi posset exemplo ipsius Phaedri, qui in vulg. III. fab. 13. v. 4 *Nosset* quum: Et lib. V. fab. 4. v. 2. *Immolasset* quum: scripsit. Attamen a priore lectione ideo non recederem.

(8) *Pecoris fraudem improbi*. Nempe Lupi. Eleganter. Nam de odiosis capitibus haud proprio nomine loquimur, sed alio et invidioso. *Pecus* autem Latinis omne animal est, homine excepto. Ita Virgil. IV. Georg. v. 168. *Fucos pecus* dixit. Horatius I. Ode 2. v. 7. *Phocas*. Ovidius in Ibin v. 459. *Leonem*. Gratius in Cyneget. v. 265. *Canes*. Illud autem *fraudem* indolem fraudulentam, naturam maleficam lupi significat, quod fraude doloque is ad eam accesserat. Noverat nempe Scrofa quam fraudulentum et improbum animal esset lupus, et perspexerat fraudulenter eum secum agere.

(9) *Suspectum officium*. Officium in quo fraudem, dolum suspicabatur, sub quo latere exitium, damnum coniiciebat. Cicero III. Tusc. c. 1. *Medicina animi pluribus suspecta et invisa*. Sic de Offic. II. c. 9. etc.

(10) *Repudiavit*. Reiecit, recusavit. Recte et latine. Sic Plautus Trinum. II. 3. v. 11. Repudiare *officium*. Rud. III. 6. v. 47. Repudiare *hospitium*. Cicero pro Quint. c. 14. Repudiare *conditionem*. Et Noster in vulg. I. fab. 20. v. 5. Ipsum *repudiare officium*.

(11) *Malefici*. Lupi, quem superius *pecus improbum* dixerat. Recte autem *malefici*, utpote natura mali, atque ad mala inferenda facti. Cicero V. Tusc. c. 20. *Homo naturâ maleficus et iniustus*. Noster in vulg. II. fab. 8. v. 2. *Consiliator maleficus*.

(12) *Satis est*. Supple *mihi*. Tantum officium abs te non contendo, non peto ut obstetricis munere mihi fungaris, sed plane sat est, si a me recedas, et abeas longius.

(13) *Quod*. Quoniam, namque. Rationem explicat, quare Scrofa lupi officium repudiasset.

(14) *Perfidiae lupi*. Ex Auctoris stilo pro *lupo perfido*. Sic
in

Pari dolore (15) fata deflesset sua (16).

FABULA XIX.

Servus profugus, et Aesopus.

Servus profugiens (1) dominum naturae asperae (2),
Aesopo occurrit notus (3) e vicinia (4).
Quid tu confusus (5)? Dicam tibi clarè, Pater (6);
Hoc

in vulg. l. fab. 13. v. 12., ut alibi etiam diximus, *Corvi stupor* est pro *Corvus stupidus*.

(15) *Pari dolore*. Eodem dolore, quo tum angebatur et torquebatur parturiens, aequali cruciatu ac tum in partu premebatur.

(16) *Fata deflesset sua*. Calamitatem et aerumnam suam. Nam Lupus statim natos foetus devorasset, et ipsam etiam in partu, quum defecta viribus iaceret, necasset. *Fatum* saepe calamitas, exitium, casus. Cicero II. Catil. c. 5. *Quibus ego confido impendere fatum aliquod, et poenas iamdiu improbitatis debitas instare*. Caesar B. Gall. I. c. 39. *Suum fatum quaeri, et commune periculum miserari*. Et plane Noster in vulg. I. fab. 9. v. 10.

Simili querela fata deploras tua.

(1) *Profugiens*. Proprie de servis fugitivis. Cicero de Senect. c. 14. *Libenter vero isthinc tamquam a domino agresti et furioso profugi*. Ita Plautus Captiv. Prolog. v. 9. et 17. Curtius lib. X. cap. 2. etc.

(2) *Naturae asperae*. Indolis saevae, ingenii asperi et difficilis: saevum nempe, trucem. *Natura* hoc sensu eleganter sumitur. Plautus Trinum. III. 3. v. 85. *Quid illum putas natura illa atque ingenio? Iamdudum ebrius est*. Nepos in Attic. cap. V. *Habebat avunculum Atticus ... difficillimâ naturâ*. Ita Propertius II. Eleg. 16. v. 27. etc.

(3) *Notus*. Qui ei erat notus, quem Aesopus noverat.

(4) *E vicinia*. Quod esset e vicinia, quod essent propinqui domo. *Vicinia* autem est vicorum coniunctio, ut ait Cornel. Fronto de Different. verbor. Unde Plautus Bacch. II. 2. v. 25. *Proximae viciniae habitat*. Horatius II. Satyr. 5. v. 107. *Egregie factum laudet vicinia*.

(5) *Quid tu confusus*? Verba Aesopi ad Servum. Quid tu ita turbatus, qua de caussa sic perturbatus? Ille scilicet *ore confuso magnae perturbationis notas praeseferebat*, ut Curtii verbis utar lib. VI. c. 7. *Confusus* autem absolute recte sumitur ad hanc sententiam. Livius lib. XXX. c. 15. *Masinissa ex Praetorio in tabernaculum suum confusus concessit*. Petronius Satur. c. 101.

Hoc namque es dignus appellari nomine (7);
Tuto querela quia apud te deponitur (8).
Plagae supersunt (9), desunt numquam verbera (10),
Su-

c. 101. Confusus *et consilio egens*. Vid. et Ovidium III. Trist. 5. v. 11. Valer. Flaccum I. Arg. v. 69. etc.

(6) *Dicam tibi clarê, Pater*. Verba Servi ad Aesopum. O Pater mi, aperiam tibi clarê caussam perturbationis et confusionis meae. Aesopus hic dicitur *Pater*; et quod Senex, et quod paterna charitate Servum prosequeretur. *Patres* non vocantur ii tantummodo, qui gignunt liberos, sed qui aetate, auctoritate, consilio, prudentia praestant. Hoc sensu Virgilius Aen. IX. v. 449. scripsit: Pater *Romanus*. Horatius I. Satyr. 3. v. 126. Pater *Chrysippus*. I. Epist. 19. v. 7. *Ennius* pater. Ovidius III. ex Pont. 13. v. 25. *Augustus* pater. Apud Plautum Rud. I. 2. v. 15. Adolescens senem salutat: *Pater salveto*. *Clarê* autem est simpliciter, aperte, absque dissimulatione, ut se res habet. Terentius Andr. IV. 5. v. 15. Dav. *Unde est dic clarê*. Mys. *A nobis*. Ita Martialis VII. Epigr. 91. v. 5. etc.

(7) *Appellari nomine*. Patris nempe, etsi pater naturâ mihi non sis. In Codice *Appe . . . ri nom . . .* Sed lectio perspicua et certa est.

(8) *Tuto querela quia apud te deponitur*. Nam si apud te de saevitia domini sui, deque aliis receptis iniuriis a potente quis queritur, securus est querelas suas ad eos a te non deferri, sed tecum secreta commissa moritura. *Tuto* aliquid fieri dicitur, unde nullum damnum, nullum periculum timetur. *Deponere* autem ad hanc sententiam eleganter adhibetur. Horatius I. Od. 27. v. 17.

. . . *Quidquid habes, age,*
Depone *tutis auribus*.

Et II. Satyr. 6. v. 46.

Et quae rimosa bene deponuntur *in aure*.

In Codice:

Tuto quia apud te querela deponitur.

Sed manifesta verborum inversione, ob metrum gravissime vitiatum.

(9) *Plagae supersunt*. Plagarum abunde. Plagae mihi semper satis superque sunt, plurimis plagis caedor: nempe a Domino, qui perspicue intelligitur; tum quoad syntaxim, quum primo versiculo iniecta eius mentio sit; tum quoad sententiam, nam Aesopus et servus prope noti sibi erant. *Superesse* saepe est abundare, suppetere affatim, quo sensu puto hic verbum sumi. Ita Terentius Phorm. I. 3. v. 10.

Ph. *Aliis quia desit quod amant aegre est, tibi quia superest dolet*:
Amore abundas Antipho.

Et Cicero II. de Orat. cap. 25. *Vereor ne mihi iam superesse verba putes, quae dixeram defutura*. Quin de hac verbi significatione vide Gell. Noct. I. cap. 22. *Plagas* autem hîc accipio ictus, pulsationes, et percussiones, quae singillatim pugnis, calcibus, saxis veluti tunden-

Subinde (11) ad villam mittor servus rusticis (12):
Domi si coenat (13) totis praesto noctibus (14),
Sive

dendo fiunt, ut Aegidius Forcellinius in Lexic. observat. Quo sensu Noster in vulg. III. tab. 20. v. 11.

Ecce aliae plagae *congeruntur mortuo*.

Et Terentius Phorm. V. v. 16. Plagae *crescunt*, *nisi prospicis*. Quod *το supersunt* illustrat.

(10) *Desunt numquam verbera*. Supple *mihi*. Assidue, iugiter verberor. *Verbera* proprie, ut idem Forcellinius loc. cit. monet, sunt ictus et percussiones, quae loris, flagris, fustibus infliguntur. Unde de plagis et verberibus tamquam distinctis et diversis poenis Scriptores meminerunt. Cato apud Gellium lib. X. Noct. c. 3. *Insignitas iniurias*, plagas, verbera, *vibices*. Et Svetonius in Vitell. c. 10. *Milites non contenti epulo ubique publice praebito, quoscumque libuisset in libertatem asserebant*, verbera, *et* plagas, *saepe vulnera, nonnumquam necem repraesentantes adversantibus*. Ex Codice haec tantummodo perspicue colliguntur . . . . *b*, *r*. Quamobrem abstrusa est lectio, nec nos, quam proposuimus, ut plane genuinam praestamus. Ea tamen est, quae magis visa est vestigiis et fragmentis Codicis congruere. Vid. Lect. nostras.

(11) *Subinde*. Hic, ut puto, est identidem, interdum, saepe, per intervalla. Livius lib. X. c. 17. *Vendite ista . . . Ego subinde suggeram quae vendatis.* Martialis lib. V. Epigr. 40.

Defeci, miserere iam, Carine,
Signa rarius, aut semel fac illud,
Mentitur tua quod subinde *tussis*.

Sic Svetonius in Caligul. c. 30. et cap. 50.

(12) *Ad villam mittor servus rusticis*. Mittor ad villam a domino, ut sim tamquam servus rusticis, ut ad vilissima officia rusticis adsim, perinde ac eorum essem mancipium. *Mittor servus* est mittor tamquam servus, veluti servus. Ex Codice haec tantum clare: *Ad vi*. . . . . *m* . . . . praeter quaedam insuper vestigia, de quibus in Lect. nostris, ubi non pauca de abstrusissima hac lectione attulimus. Docti vero haec omnia expendant singillatim et excutiant.

(13) *Domi si coenat*. Dominus si coenat domi, non apud propinquos amicosve. *Domi*, est in domo sua, in suis aedibus. Plautus Stich. IV. 4. v. 19.

Solus coenabo domi.

Sic Cicero VII. Verr. c. 19. Nepos in Dion. cap. 9. Terentius Phorm. III. 2. v. 19. etc.

(14) *Totis praesto noctibus*. Maneo iugiter coram eo, permaneo assidue ad eum stans, vigilans per integras et solidas noctes ad officia, ad servitium. Quo sensu recte et prima sinceraque sua potestate *praesto* usurpatur. Ita Lucanus IV. Phars. v. 29. *Dum primae* praestant *acies*. Et propius Martialis lib. XII. Epigr. 89.

Bis Cotta soleas perdidisse se questus

Dum

Sive est vocatus (15), dego (16) ad lucem (17) in semitâ (18).

10 Eme-

Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Qui solus inopi praestat, *et facit turbam.*
Romani quum per occasum Solis coenare inciperent, saepe coenas per integras noctes producebant. Martialis XI. Epigr. 105.
Me iucunda iuvant tractae per pocula noctes.
In Codice perspicue *to* . . . . . . *sto noctibus*. Quod *totis* prima vox sit certum est, quod *praesto* secunda, auctoritate quidem Codicis non defenditur, nam plane evanuit syllaba: Sed exploratum est, eam haud breviorem fuisse tribus literis, nec longiorem. Quamobrem non legerem *asto* vel *adsto*, etsi a sententia, ut puto, recipiatur: Et Cicero IV. Catil. c. 2. Astare *in conspectu* dixerit. Et similia Virgilius III. Aen. v. 150. Seneca Hercul. Fur. v. 356. Silius XVII. Pun. v. 478. et Martialis VIII. Epigr. 56. *Persto*, quod in Lection. coniiciebamus omnino congrueret, nec sententia ut puto abhorreret: Ut docere videmur exempla, quae apud Tibullum I. Eleg. 7. v. 33. Ovidium XV. Met. v. 339. I. Fast. v. 49. III. v. 137. Plinium VIII. Hist. c. 7. occurrunt. Verum praeferendum videtur *praesto*. Nam *persto* aliud quid post se postulat, quod in versiculo non apparet. *Prae* autem tribus literis non quatuor in Codice scribitur.

(15) *Sive est vocatus*. Sive est invitatus ab aliis ad coenam, sive coenat foris, apud alios. *Vocatus* proprie. Martialis lib. III. Epigr. 27.
Numquam me revocas, venias quum saepe vocatus,
Ignosco, nullum si modo, Galle, vocas.
Invitas alios, vitium est utriusque: Quod? inquis:
Et mihi cor non est, nec tibi, Galle, pudor.
Vid. et. Plaut. Capt. I. v. 7. Nepot. in Attic. c. 14. etc. In Cod. *Sive aestu vocatus*. Sed vid. Lect. nostr.

(16) *Dego*. Maneo, moror, expecto. *Degere*, scribit Festus, *Antiqui posuerunt pro expectare.* Vulgo est vivere, vitam agere, decurrere. Sed neque ab ista potestate sententia versiculi abhorret. Eo enim pacto revera vita dici poterat agi et teri. In Codice quidem vix . . . *o* apparet, sed *maneo*, aut aliud simile non congruit, unum illud, quod nos noverimus, aptissime convenit. Vid. Lect. nostras.

(17) *Ad lucem*. Usque ad lucem, usque ad solem exorientem, et novum diem; Quod scilicet tum denique absolverentur coenae, ad quas Dominus vocabatur. Is tum erat molliorum, et luxuriosorum mos, ut ex Plauto Menech. I. 2. v. 60. Horatio III. Od. 8 v. 13. Propertio IV. Eleg. 6. v. 85. Martiali VII. Ep. 9. v. 5. aliisque constat. Tum vero Plautus ibid. V. 5. v. 29. *Perdormiscin' usque* ad lucem? Cicero de Divin. I. *Ad lucem* dormire. Sic Livius lib. III. Svetonius in Caes. c. 31. etc.

(18) *In semitâ*. *Semita* proprie

Emerui libertatem (19), canus servio (20):

Ul-

pie est via angusta, quasi *semi iter*, ut ait Varro lib. IV. L. L. c. 4. Quo sensu Virgilius XI. Aen. v. 524. Et Martialis lib. VII. Epigr. 60. etc. vocem usurparunt. Hic tamen, ut puto, generatim pro calle et tramite ponitur, qui ad domos vocantium ducerent, et in quibus per solidam noctem sub dio, pluviae, imbri, ventis, frigori obnoxius infelix homo expectare dominum a coena redeuntem debebat, ut domum reduceret. Quo sensu Propertius lib. I. Eleg. 4. v. 2.

Qua iacet Herculeis semita *littoribus*.

III. Eleg. 18. v. 51.

Coclitis abscissos testatur semita *Pontes*.

Sic IV. Eleg. 8. v. 60. Seneca Herc. Fur. v. 539. etc.

(19) *Emerui libertatem*. Iamdiu emerui, ut liber fierem, iam merui donari libertate. *Emereo* est ipsum *mereo*. Vid. Manilium lib. I. v. 792. Propert. IV. Eleg. XI. v. 61. Ovid. III. Art. v. 409. Gell. IV. cap. 7. Plaut. Aulul. IV. 10. v. 5. Attamen haud ita simpliciter verbum apud Nostrum sumi puto, nec libertatem emerui, idem plane ac libertatem merui tenerem. Ubi servus insigne et praestans aliquod officium Domino praestiterit *mereri* statim libertatem potest, sed non *emerebitur*. Nam quo *emereatur* opus est, ut iustum et constitutum servitii tempus exactum fuerit, et finis servitutis advenerit, quae quidem etsi numquam de iure tum adveniebat; adveniebat tamen saepe ex aequitate, et indulgentia Dominorum. Et hic Servus invidiose loquitur, tamquam ex stricto iure in libertatem asserendus fuisset, ob longissimum servitium, quod iam praestitisset. Is autem loquendi modus ex militia desumtus, in qua milites, qui omnia stipendia laudabiliter *meriti* fuissent, *emeriti* simpliciter appellabantur. Isidorus lib. IX. Origin. c. 3. Emeriti *dicuntur Veterani solutique militia, qui iam in usu praelii non sunt, quia* mereri *militare dicitur, a stipendiis scilicet, quae merentur iidem et Veterani dicuntur, quia iam in usu praelii non sunt, sed post multos militiae labores quietis suffragium consequuntur*. Unde Lucanus I. Phars. v. 344.

Quae sedes erit Emeritis, *quae rura dabuntur*,

Quae noster Veteranus aret.

Similia Svetonius in Calig. c. 44. Et hinc Manilio lib. I. Astr. v. 421. Emerita *navis*. Ovidio IV. Trist. 8. v. 21. Emerita *arma*. Lucano iterum lib. V. v. 7. Emeritum *ius*. Statio III. Silv. Carm. I. v. 58. Emeriti *canes*. Iuvenali Satyr. VI. v. 499. Emerita *serva*. Claudiano de Bell. Gildon. v. 115. Emerita *senecta*.

(20) *Canus servio*. Iam senex, iam cano capite, iam canis albis capillis: unde libertatem emerui. Hoc sensu dixit Tibullus I. Eleg. 9. v. 29. Canus *amator*. Ovidius IV. Fast. v. 339. Canus *Sacerdos*. Petronius Arbiter Satur. cap. 83. Canus *senex*.

Ullius essem culpae (21) mihi si conscius (22);
Aequo animo ferrem (23), numquam sum factus satur (24),
Et saevum (25) dominum patior infelix super (26)!
Has

(21) *Culpae*. Recte. Nam *culpa* quidvis est sive male commissum, sive perperam et indebite omissum et neglectum: Non modo notat quae agendo patrantur, sed etiam quae non aguntur et omittuntur. Unde apud IC. saepe *culpa* unam negligentiam et segnitiem notat, et fraudi ac dolo opponitur, ut ex Caio Dig. lib. XVII. Tit. 2. Leg. 72. Paullo lib. XLII. Tit. 5. Leg. 8. 9. Proculeio lib. XVIII. Tit. 1. Leg. 68. atque aliis patet.

(22) *Conscius*. Proprie. Ovidius II. Am. 7. v. 11.

Atque ego peccati, vellem, mihi conscius *essem*.

Sic Epist. Her. VII. v. 191. II. Metam. v. 594. etc.

(23) *Aequo animo ferrem*. Scilicet omnia ista incommoda, aerumnas, mala. Eleganter. Cicero de Senectut. c. ult. *Quem ego meum casum fortiter ferre visus sum, non quod* aequo animo ferrem, *sed me ipse consolabar*. Epist. ad Brut. 4. Aequo animo *sermonem patiaris*. Ovidius II. Am. 7. v. 12.

Aequo animo *poenam qui meruere ferunt*.

Velim autem ne quis *aequo animo* libenti animo, lubenter interpretetur, quod multi passim faciunt, et ipsemet Forcellinius. Nam id plane falsum videtur. *Libenter* enim de iis usurpamus in quae naturâ cum quadam voluptate ferimur, quae optamus et volumus, ut in se grata et iucunda: Ideoque fieri nequit, ut quis *lubenter* aliquid patiatur et ferat. Sed *aequo animo*, est animo moderato, aequabili, non perturbato, non permoto, animo qui non irate, indigne, aegre plane aliquod incommodum tolerat. Atque id quidem in aerumnis haberi potest, et habetur interdum. Non abs re Plautus Rudent. II. 3. v. 71.

Ergo animus aequus *optimum est aerumnae condimentum*.

(24) *Numquam sum factus satur*. Quamdiu huic domino servio, numquam tantum cibi mihi largitum est, ut fierem satur, ut famem explerem. Plautus Stich. I. 3. v. 2. *Postquam natus sum*, satur *numquam fui*. Terentius Hecyr. V. 2, v. 3.

Sed quum tu satura *atque ebria eris, puer ut* satur *sit facito*.

(25) *Saevum*. Naturae crudelis, qui facile saevit, et sumit poenas. Vid. Fab. XI. v. 1.

(26) *Super*. Hic est insuper, praeterea, ad haec. Quo sensu Virgilius Aen. XI. v. 226.

Ecce super *moesti magni Diomedis ab urbe,*
Legati responsa ferunt.

Ubi Servius *super* pro *insuper*. Ita Horatius II. Epist. 2. v. 31. Ovidius XII. Metam. v. 205. Noster in vulg. III. fab. 11. v. 2. etc. Totus autem versiculus sic in Cod. legitur:

Et

Has propter caussas, et quas (27) longum est
promere (28),
Abire destinavi, quo tulerint pedes (29).
Ergo, inquit, audi (30): quum mali nil feceris,
Haec experiris (31), ut refers (32), incommoda (33),
Quid si peccâris (34)? Quae te passurum (35) putas?
Tali

Et super infelix saevum patior dominum.
Sed vid. Lect. nostras.

(27) *Et quas* Et propter alias caussas quas.

(28) *Longum est promere.* Quas longi temporis, prolixi operis et laboris esset tibi aperire, clare et singillatim percensere. Proprie *promere*, nam de occultis, arcanis, et ignotis caussis agitur. Cicero I. de Orat. c.39. *Aliquid ex scientia obscuriore promere*. IX. ad Attic. Ep.10. Promere *consilia*. Sic Plautus Asinar. I. 1. v. 10. et Plinius Caecil. in Panegyr. c. 66. *Longum est* autem eleganter. Terentius Heaut. II. 3. v.94. Longum est, *si tibi narrem*. Cicero IV. Acad. Qu. c.3. Longum est *explicare*. Ita III. Verr. c.156. VI. c.135. etc. In Cod. *pro ....* tantum perspicue. Sed vid. Lect. nostras.

(29) *Quo tulerint pedes*. Scilicet nullo certo proposito et consilio quo me feram, ubi consistam, et maneam, quo me recipiam. Ex vulgaro adagio, quo et Graecos usos fuisse ex Luciano in Hermotim. c.28. patet.

(30) *Ergo, inquit, audi*. Loquitur modo Aesopus.

(31) *Experiris*. Pateris, fers, toleras. Latine. Sallust. B.Catil. c. 26. Experiri *extrema*. Livius, lib. XXIV. Experiri *ultima*. Sic Virgilius Eclog. III. v. 110. Ovidius III. Trist. Eleg. 2. v. 27. et Eleg. 12. v. 74. etc.

(32) *Ut refers*. Supple *mihi*. Narras, memoras. Ita Virgilius II. Georg. v. 118.

Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsama.

Vid. et. II. Aen. v. 547. Et Ovidium I. Art. v.681. etc.

(33) *Incommoda*. Mala, calamitates, aerumnas. Cicero de clar. Orator. c.1. *Nostro incommodo, detrimentoque doleamus*. I. Offic. c. 7. *Quum is qui nocere alteri cogitat, timet ne nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo*.

(34) *Quid si peccâris?* Quid futurum erat, si tu peccasses? Peccâris pro peccaveris, quod pro futuro etiam sumi posset, sententia non omnino abhorrente. Sed τὸ *feceris* omnino praeteritum et potestatem eius verbi determinat. *Peccare* est errare, contra legem aut officium agere: Hic est peccare in dominum, et officium. Ita Cicero III. ad Attic. Ep. 15. *Si quid in te peccavi, ac potius quoniam peccavi ignosce, in me enim ipsum peccavi vehementius*. Plautus Aulul. IV. 10. v. 62. *Si quid ego erga te imprudens peccavi, aut gnatam tuam ut mihi ignoscas*.

(35) *Passurum*. Supple *fuisse*, quo sententia constet.

(36) *Ta-*

Tali consilio (36) est a fugâ deterritus (37) (*)
FA-

(36) *Tali consilio.* Nempe Aesopi. Consilium autem hîc non vulgari sensu sumitur, ut apud Terentium Heaut. V. 1. v. 49. Nostrum in vulg. I. fab. 9 v. 1. Nam Aesopus nil agendum, vel non agendum servo perspicue proponit, in quo natura consiliorum est posita; quin de rebus praeteritis, non de futuris loquitur, quod contra eorum naturam est. Sed potius apud Nostrum *consilium* est ratio quaedam sollers, et ingeniosa, et veluti stratagema, quo aliquid obtinere volumus. Quo sensu Nepos in Eumen. cap. 3. scripsit: *Itaque hoc eius fuit prudentissimum* consilium, *ut deviis itineribus milites duceret.* In Hannib. cap. 12. *Sic Hannibal* consilio *arma Pergamenorum superavit.* Et in Themist. c. 5. *Victus ergo est* Xerxes *magis* consilio *Themistoclis, quam armis Graeciae.*

(37) *Deterritus.* Terrore avocatus, timore deductus, metu revocatus. Coelius ad Ciceron. inter Epist. Famil. huius lib. VIII. n. 6. *Nemo necessitudine et amicitia te* deterritum *ab officio dicet.*

(*) Hoc argumentum isti Fabellae praefixit Perottus: *Non esse malo addendum malum*: Unde forte in Epimythium scribi posset:

Hac admonere voluit Auctor fabulâ,
Ut qui ferri non posse suum putat malum,
Videat ne reddat detrectando acerbius.

Noster in vulg. lib. I. fab. 26. v. 2. *Fabellâ haec admonet.* Praeterea lib. I. fab. 2. v. 29.

Quia noluistis vestrum ferre,
inquit, bonum
Malum perferte.

Puto autem *detrectare* hîc non sumi improprie. Nam illud malum ex officiorum gravitate et multitudine oritur. Unde Quintilianus lib. II. cap. 7. *Detrectare officia.* Curtius lib. X. cap. 10. *Detrectare imperium.* Ovidius III. ex Pont. 7. v. 15. *Taurus detrectat aratrum.* Caesar lib. VII. Bell. Gallic. capit. 14. scripsit *Detrectare militiam.*

(1) *E qua-*

FABULA XX.

Equus quadrigalis in pistrinum venumdatus.

Equum e quadriga (1) multis palmis (2) nobilem (3) Abe-

(1) *E quadriga.* *Quadrigam* vocabant Romani currum qui a quatuor equis simul iunctis duceretur, veluti quadriiugam, quod quatuor una iugo essent iuncti et copulati. *Quadrigae et bigae, trigae et seiugae ab equarum numero et iugo dictae*: scribit Isidorus XVIII. Origin. cap. 36. Et idem sentit Fronto apud Gellium lib. XIX. Noct. c. 8. Quamobrem saepius *quadrigae quadrigarum*, est usurpatum, et Caesar sic semper omnino dicendum autumabat, ut Gellius loco cit. refert. Quod animadvertendum est, quia in Codice mendose legitur *et quadrigam*, unde quis *e quadrigis* tenere posset. Ego tamen ab Auctore fuisse putaverim *e quadriga*, quod iam in Lect. nostr. observavimus. Nam propius ad fidem Codicis accedit, et latinissimum est. Gellius loc. cit. *Quod unum ergo rarissimum videbatur, invenimus* quadrigam *numero singulari dictam in libro Satyrarum M. Varronis, qui inscriptus est: Exdemetricus.* Tum *quadrigam* non *quadrigas* usurparunt Propertius II. Eleg. 25. v. 29. III. Eleg. 7. v. 17. Gratius Phaliscus Cyneg. v. 227. Plinius VII. hist. cap. 21. Martialis VI. Epigr. 46. et alii plures Auctoris nostri aetati propiores.

(2) *Multis palmis.* Multis victoriis: qui saepe in Ludis Circensibus victor cum aequalibus evaserat. *Palma* proprie arbor, de qua Plinius lib. XIII. hist. c. 4. atque alibi, sed quum eius ramis Victores certaminum vulgo donarentur, et coronarentur, hinc *palma* pro ipsa victoria multo eleganter sumta. Ita Cicero de Clar. Orat. cap. 47. *Nec in quadrigis eum secundum numeraveris aut tertium, qui vix e carceribus exierit, quum palmam iam primus acceperit.* Ovidius VII. Metam. v. 543.

Acer equus quondam, magnaeque in pulvere famae,
Degenerat palmas, *veterumque oblitus honorum,*
Ad praesepe gemit letho moriturus inerti.

Similia IV. Fast. v. 391. II. ex Pont. XI. v. 21. etc.

(3) *Nobilem.* Clarum, illustrem. Eleganter et proprie. Haec enim est genuina potestas nominis. Fit enim a *nosco*, et plane videtur a *noscibilis* contractum. *Nobilem*, ait Festus, *Antiqui pro noto ponebant.* Unde Accius apud eumdem Scriptorem, et Nonium Cap. IV. n. 318. *Me Argo referam, nam hic sum nobilis, ne cui cognoscar noto.* Ad eam autem sententiam Horatius I. Ode 12. v. 36. Nobile *lethum*. Ode 1. v. 5.

No-

Abegit (4) quidam, et in pistrinum vendidit (5).
Productus ad bibendum (6) quum foret a molis (7),
In Circum (8) aequales (9) ire conspexit suos,
Ut

Nobilis *palma*. Ode 12. v. 25. Nobilis *equis* vel *pugnis*. Cicero pro Rosc. Amer. c. 6. *Alter plurimarum palmarum vetus ac* nobilis *gladiator*.

(4) *Abegit*. Proprie. Nam iumenta et pecora quae abducuntur, et avertuntur vi *abigi* dicuntur: unde eorum fures propria veluti voce *abigei* et *abactores* sunt nuncupati. Sic Cicero in Pison. c. 34. *Familias abripuerunt, pecus abegerunt*. Callistratus Dig. XLVII. Tit. 14. Leg. 3. *A stabulo domitum pecus* abigere. *Qui saepius* abegerunt, *licet semper unum vel alterum pecus surripuerint, tamen* abigei *sunt*.

(5) *Et in pistrinum vendidit*. Vendidit, ut pistrinum ageret, ad vertendas pistrini molas. Nam *pistrinum* instrumentum quoddam fuit, quo fruges molerentur ad conficiendum panem. Vox quidem a *pinso* est, unde fit palam antea *pistrinum* vas aut pilam lapideam dictum, qua tostae fruges tunderentur, et pinserentur, aut locus ubi hae pilae, vasaque exercebantur, sed inventis molis, instrumenta inde facta, et locus, quo haberentur ad opus absolute *pistrinum* appellata fuerunt. Syntaxis autem recta. Cicero ad Q. Fratr. I. Epist. 2. *Tradere* in pistrinum. I. de Orat. c. 46. *Compingere et detrudere* in pistrinum. Terentius Andr. I. 2. v. 28. et 3. v. 9. *Dedere* vel *dare* in pistrinum.

(6) *Productus ad bibendum*. Eductus foras, ut biberet. Proprie. Nam pistrinum in profundioribus domus aedibus, et humilioribus locis erat positum, et ibi, qui laborabant tamquam in carcere detinebantur. *Produco* autem proprie est ex occulto et abdito loco aliquid in lucem et in conspectum duco. Cicero VII. Verr. c. 120. Producuntur *e carcere et deligantur ad palum*.

(7) *A molis*. A pistrino, quod molis maxime constabat. Ideo Plautus Poen. V. 3. v. 35.

Quos ego iam detrudam ad molas.

Ovidius III. Art. 290.

Ut rudis ad scabras turpis asella molas.

Sic VI. Fast. v. 312. etc.

(8) *In Circum*. *Circus* peculiare aedificium Romae, et in Coloniis interdum erat, orbiculari quidem forma, sed oblonga, et quam ellipticam graece diceres. In eo habebantur Ludi dicti propterea *Circenses*, quos effusissime Romani amabant. Erant plures Romae Circi, sed qui absolute *Circus* dicitur, maximus est intelligendus, omnium vetustior, utpote qui, si vera Livius narrat lib. I. cap. 15. a Tarquinio Prisco designatus fuit. De Circo autem et Ludis Circensibus legi merentur potissimum Bulengerus et Panvinius.

(9) *Aequales*. Equos socios, cum quibus adversus alias quadrigas certaverat iam ante, et vicerat. *Aequales* vocat, nam aequales plane in omnibus si fieri

Ut grata Ludis (10) redderent certamina (11).
Lacrymis obortis (12): Ite felices, ait (13):
Celebrate (14) sine me cursu solemnem diem (15):
Ego quo (16) scelesta furis (17) attraxit (18) manus,
Ibi sorte tristi (19) fata deflebo mea (20) (*).

FA-

fieri poterat ad haec officia deligebantur. Quin *aequales* etiam in officio, et in victoriâ.

(10) *Ludis*. Nempe Circensibus, spectaculis magnis, solemnibus, quae tum edebantur. Hi ludi maxime ex certaminibus equorum constabant.

(11) *Certamina*. Proprie de equorum cursibus in Ludis. V. Virgilium V. Aen. v. 596. Horat. de Art. Poet. v. 84. Ovid. I. Art. v. 135. Et I. Met. v. 446. Martial. VI. Epigr. 64. etc.

(12) *Lacrymis obortis*. Flens, lacrymas fundens. Ita Virgilius III. Aen. v. 492. IV. v. 30. Ovidius Epist. her. VIII. v. 109. XV. v. 97. I. Metam. v. 350. IV. Fastor. 845. etc. Equi autem revera gloriam sentire videntur, et certare et laudari amant. Virgilius III. Georg. v. 100. de eis loquens:

. . . Ergo animos, aevumque notabis
Praecipue, hinc alias artes, prolemque parentum,
Et quis cuique dolor victo, quae gloria palmae.

(13) *Ait*. Perinde ac aequales suos coram alloqueretur. Apostrophe.

(14) *Celebrate*. Proprie. Cicero pro Arch. c. 6. Celebrare *festos dies Ludorum*. Ita Ovidius III. Fast. 656. IV. ex Pont. 9. v. 116. etc.

(15) *Solemnem diem*. Celebrem, festum, quo solemnes Ludi celebrantur. Cicero in Pison. cap. 22. *Quid dicam eos dies, qui quasi Deorum immortalium festi et* solemnes *sunt adventu meo et reditu* celebrati? Ludi autem veluti proprie solemnes dicebantur. Sic dixit Cicero III. de Legib. c. 3. VII. Verr. cap. ult. et alii plures. Et inde Ovidio V. Fast. v. 597. *Circus solemnis*.

(16) *Quo*. In pistrino.

(17) *Furis*. Ex Cod. f...s. Sed vid. Lect. nostras.

(18) *Attraxit*. Vi abduxit, violenter traxit. Cicero VII. Famil. Epist. 10. *Nihil nobis duobus est stultius, me qui te non Romam* attraham, *te qui non huc advoles*. V. Verr. 25. *Abducitur a Veneris, atque adeo* attrahitur *Lollius*. Sic Liv. lib. XXIX. c. 9. Martial. VI. Ep. 66.

(19) *Sorte tristi*. Calamitoso fato, dura necessitate. Hîc *sors* est quod cuique obtigit, quod cuique a Fatis attribuitur et adsignatur, quod tamquam ex sorte cadit. Hoc sensu Virgilius X. Aen. v. 501. Ovidius V. Trist. Eleg. 12. v. 6.

Sorte *nec ulla mea* tristior *esse potest.*

Sic II. Fast. v. 429. II. Am. 7. v. 15. V. Trist. 3. v. 28.

(20) *Fata deflebo mea*. Meam calamitatem, meam aerumnam. Vid. Fabell. XVIII. v. 8.

(*) In Epimythium Fabellae haberem:

Vi-

FABULA XXI.

Ursus esuriens.

Si quando (1) in silvis Urso desunt copiae (2);
Scopulosum ad littus (3) currit, et prendens petram (4),

Pi-

Vicem Fortunae ferre Fabella haec monet,
Malumque levius efficere patientiâ.

Perottus scripsit: *Ferendum esse aequo animo quidquid acciderit*: Sed alii viderint an haec Phaedriana sint nec ne. Noster autem in vulg. lib. V. fab. 1. v. 6.

Tacite gementes tristem Fortunae vicem.

Et Horatius I Ode 24. v. 19.

..... Levius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas.

(1) *Si quando*. Si aliquando, quum, ubi. Hoc sensu Cicero pro Rosc. Amer. c. 13. *Ut* si quando *auditum sit prodigium simile numeretur*. Livius lib.X. cap. 14. *Ut*, si quando *umquam equestri ope adiutam rempublicam meminerint*.

(2) *Desunt copiae*. Cibus deficit, non habet quo vescatur, non invenit escam in silvis. *Copiae* hâc sententia latinum et rectum. Cicero pro Deiotar. c. 5. *Exercitum suis lectis, et* copiis *sustentavit*. Caesar B. Gall. IV. c. 4. *Se eorum* copiis *aluerunt*. Sic Tacit. IV. Hist. c. 22. Sveton. in Vitell. c. 7. etc. *Desunt* autem proprie. Ovidius XIII. Metam. v. 819.

Nec tibi castaneae, me coniuge, nec tibi deerunt
Arbutei foetus.

Virgilius II. Georg. v. 200.

Non liquidi gregibus fontes, non gramina desunt.

(3) *Scopulosum ad litus*. Ad litus, quod scopulis abundet, ad oram maris scopulis interspersam. *Scopulosum* autem hîc non ad terram quae *litus* dicitur, sed ad mare et vadum, quod litus alluit, refertur.

(4) *Prendens petram*. Complectens tamquam brachiis petram, comprehendens veluti manibus scopulos. Ursi pedibus anterioribus, fere, ut homines brachiis et manibus utuntur, iisque complectuntur et comprehendunt: Quamobrem proprie Auctor verbo *prendere* usus est, cuius ea est potestas. Cicero I. Acad. Qu. c. 11. *Similem iis rebus, quae manibus* prenderentur. Virgilius II. Aen. v. 444. Prensant *fastigia* (aedium) *dextris*. Et III. v.613. Prensa *manu magna*. *Petra* autem est scopulus, unde Auctor *scopulosum* dixit litus, *petrae autem et scopuli* mariti-

mi

Pilosa crura sensim (5) demittit (6) vado (7):
Quorum (8) inter villos (9) simul (10) haeserunt
Canceres (11),
In terram arripiens (12) excutit praedam maris (13),
Escâ-

mi saepius intelliguntur. Plinius lib. XXXII. c. 6. *Laudatissima alga, quae iuxta terram in petris nascitur*. Vid. et. Festum in voce.

(5) *Sensim.* Ne turbet vadum, et ne strepitu esca fugiat. Apposite ut solertia animalis nosceretur.

(6) *Demittit.* Proprie. Nam mittit deorsum. Cicero II. Philipp. c. 18. Demittere *aliquem per tegulas*. Celsus lib. I. c. 3. Demittere *se in aquam calidam*. Similia Ovidius III. Met. v. 36. Et XV. v. 44. Et Noster in vulg. hîc lib. II. fab. 31. v. 16. In Cod. *dimittit*, quod quum vix ad opportunam sententiam adduci possit, longe potius est, lenissima emendatione legere *demittit*, quod iam pluribus in Lect. monuimus.

(7) *Vado.* Varro apud Servium ad Virgil. Aen. I. v. 115. *Si ab aqua summa*, ait, *non alte est terra dicitur* vadus. Et id tam in mare, quam in flumine et lacu: Scilicet aquae fundus, per quem *vadere* absque periculo seu transire liceat. Unde Livius lib. XXVI. c. 45. *Acer ventus adeo nudaverat vada, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret*. Ad litora autem, et potissimum scopulosa *vadi* frequentes sunt.

(8) *Quorum.* Nempe crurum.

(9) *Villos.* Proprie. Nam *villus* sunt densi et spissi pili, et Ursi revera villosi sunt. Ovidius XIII. Metam. v. 836.

Villosae *catulos in summis montibus* Ursae.

Tum Cicero II. de nat. Deor. c. 47. *Animantium aliae corio tectae sunt, aliae* villis *vestitae, aliae spinis hirsutae*.

(10) *Simul.* Simulac, statim ac. Ita Auctor in vulg. lib. II. fab. 4. v. 14. lib. III. fab. 10. v. 29. fab. 14. v. 3. fab. 16. v. 16. etc. Tum Cicero IV. Acad. Qu. 27. III. de Finib. c. 5. VIII. ad Attic. Epist. 11. Horatius III. Od. 4. v. 37. Livius lib. XXVI. c. 24. Ovidius I. Fast. v. 507. etc.

(11) *Canceres.* Cancri. Genus piscis notum, quod in vadis et ad petras invenitur. Unde Ovidius XV. Metam. v. 369. *Litoreos* appellavit. Ex Plinio autem colligimus lib. X. hist. c. 73. revera Ursos esurientes ad cancros captandos dare operam. In Codice *Canc..*: Sed vid. Lect. nostras. Verum quidem est τὸ *Canceres* aegre apud Scriptores qui supersunt occurrere. Sed invicte ut puto Analogiâ defenditur. Et certe satius videtur ita legere, quam versiculum invertere et immutare. Non male praeter cetera scriberetur:

Quorum inter villos simul ac cancri inhaeserunt.

Sed nimis abest lectio a Codicis fide, ut ego quidem arbitror. Id tamen Docti expenderint.

(12) *In terram arripiens.* Supple *se*. Celerrime in litus se pro-

Escâque (14) fruitur passim (15) collectâ vafrè (16):
Ergo etiam stultis (17) acuit ingenium (18) fames (19).

FA-

proripiens: Ex petris in terram se proiiciens. Eleganter veluti se et praedam citissime raperet. Simili sententia Plautus Curcul. V. 1. v. 8. *Vix foras* me arripui *atque effugi*: ut Stephanus, aliique plures legunt: Et Svetonius in Tiber. cap.45. *Relicto iudicio domum* se arripuit.

(13) *Praedam maris*. Ex mari collectam. Apposite. Nam Ursus est terrestre animal, et praedae maritimae haud sibi factae videntur. Unde iterum eius solertia proditur.

(14) *Escâque*. Veluti propriè. Nam brutorum animantium cibum frequentissime *escam* Latini appellabant. Cicero de nat. Deor. II. c. 64. *Sus vero quid habet praeter* escam? Varro IV. de L. L. c. 13. *Mergus quod mergendo in aquam captet* escam. Similia alii.

(15) *Passim*. Non uno ex loco, huc illuc, pluribus ex locis. Cicero II. de Div. c. 38. *Volucres huc illuc* passim *vagantur*. Pro Rosc. Amer. c. 46. Passim *per forum volitat cum magna caterva togatorum*.

(16) *Collectâ vafrè*. Solerter, astute, callide. Cicero IV. Verr. c. 53. *Nihil sane* vafre, *nec malitiose facere conatus est*. Val. Max. VII. 3. n.2. *Quod tam* vafre *impressum osculum*. In Cod. *vafer*. Sed vid. Lect. nostras.

(17) *Stultis*. Urso scilicet, quem ut stultorum simbolum Auctor posuit. Nec iniuriâ. Nam primum etsi sollers et ingeniosus videatur, in multis est hebes, imbecillus, nec sibi constat semper ex aequo. Unde Plinius de eo lib. VIII. c. 55. *Nec alteri animali* stultitia *solertior*. Quod et in Lect. nostr. monuimus. Tum *stultus* non est ille qui omnino ingenio et mente caret, nullinsque consilii capax est, sed qui saepe quidem fatuê et inepte agit, eaque non videt, quae ceteri facile intelligunt, ita tamen ut ubi mentem adiecerit intelligat et videat, et quaedam interdum solerter et ingeniose faciat. Unde a Plinio modo audivimus *stultitia solertior*. Vid. Forcellin. in Lexic.

(18) *Acuit ingenium*. Solertem, ingeniosum, callidum reddit. Eleganter. Cicero I. Tuscul. c. 33. *Multa e corpore existunt, quae acuant mentem, multa quae obtundant*. De clar. Orat. c.33. *Non solum* acuere, *sed etiam alere* ingenium. Ita I. de Orat. c. 20. Auctor Rhet. ad Herenn. lib. IV. c.1. Virgilius I. Georg. v. 123. Plinius autem ad rem de Polypis, quoad escam parandam loquens lib. IX. cap. 30. *Tanta solertiâ animalibus hebetissimis est*.

(19) *Fames*. Ad rem Persius in Prolog. Satyrar. v. 8.

Quis expedivit Psyttacho suum χαῖρε,
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingenîque largitor
Venter.

(*) Pe-

FABULA XXII.

Viator et Corvus (*).

Quidam per agros devium carpens iter (1),
AVE exaudivit (2), et moratus paullulum (3);
Adesse (4) ut vidit neminem cepit gradum (5).
Ite-

(*) Perottus in Fabellae argumentum scripsit: *Verbis saepenumero homines decipi solere*. Sed quae ex his Phaedriana putabimus? Non *verbis*. Nam in fabella de uno verbo agitur, et *decipere verbis*, est decipere per verba, dare verba, quod sententia non suscipit. Nec *saepenumero*, quum insolens sit, quod in Fabellâ narratur. Ego scriberem:

Interdum verbo fallimur, et vocis sono
Mortalium decipitur imprudentia.

Auctor in vulg. lib. IV. fab. 4. v. 48.

Ita quod multorum fugit imprudentiam.

Et Cicero V. Tuscul. cap. 26. *Nos in vocibus occupatos inanes sonos fundere*.

(1) *Devium carpens iter*. Quum per avia et devia loca teneret iter. Ideoque quum Auctor *per agros* praeposuisset intelligitur iter hoc a villis, locisque, quae homines celebrarent, semorum fingi. Loquendi autem modus elegans. Vid. Ciceronem XIV. ad Famil. Ep. 10. Nepotem in Eumen. cap. 5. et Lect. nostr.

(2) *Ave exaudivit*, Audivit verbum hoc: haec vox *Ave* ad aures suas pervenit; vulgatissima scilicet salutationis vox, et qua nil frequentius Romani usurpabant. Ad rem Martialis III. Epigr. 95.

Numquam dicis ave, sed reddis, Naevole, semper,
Quod prior et Corvus *dicere saepe solet*.

Vid. et. I. Epigr. 56. v. 6. et Epigr. 109. *Exaudio* autem hîc est ipsum audio, non vero *auditis annuo*, ut *exaudio* preces ac vota. Ita Cicero I. de Div. c. 33. *Quum aliquantulum progressus esset subito exaudivit hinnitum*. Nepos in Dione c.9. *Fit strepitus adeò ut exaudiri possit foris*. Ita Plinius XIX. c. 1. etc.

(3) *Et moratus paullulum*. Et quum ad aliquod tempus restitisset, quo scilicet videret, unde haec salutatio procederet. *Paullulum* eleganter ad tempus refertur. Terentius Eunuch. V. 2. v. 51. Paullulum *opperirier si vis, frater ipse hîc aderit*.

(4) *Adesse*. Esse in conspectu, adstantem, praesentem apparere.

(5) *Cepit gradum*. Resumsit gressum, intermissum iter est prosecutus. Simili pacto Hora-
tius

Iterum salutat (6), idem ex occulto sonat (7);
Voce hospitali (8) confirmatus (9) restitit (10),
Ut quisquis esset, par officium reciperet (11),
Quum circumspectans (12), errore haesisset diu (13),
Et

tius I. Od. 3. v. 33. Corripuit *gradum*. In Codic. *cepit gr....* Unde quis legere forte possit *cepit gradi*. Sed praeterquamquod *gradum* potius ex vestigiis adducitur, nescio an *cepit gradi*, quoad sententiam, et syntaxim aeque hic probari et teneri possit.

(6) *Iterum salutat*. Ille scilicet qui dixerat *ave*, iterum *ave* repetit.

(7) *Idem ex occulto sonat*. Eadem vox clare et sonore redditur, idem verbum ex occulto loco, perspicuo et alto sono exauditur. Eleganter *sono* ad hanc sententiam. Plautus Trinum. I. 2. v. 7. et Rudent. I. 4. v. 10. *Cuia vox prope me sonat?* Tibullus III. Eleg. 6. v. 35.

Nec bene pollicitis ebria verba sonant.

Similia Martialis lib. VII. Epigr. 50. v. 13. Iuvenalis Satyr. III. v. 90. etc. *Ex occulto* autem, nempe ex occulto et ignoto loco rectum est. Cicero pro Cluent. c. 16. *Multi viri boni quum ex occulto intervenissent*. Terentius Eunuch. IV. 4. v. 17. *Ut tu illos procul hinc ex occulto caederes.*

(8) *Voce hospitali*. Voce amica, voce quae ab hospite reddi videretur. Hic autem Auctor vocem *hospitalem* dixit, quod viator quum devium et semotum iter haberet eam salutationem a quopiam hospite suo, ab aliquo qui hospitari eum vellet reddi putaret. Et putaret quidem, quum ea vox iterum repetita fuisset, et sibi plane non alii missa videretur.

(9) *Confirmatus*. Certus iam factus, magis magisque in ea opinione firmatus, persuasus. Hoc sensu Cicero I. Famil. Epist. 8. *Difficile est sensum in Republica praesertim rectum et confirmatum deponere*. X. ad Attic. Epist. 15. *Funisulanus a te attulit literas, in quibus erat confirmatius illud idem.*

(10) *Restitit*. Ibi substitit, manere coepit. Ita Auctor in vulg. I. fab. 12. v. 3. III. fab. 7. v. 4. fab. 14. v. 2.

(11) *Par officium reciperet*. Parem salutationem, resalutari pateretur. Ita Nostro in vulg. III. fab. 2. v. 1. et hic fab. 3. v. 5. Par *gratia*, et III. fab. 7. v. 8. Ipsum par *officium*.

(12) *Circumspectans*. Ad noscendum, detegendum, conspicandum amicum aut hospitem, quem se salutare putabat. Ovidius in simili re III. Metam. v. 381.

Hic stupet, atque aciem partes dimisit in omnes,
Voce veni magna clamat.

(13) *Errore haesisset diu*. Quum ex errore ibi per longum temporis spatium immotus fixusque mansisset. Eleganter *haerere* dicuntur, qui in medio cursu, motuque detinentur et subsistunt, fixique in aliqua re diu perstant. Cicero II. Philipp. c. 29.

Et perdidisset tempus aliquot millium (14);
Ostendit sese (15) Corvus, et supervolans (16),
AVE usque ingessit (17): Tum se lusum intelligens (18):

At

c. 29. Haerebat *nebulo, quo se verteret non habebat*; In Orator. c. 40. *In eadem* haerere *commorarique sententia*. Ita Quintilianus Lib. I. Instit. c. 2. Curtius lib. IV. cap. 4. Auctor Epist. ad Pison. v. 188. etc.

(14) *Et perdidisset tempus aliquot millium*. Et frustra insumsisset tempus, quo aliquot itineris milliaria confecisset: Et eâ morâ, et vanâ investigatione tempus trivisset, quod in percurrenda non pauca millia utiliter impendisset. *Perdere tempus* latinum et rectum est. Vid. Ovidium I. Fastor. v. 71. I. Art. v. 504. XI. Metam. v. 286. etc.

(15) *Ostendit sese*. Ex occulto prodidit, ita ut conspiceretur. Terentius Hecyr. IV. 4. v. 4. Lach. *Opportune te mihi, Phidippe, in ipso tempore ostendis*. Cicero III. Verr. c. 1. *Os suum populo Romano ostendere audet*.

(16) *Et supervolans*. Super caput Viatoris. Ovidius IV. Metam. v. 623:

Despectat terras, totumque supervolat orbem.

Plinius lib. VIII. hist. cap. 14. Supervolantes *alte alites*.

(17) *Ave usque ingessit*. Diu multumque illud *ave*, illam salutationem ingeminavit, iteravit. *Ingessit* eleganter. Horatius I. Satyr. 5. v. 11.

Tum pueri nautis, pueris convicia nautae
Ingerere.

Livius lib. III. cap. 68. *Vocis verborumque quantum voletis ingerent*. Sic lib. II. c. 25. Plautus Asin. V. 2. v. 76. *Usque* autem absolute, et adverbii loco ponitur, pro diu per, diuturnum tempus, multum. Ita Terentius Adelph. II. 2. v. 5.

Ego vapulando, ille verberando usque ambo defessi sumus.

Martialis V. Epigr. 61. v. 1.

Allatres licet usque nos et usque,
Et gannitibus improbis lacessas.

Ita X. Epigr. 68. v. 5. Virgilius Eclog. X. v. 64. etc. Quoad ipsam autem rem notum est Corvos multas humanas voces et verba conari posse, eosque apud Veteres quoad salutationes potissimum data opera instructos, fuisse in deliciis. Plinius lib. X. hist. cap. 43. Martialis lib. III. Epigr. 95. et XIV. Epigr. 74. Apuleius in Florid. p. 497. Macrobius II. Saturn. c. 4. et alii plures non pauca de istis corvis salutatoribus habent. De simili vero facto haec Ovidius V. Metam. v. 294.

Musa loquebatur, pennae sonuere per auras,
Voxque salutantum ramis veniebat ab altis,
Suspicit, et linguae quaerit tam certa loquentes
Unde sonent, hominemque putat
Iove nata locutum,
Ales erat.

(18) *Tum se lusum intelligens*.

Tum

At male tibi sit (19), inquit, ales pessime;
Qui festinantis (20) sic detinuisti (21) pedes.

FABULA XXIII.

Pastor, et Capella.

Pastor capellae cornu baculo (1) fregerat:
Rogare coepit (2) ne se domino proderet (3):
Quam-

Tum Viator intelligens, sentiens se fuisse delusum, deceptum inani illa voce. Nam corvum invenit, quem putabat hominem et hospitem. Ovidius autem Epist. Her. XVII. v.45. *Mater falsa sub imagine lusa*. Et Fast. II. v. 357. *Veste Deus lusus*. Et VIII. Met. v. 826.

Exercetque cibo delusum guttur inani.

(19) *At male tibi sit*. Verba Viatoris ad Corvum. Imprecandi formula. Cicero ad Attic. XV. Ep. 15. *L. Antonio male sit*. Et Epist. 13. *Sed, quaeso, epistola mea ad Varronem valdene tibi placuit?* Male mihi sit, *si umquam quidquam tam invitâ*.

(20) *Festinantis*. Mei scilicet, qui festinabam.

(21) *Detinuisti*. Moratus es, hac morâ impediisti ne ocius iter meum conficerem. Eleganter Terentius Eunuch. II. 2. v. 49.

Gn. Detineo te *fortasse*, *tu profectus alio fueras*.

Ovidius Epist. Her. IV. v. 68.

Tempore quo nobis inita est Cerealis Eleusis,
Gnosia me vellem detinuisset *humus*.

Ita quoque v. 109. etc.

(1) *Baculo*. Virgâ pastorali, fuste quo Pastores utuntur ad regenda pecora. Proprie. Ovidius II. Met. v. 781. de Apolline:

Illud erat tempus quo te pastoria pellis
Texit, *onus dextra* baculus *sylvestris olivae*,
Alterius dispar septenis fistula cannis.

Ita Propertius IV. Eleg. 2. v. 38. Silius Italic. XIII. Punic. v. 334. etc.

(2) *Rogare coepit*. Pastor scilicet Capellam. Animadvertamus autem hic Phaedri stilum, qui saepissime ad similia *τῷ coepi* utitur, ut lib. I. fab. 2. v. 8. et v. 25. fab. 8. v. 5. fab. 12. v. 8. et v. 11. fab. 14. v. 2. fab. 20. v. 5. fab. 25. v. 5. etc. etc.

(3) *Ne se domino proderet*. Ne quum advenisset dominus deferret quod ipse abrupisset sibi cornu. Nempe, quod si id dominus sciret, graviter propterea increparetur et plecteretur. Proprie *proderet*. Nam *prodere* est manifestare, quod tectum, occultum, et ignotum volumus. Ci-

Quamvis indigne laesa (4), reticebo tamen (5):
Sed res clamabit ipsa (6) quid deliqueris (7) (*).

Cicero II. Tusc. c. 13. *Enuntiare commissa*, prodere *conscios*. Pro Flacc. c. 11. *Ne periculosam imitationem exempli in posterum proderetis*. Sic Ovidius II. Met. v. 447. Iuvenalis Satyr. XIII. v. 23. etc.

(4) *Indigne laesa*. Omnino graviter, turpiter laesa, quod deturpata et deformata fuerim effracto cornu. *Indigne* eleganter sumitur. Terentius Heaut. III. 3. v. 4. *Facis adeo* indigne *iniuriam illi*. Adelph. I. 2. v. 11. *Clamant omnes* indignissime *factum esse*. Ita Phorm. V. 1. v. 3. et 8. v. 20. Caesar VII. B. Gall. c. 38.

(5) *Reticebo*. Tacebo de iniuria mihi illata; nil dicam de indignitate, quam in me admisisti. Proprie. Nam *reticere* est tacere de iis, quae occultari et celari volunt, quod noceat, si prodantur. Plautus Persâ III. 1. v. 39.

Virgo atque mulier nulla erit,
quin sit mala,
Quae reticet, *si quid fieri*
perverse videt.

Similia Menech. V. 9. v. 47. Terentius Heaut. I. 1. v. 32. etc.

(6) *Res clamabit ipsa*. Ipsum cornu abruptum te prodet, etsi ego taceam. Ex proverbio. *Clamabit* eleganter. Cicero II. de Finib. c. 20. Clamat *virtus beatiorem fuisse Regulum*. Et IV. c. 19. *Sensus enim cuiusque, et natura rerum, atque ipsa veritas* clamat *quodammodo*.

(7) *Quid deliqueris*. In quo peccaveris, quodnam fuerit peccatum tuum. Cicero II. Agrar. c. 36. *Si* quid deliquero *nullae sunt imagines, quae me a vobis deprecentur*. Plautus Amph. II. 2. v. 185. Quid *ego tibi* deliqui? Menech. V. 2. v. 30. *Nusquam equidem* quidquam deliqui. Haec autem lectio in Codice perspicua est, quumque sententiam commode servet retinuimus, putaremus tamen satius legi *quod* non *quid*. Etenim hic non agitur, in quo Pastor peccaverit et deliquerit, sed utrum deliquerit nec ne. Pastor cupiebat ut suum facinus omnino celaretur, sed ipsa res clamabat quod deliquerat.

(*) Haec Perottus in Fabellae sententiam: *Nil occultum esse quod non reveletur*: Quae quidem verba non videntur Phaedriana. Nam non de re occulta, sed de peccato Domino ignoto agitur, et quidem ex manifesta re. Tum ex vulgari nostro adagio ea desumta dixeris. Ideo quis paullo satius forte scriberet:

Noli arbitrari occultum peccatum fore:
Per se contra prodibit ocius serius.

(1) *Ad-*

FABULA XXIV.

Serpens, et Lacerta.

Serpens Lacertam forte adversam (1) prenderat;
Quam devorare patulâ quum vellet gulâ,
Arripuit (2) illa prope (3) iacentem surculum (4),
Et pertinaci morsu (5) transversum tenens,
Avidum solerti (6) rictum (7) frenavit morâ (8).

Prae-

(1) *Adversam*. Ex parte adversâ, oppositâ, ex cauda scilicet non ex capite. Hoc sensu Plautus Bacch. I. 3. v. 5. dixit *adversam viam*. Virgilius I. Georg. v. 201. *adversum flumen*.

(2) *Arripuit*. Nempe ore, celerrime corripuit. Similem autem solertiam de ranis Aegypti, et Chamaeleonte ex Alexandro Myndio refert Aelianus in Histor. Animal. lib. I. cap. 3. et IV. cap. 33.

(3) *Prope*. Iuxta se, secundum se. Absolute: Plautus Rudent. I. 4. v. 10. Pa. *Quaenam vox mihi* prope *hic sonat?* Iuvenalis Satyr. IX. v. 105. Prope *nemo recumbat*.

(4) *Surculum*. Parvum ramum, sarmentum ex arbore desectum, parvam quamdam virgulam. Plinius lib. XIX. c. 6. Surculus *ex nido milvi pulvino subiectus*. Columella lib. VI. c. 15. *Si forte bos* surculum *calcaverit*.

(5) *Pertinaci morsu*. Iugi, continuo, constanti. Pertinax primum *per tenax*, qui obstinate et constanter *tenet*. Horatius III. Od. 29. 2. 50.

Ludum insolentem ludere pertinax.

Plinius lib. X. Hist. c. 29. *Tanta vox tam parvo in corpusculo, tam* pertinax *spiritus*. Quintilianus Proem. lib. I. Pertinax *studium*.

(6) *Solerti*. Ingeniosâ, solerter excogitatâ et inventâ.

(7) *Rictum*. Oris hiatum, et latam aperturam, *patulam* nempe *gulam*. Ovidius Metam. VI. v. 378. de Ranis.

Ipsaque dilatant patulos convicia rictus.

Lib. XI. v. 59.

. . . *In lapidem* rictus *Serpentis apertos*
Congelat.

V. et. Horat. I. Satyr. 10. v. 7. Quintilian. lib. I. c. 19. etc.

(8) *Mora*. Mora hic non abstracte sumitur pro cunctatione, dilatione, tarditate, sed pro ea re, qua fit mora et cunctatio. Hoc sensu Virgilius X. Aen. v. 485.

Loricaeque moras, *et pectus perforat ingens*.

Celsus lib. VIII. c. 20. *Fustium imas partes oppositae* morae *obiicere*. Similia Valerius Flaccus VI. Arg. v. 98. Statius XI. Theb. v. 244. Noster in vulg. III. Prolog. v. 59. etc.

(9) Di-

Praedam dimisit ore (9) Serpens irritam (10) (*).

FABULA XXV.

Cornix, et Ovis.

Odiosa (1) Cornix super Ovem (2) consederat (3),
Quam

(9) *Dimisit ore*. Coactus fuit dimittere, nam vorare non poterat. Svetonius in Caes. c. 18. *Coactus est triumphum* dimittere. Cicero pro Coecin. c. 25. Dimittere *patrimonium*. Et Auctor in vulg. I. fab. 4. v. 6.

Et quem tenebat ore *demisit* cibum.

Sed recte *dimisit* non *demisit* in novâ Fabella, nam voluntas et consilium adest.

(10) *Irritam praedam*. Vanam, qua frui et vesci non poterat. Ita Virgilius IV. Georg. v. 519. Irrita *dona*. Ovidius I. Metam. v. 273. Irritus *labor*. Tacitus IV. Hist. cap. 81. Irritum *remedium*.

(*) In Fabellae Epimythium non incommode forte legeretur:

Ubi vis repelli viribus nostris nequit,
Astu eludatur impotentia callido.

Vis est vis iniusta, violentia. Cicero pro Milon. c. 4. *Quum* vi vis *illata defenditur*. Pro Sext. cap. 17. *Vim vi repellere*. *Astus* sumitur etiam in bonam partem. Terent. Phorm. I. 4. v. 5. *Providere aliquid* astu. Petronius Satir. cap. 97. *Ulixem* astu *simillimo vicit*. Plautus Poenul. Prolog. v. 111.

Ita docte atque astu *filias quaerit suas*.

Eludo ad hanc sententiam non improprie. Manilius V. v. 163.

Ille cito motu rigidos eludere coestus.

Martialis lib. XIV. Epigr. 202.

Callidus emissas eludere Simius hastas.

Impotentia tandem non est hic imbecillitas, sed contra vis effrenis, libido nocendi, potentia iniusta et immoderata. Quo sensu Cicero V. Tusc. cap. 7. *Impotentiâ efferri*. Velleius lib. II. cap. 29. *Numquam potentia sua ad* impotentiam *usus*. Tacitus I. Annal. cap. 4. *Muliebris impotentia*.

(1) *Odiosa*. Invisa, gravis, molesta. Plautus Pseud. I. 1. v. 28. Odiosus *mihi es, lege vel tabellas redde*. Auctor in vulg. II. fab. 5. v. 1.

Est ardelionum quaedam Romae natio,
Sibi molesta, et aliis odiosissima.

Cornix autem revera erat invisa et odiosa avis, quod esset *inauspicata*, ut tradit Plinius lib. X. c. 12. Tum habebatur *invisa* Minervae, ob Noctuam cum qua inimicitias gerit, ut idem Plinius loc. cit., et Ovidius III. Am. 6. v. 35. scribunt.

(2) *Super ovem*. Syntaxis recta. Cicero II. de Finib. c. 18.

Quam (4) dorso quum tulisset (5) invita et diu (6),
Id, inquit, si dentato fecisses cani (7),
Poenas dedisses (8): Illa contra pessima (9):

De-

Aspidem occulte latere, et velle aliquem super eum assidere.

(3) *Consederat*. Se imposuerat, pertinaciter et obstinate in eius dorso manebat. *Sedeo* ad hanc rem eleganter sumitur. Ovidius III. Am. 5. v. 23.

Cornix *in viridi garrula* sedit *humo*.

II. Fast. v. 90.

Et sine lite loquax cum Palladis alite Cornix
Sedit, *et accipitri iuncta columba fuit*.

Similia in Ibin. v. 225. Cicero I. de Divin. c. 36.

(4) *Quam*. Cornicem.

(5) *Dorso quum tulisset*. Recte. Nam *ferri proprie dicimus quae quis suo corpore baiulat*, ait Caius Dig. L. Tit. 16. Leg. 235. Unde Plautus Amph. I. 1. v. 20.

Habendum et ferendum *hoc* onus *est cum labore*.

Martialis de Spectac. Epigr. 16.

Par onus *ut* tulerint, *altius iste* tulit.

(6) *Invita et diu*. Ad syntaxim videretur satius, ut puto, *invite et diu*. Attamen locum minime sollicitarem. Nam elegantius et frequentius exempli loco *invitus fert*, quam *invite fert* dicitur.

(7) *Id, inquit, si dentato fecisses cani*. Verba Ovis ad Cornicem. Si tu hanc iniuriam non in me, quae laedere non valeo, sed in canem admisisses, qui acutis dentibus est instructus, qui se dentibus ulcisci potest. *Dentatus* est dentibus instructus. Ovidius Remed. v. 339.

Si male dentata *est*, *narra quod rideat illi*.

Martialis I. Epigr. 73.

Sic dentata *sibi videtur Aegle, Emptis ossibus, indicoque cornu*.

Quin magnis et acribus dentibus praeditus, ut in Nostro. Plautus Pseud. IV. 4. v. 3.

Non ego te ad illum duco dentatum *virum*.

Et propius Catullus Carm. XXIX. v. 12.

Si Lanuvinus acer atque dentatus.

Id autem apposite. Nam primum revera tota canum vis in dentibus et morsu constat, iisque unice laedunt: tum oves paucos et ineptos habent, neque iis aliquem petunt. In Codice perspicue tantum *I . . . . . it, si . . . . . . fecisses cani*. Sed vid. Lect. nostras.

(8) *Poenas dedisses*. Iniuriae et improbitatis tuae. Eleganter. Virgilius IV. Aen. v. 386. Dabis, *improbe*, poenas. Ovidius IV. Fast. v. 239. Da *sanguine* poenas. Cicero De clar. Orat. c. 241. Poenas *legibus* dedisse.

(9) *Illa contra pessima*. Pessima nempe avis, improba Cornix ex adverso respondit. Ad hanc sententiam *τῷ contra* saepe utitur Auctor. In vulg. I. fab. 1. v. 6. *Laniger* contra *timens*. Fab. 2. v. 28. *Tunc* contra *Deus*. V. fab. 10. v. 7. *Cui latrans* contra *senex*.

(10) De-

Despicio inermes (10), eadem (11) cedo fortibus,
Scio quem lacessam (12), cui (13) dolosa (14) blandiar:
Ideo mihi senectam in annos prorogo (15) (*).

FA-

(10) *Despicio inermes*. Contemno, sperno eos qui inermes sunt, qui armis carent, quibus mihi nocere possint. *Inermis*, sine armis, qui armis non est instructus. Cicero pro Dom. sua c. 19. *Ne eam Civitatem, quam servassem inermis, armatus in discrimen adducerem*. Ita Nepos in Dion. c. 9. Ideoque *inermis* est imbecillus qui iis praesidiis caret, quibus sese in violentos adgressores tueatur, qui nocere et laedere nequit: Quo sensu Ovidius in Ibin v. 2. Horatius I. Epist. 5. v. 16. Lucanus lib. IV. v.357. Martialis III. Epigr. 58. v. 11. Iuvenalis Satyr. IV. v.79. vocem usurparunt. Quamobrem scite *inermis* opponitur *dentato*.

(11) *Eadem*. Eadem ipsa. Apposite ad volucris malignitatem et improbitatem ostendendam, quae una et eadem tam varie et dolose sese aptet et accommodet. In Codice clare .. *d*.

(12) *Lacessam*. Lacesso vulgo est provoco, tento, ad certamen et rixam. Hic vero ex prima sua potestate est absolute irritare, vexare, inquietare. Fit enim a *lacero*, quod Charisius lib. III. Diomed. lib.I. Gramm. observarunt. Quo sensu Lucretius lib. IV. v. 598. et v. 693. Virgilius XII. Aen. v. 85. Catullus Carm. XV. v.14. Ovidius V. Trist. 9. v. 29. etc. vocem usurparunt.

(13) *Cui*. Vocula totidem literarum in Codice plane deleta. Quare autem eam receperimus et facile intellectu est, et in Lect. diximus.

(14) *Dolosa*. Non quod dolum blanditiis moliatur, ut decipiat et fallat, nam tum *dolose* scribendum erat, quod ad rem non est: Sed quod dolo, ficto scilicet et falso animo non sincero et aperto blandiatur.

(15) *Ideo mihi senectam in annos prorogo*. Scilicet hac arte, hoc dolo vitam diutissime protraho, senectutem meam in multos multosque annos produco. Nam inermibus dominor, et fortes blanditiis delinitos non paveo. *Prorogo* proprie. Plautus Pseud. III. 2. v. 37.

Quid tu? divinis condimentis utere,
Qui prorogare vitam possis hominibus.

Horatius Art. Poet. v. 346.

Et longum noto Scriptori prorogat aevum.

Notum autem est Cornicem diutissime vivere, idque observavimus Fab. 2. v. 6. In Codice:

Ideo senectam m . . . . . annos prorogo.

Sed vid. Lect. nostras. Quum Phaedrus lib. IV. fab. 1. v. 10. scripserit.

Mustela quum annis et senectâ debilis.

Et *prorogare senectam in annos* sic absolute dictum haud facile nobis occurrerit, visum erat scribere *et annos*. Sed quum lon-

FABULA XXVI.

Servus, et Dominus (†).

Quum Servus secretam admisisset (1) noxiam (2), Uxo-

longe facilius *in* quam *et* scriptum fuisse in Codice putemus, hanc lectionem certe commodam et perspicuam retinere maluimus.

(*) Anonymus Antiquus hanc sententiam Fabellae subiecit n. LV. *Qui ab infimis sua innocentia iniuriantur*. Similia Rimicius lib. IV. fab. 12. Unde Burmannus in Adp. fab. 22. scripsit:

His qui lacessunt innocentes infimi,
Vexare fortes intuunt scripta est fabula.

Sed quis haec vel Phaedriana, vel Phaedrianis similia tenebit? Quid hic *infimi*, quid *innocentes*, quid *vexare*? Qui lacessit ubi lacessit, non inferior, sed potior est. Tum *innocentes* sunt saepe fortes et valentes, et in Fabella de imbecillis et inermibus, non de innocentibus agitur. Tandem haud satis apte ea ipsa, quae in Fabella sunt repetuntur: Quumque Perottus scripsisset: *Multos lacessere debiles, et cedere fortibus*, quae ipsa ferme sunt Fabellae verba, satis perspicuum est, vel sententiam adiectam Fabellae non fuisse, vel aliam ab illâ fuisse. Quamobrem ego potius quid simile tenerem, nempe:

Conscripta talis est in illos Fabula,
Qui volucris aemulantur exemplum improbae.

(†) Haec Perottus in argumento Fabellae: *Nullum maledictum esse gravius conscientiâ*. Hinc scriberem:

Malâ nil gravius animi conscientiâ.

Cicero pro Rosc. Amer. cap. 24. *Malae cogitationes, conscientiaeque animi*. Et Noster Prol. lib. III. v. 47.

Stulte nudabit animi conscientiam.

(1) *Admisisset*. *Admitto* ad hanc sententiam eleganter sumitur. Plautus Trinum. I. 2. v. 6.

Qui admisit in se culpam castigabilem.

Et v. 44 *Ne admittam culpam*. Ita Terentius Eun. V. 2. v. 13. etc. Ex Codice autem quoad totum versiculum haec tantummodo colliguntur:

Quum servus n . . . . . s . . . . ,
. . . m . . . .

Ideoque lectio est omnino abstrusa et difficilis. Nos non pauca in Lection. coniecimus. Sed fatemur nihil esse adhuc quo plane et absolute adquiescamus.

(2) *Secretam noxiam*. Facinus occulte patratum, culpam secreto clam commissam. Seneca Hippol. v. 724.

Secreta quum sit culpa quis testis sciet?

Pli-

Uxorem Domini quod corrupisset (3) sui:
Idque ille sciret (4), coram circumstantibus,
Places tibi, inquit (5)? Nam quum non debes, places (6):
Sed non impune (7), quia quum debes, non places (8).

FA-

Plinius Caecil. VII. Epist. 9. *Audax haec non tamen improba, quod* secreta *contentio* .. *Noxia* autem ad hanc sententiam rectum et latinum est. Terentius Phorm. I. 4. v. 48.

Meministin' olim ut fuerit vestra oratio,
In re incipienda ad defendendam noxiam.

Ubi Donatus *noxiam nunc culpam*, *alias poenam*. Similia Hecyr. III. 1. v. 30. II. 3. v. 3. Plautus Mostell. V. 2. v. 47.

(3) *Quod corrupisset*. Vitiasset, constuprasset. Hoc sensu Martialis IV. Epigr. 5.

Non potes uxorem cari corrumpere *amici*.

Svetonius in Caesar. c. 50. *Pronum et sumtuosum in libidines fuisse constans opinio est*, *plurimasque et illustres feminas* corrupisse. Ausonius Epigr. 70.

Corrumpit *totum qui puerile secus*.

Ex Codice *q* .... *puisset*. Nos in Lection. plura conieciмus, veluti *quod despuisset*, *quod depsuisset*, *qui corripuisset*. Sed quum haec vel parum apte sententiae convenire viderentur, vel quo metrum constaret involutae syntaxi essent subiicienda, satius esse putavimus scribere *corrupisset*, quod ad rem facere videtur, parum a lectione et vestigiis Codicis distat, et syntaxim rectam servat. Sed haec omnia Doctorum curae sint.

(4) *Idque ille sciret*. Et hoc facinus, hoc peccatum ad aures Domini pervenisset: et Dominus hoc scelus detexisset, novisset.

(5) *Places tibi*, *inquit?* Dominus nempe ad servum. Gaudesne modo de scelere quod patrasti, beatumne ex facto te putas? Placere sibi de aliqua re, est gaudere, contentum esse, et veluti gloriari et iactare se ob eam rem, quod nempe feliciter, bene, ad vota et desideria evenisset. Ita Cicero II. de Orat. c. 4. *Ego numquam* mihi *minus*, *quam hesterno die* placui. Petronius Satur. c. 126. *Nolo tibi tam valde* placeas. Ita Plinius lib. XXXV. c. 9. de Zeuxi etc.

(6) *Nam quum non debes*, *places*. Scilicet, ut ego arbitror: Tum places tibi, quum tibi placere non debes, nempe quum scelus patras, quum culpam admittis.

(7) *Sed non impune*. Haec autem scelesta voluptas, haec delectatio quam de turpi re sumis, haud tibi impune cedit. Sed tu deinceps poenas das, quod tibi in malo placueris.

(8) *Quia quum debes non places*. Quia quum tu debes placere tibi, quod iam votis tuis potitus fueris, tum tibi non places: Quod scilicet facinoris conscientia es actus, te facti poenitet, aegerrime fers te ea patrasse, sti-

FABULA XXVII.

Lepus, et Bubulcus.

Quum Venatorem celeri pede (1) fugeret Lepus (2),
Et a Bubulco visus (3) veprem irreperet (4):
Per Superos oro (5), perque spes omnes tuas (6),
Ne

stimulis reae conscientiae exagitaris. Quoad duos autem hos postremos versiculos haec tantummodo perspicue ex Codice colliguntur:

Places tibi inq . . . .
non debes places,
Sed non impune qu . a . . .
debes non places.

(1) *Celeri pede*. Celerrime, citissime, ut necem instantem effugeret. Eleganter. Seneca Hippol. v. 763.

Et velox celeri pede laberis. Nota autem est Leporis pernicitas. V. Nostrum in vulg. lib. I. fab. 9. v. 4.

(2) *Lepus*. Sic in Codice. Sed uterque Romulus, Fabulator Anonymus, Franciscus Philelphus habent *lupus*: qua auctoritate fracti confidentius etiam, quam solemus, in Lection. nostris legendum esse in Fabellâ *lupus* autumavimus. Certe non male. Nam Fabella stat etiam si legimus *lupus*. Verum modo visum est haud esse recedendum a fide Codicis Perottini. Nam recte *lepus* etiam legitur, et proprie certe non *lupos*, sed *lepores* venari dicimus.

(3) *Visus*. Conspectus, oculis perceptus. Sic Horatius I. Od. 15. v. 29. Livius lib. IV. c. 40. etc.

(3) *Veprem irreperet*. Proprie. Nam tum irrepere in aliquem locum dicimur, quum clam, latenter, et ita ut alius non sentiat tamquam *repentes* nos in eum inducimus. Syntaxis vero recta. Apuleius III. et VII. Metam. *Summa cum trepidatione irrepsit* cubiculum. Lib. IV. Caveam *festinus irrepsit*: et IX. *Latenter irrepit* hospitium. Tum Statius XI. Theb. v. 731.

. . . Argos eat, hostilesque
Mycenas
Squallidus irrepret.

Ovidius autem non abs re. XV. Metam. v. 628.

Aut lepori qui vepre *latens*
hostilia cernit
Ora canum.

(5) *Per Superos oro*. Obsecrandi et obtestandi formula, quam Horatius I. Od. 8. v. 2. et I. Satyr. 7. v. 33. Ovidius XIII. Metam. v. 376. VI. v. 499. et VII. v. 852. aliique usurparunt. Haec vox in Codice plane deest. Sed et pes integer versiculo deest. Diximus vero in Lect. cur eam vocem recipiendam putaverimus.

(6) *Perque spes omnes tuas*. Per ea omnia, quibus te fieri bea-

Ne me indices (7) bubulce: Nihil umquam mali
Huic agro feci (8): Et Rusticus (9): ne timueris (10),
Late securus (11): Iamque Venator sequens (12),
Quaeso, Bubulce (13), numquid huc (14) venit Lepus?
Venit, sed abiit (15) hac ad laevam, et dexteram (16)
Demonstrat (17) nutu (18) partem: Venator citus (19)

Non

beatum et opulentum speras, ea quae spes tuas faciunt; nempe per agros, greges, et pecora tua. Eleganter. Simili sententia Seneca Med. v. 478. Per spes *tuorum liberûm*. Ovidius XIII. Met. v. 376. Per spes *nunc socias* oro. XIV. v. 704. Per spes *oravit alumnae*. Vid. et. Virgilium Ecl. I. v. 14. Georg. IV. v. 161. Petron. Sat. c. 4. apud Gronov. lib. III. Observ. c. 23. qui locum illustrat.

(7) *Ne me indices*. Ne me ostendas, ne me prodas venatori. Proprie. Cicero III. Catilin. c. 8. *Hortatus sum ut ea quae sciret sine timore* indicaret. De Universit. c. 4. Indicare *in vulgus nefas est*.

(8) *Huic agro feci*. Ager hic non pro tellure, quae aratur et seritur sumitur, sed pro iis, quae in eo nascuntur, aluntur, et continentur. Nempe pro herbis, oleribus, vel potius pro segete viridi, quam appetunt lepores.

(9) *Et Rusticus*. Supple, *ait*.

(10) *Ne timueris*. Noli timere. Ne timeas. In Codice ne *timeres*. Ea tamen ceteris omnibus levior emendatio visa est. Vid. Lect. nostras.

(11) *Late securus*. Nempe in vepre, in quo tutus erat a venatore.

(12) *Sequens*. Qui leporem insectabatur, qui leporis vestigia sequebatur.

(13) *Quaeso bubulce*. Verba Venatoris ad Bubulcum.

(14) *Huc*. Circa haec loca delituit, per haec loca transiit.

(15) *Venit, sed abiit*. Haec Bubulcus ad Venatorem.

(16) *Dexteram*. Qua nempe vere delitescebat lepus, qua erat vepris, quo latebat.

(17) *Demonstrat*. Proprie. Cicero VI. Verr. c. 59. *Ut antea* demonstrabant *quid ubique esset, ita nunc quid undique esset ablatum ostendunt*. In Somn. Scip. c. 8. Demonstrare *aliquid digito*. Terentius Phorm. II. 1. v. 75. *Hominem* commostrarier *mihi istum volo, aut ubi habitet* demonstrarier.

(18) *Nutu*. *Nutus* dicuntur signa, quae capite aliisque corporis membris fiunt. Motus oculorum, digitorum, brachiorum ad aliqua significanda, et proprie verbis sermonique opponuntur. Hic potissimum motus oculorum et capitis. Plinius lib. VI. Hist. c. 30. *Quibusdam pro sermone* nutus, *motusque membrorum est*. Lucanus lib. IV. v. 173.

... *Tantum* nutu, *motoque salutant*
Ense suos.

(19) Ci-

Non intellexit (20), seque e conspectu abstulit (21),
Tunc sic Bubulcus (22): Ecquid est gratum tibi (23),
Quod te celavi (24)? Linguae (25) prorsus non nego,
Habere atque agere maximas me gratias,
Verum oculis ut priveris (26) opto perfidis (27) (*).

FA-

(19) *Citus*. Qui festinabat, qui celerabat in leporem. Plura autem festinantes fugiunt.

(20) *Non intellexit*. Nutum scilicet Bubulci.

(21) *Seque e conspectu abstulit*. Quam celeriter abiit, statim se coniecit ad insectandum leporem, quem putabat illud iter tenuisse, quod verbis Bubulcus indicaverat. Modus autem loquendi elegans. Lucanus lib. IX. v. 1064.

Aufer ab adspectu *nostro funesta, satelles,*
Regis dona tui.

Plinius lib. XXXI. c. 2. *Si* auferatur a conspectu *Templi*. Similia Terent. Hecyr. I. 2. v. 107. Nepos in Chabr. cap. 3. Noster in vulg. I. fab. 16. v. 6.

(22) *Sic Bubulcus*: Dixit Lepori.

(23) *Ecquid est gratum tibi*. Habesne mihi gratias, sumne promeritus bene de te? *Ecquid* hîc est num, numquid, an. Hoc sensu Terentius Andr. V. 2. v. 30.

Age Pamphile, exi Pamphile, ecquid *te pudet?*

Cicero ad Attic. II. Epist. 2. *Sed heus tu*, ecquid *vides Kalendas venire, Antonium non venire*. Ita Ovidius III. Trist. 3. v. 47. Et Eleg. 7. v. 11. etc. *Gratum* autem hîc non est iucundum, quod placet, et iuvat. Sed quod gratum facit, et pro quo grates habendae sunt. Hoc sensu Terent. Heaut. II. 3. v. 21.

Quod nunc faciam tamen, quum gratum *mihi esse potuit nolui.*

Et Cicero II. Philipp. cap. 45. *Haec non cogitas, nec intelligis satis esse viris fortibus didicisse, quam sit pulcrum, beneficio* gratum, *fama gloriosum tyrannum occidere?*

(24) *Quod te celavi*. Quod te non prodidi, non manifestavi Venatori. Hac sententia et syntaxi *celo* recte usurpatur. Caesar I. B. Civ. c. 26. *Plerosque ii qui receperant* celant, *noctuque per vallum emittunt*. Horatius II. Satyr. 4. v. 11.

Ipsa memor praecepta canam, celabitur *Auctor.*

Ulpianus Dig. XI. Tit. 4. Leg. 1. *Qui fugitivum* celavit *fur est*.

(25) *Linguae*. Verba Leporis ad Bubulcum. Linguae scilicet, nam ea me servavit, quum oppositam partem Venatori ostendisset.

(26) *Oculis ut priveris*. Eleganter. Cicero V. de Finib. c. 29. *Democritus dicitur* oculis *se* privasse.

(27) *Perfidis*. Qui datam mihi a te fidem prodiderunt. Quod scilicet oculorum nutu dexteram partem, qua latebat Lepus, Venatori indicasset. Ita et Ovidius XIII. Metam. v. 561. Perfida *lumina* dixit.

(*) In Epimythium Fabellae scriberem;

Qui

FABULA XXVIII.

Meretrix, et Iuvenis (*).

Quum blandiretur (1) Iuveni Meretrix perfida (2),
Et ille laesus (3) multis saepe iniuriis (4),

Ta-

Qui pactam verbis ipsa re fallit fidem,
Hoc argumento se notari sentiat.
Noster in vulg. lib. III. fab. 13. v. 17.
Si pactam fuci non recusassent fidem.
Tum lib. IV. fab. 7. v. 2.
Hoc argumento se describi sentiat.
Rusticus autem omnino pollicitus fuerat Lepori, quod eum Venatori non indicasset, et re, nutibus nempe, indicaverat. Remulus quidem num. 38. scribit: *Demonstrat subsequens fabula, quod multi infideles sunt corde et oculis, quamvis fidelitatem simulent verbis*. Tum Perottus: *Multos verbis blandos esse, et pectore infideles*. Et Burmannus n. 23.
Qui verbis blandus, fraudem celat pectore,
Hoc argumento se describi intelligat.
Quae si quis tenere mavult iudicio suo utatur.

(*) Perottus in argumentum Fabulae scripsit: *Multa esse iucunda, quae tamen sunt incommoda*. Propterea quis scriberet:
Affectus pravus ubi iucundo vinculo
Devinxit animum, gravia licet incommoda,
Ignava et mollis sustinet patientia.
Noster superius in Fabell. XIV. v. 24.
Mox arctiore vinxit animum copula.

(1) *Quum blandiretur*. Quum blanditias faceret, quum blandis verbis, modisque detineret. Hoc sensu Ovidius I. Amor. 8. v. 103.
Lingua iuvet, mentemque tegat, blandire, noceque.
Et Epist. Her. XXI. v. 195.
Et minus audacter blanditur,
et oscula rara
Accipit.

(2) *Perfida*. Quae datam fidem saepe falleret, infidelis, ut paullo post vocatur. Ovidius Epist. Her. XXI. v. 113.
Inde fit ut quoties exsistere perfida *tentas,*
Peccatum toties corrigat illa (Diana) *tuum.*

(3) *Laesus*. A meretrice.

(4) *Iniuriis*. Ulpianus Dig. XLVII. Tit. 10. Leg. 1. Iniuria, ait, *ex eo dicta est, quod non iure fiat, omne enim quod non iure fit iniuria fieri dicitur.* Auctor Rhet. ad Herenn. IV. c. 25. Iniuriae *sunt, quae aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut aliqua turpitudine vitam cuiuspiam violant.*

(5) *Prae-*

Tamen praeberet sese facilem (5) mulieri (6):
Sic infidelis (7): plures muneribus (8) licet
Contendant (9), ego te plurimi facio (10) tamen.
Iuvenis recordans (11) quotiens (12) deceptus foret (13):

Lu-

(5) *Praeberet sese facilem*. Et indulgeret, obsequens, facilis esset, morem gereret. Elegans dicendi modus. Cicero I. ad Q. Fratr. 1. c. 11. Praebere se facilem *in hominibus audiendis admittendisque*. XIV. ad Attic. Epist. 13. *Ego autem Antonio* facillimum me praebui. Similia Plinius XIII. Hist. cap. 4. Ovidius Epist. Her. XVI. v. 195. III. Art. 547. etc. In Codice haec tantum clarè ...... *et s. s. f* .... Sed vid. Lect. nostras.

(6) *Mulieri*. Ipsi meretrici.

(7) *Sic infidelis*. Supple *ait*. Nempe meretrix perfida. In Cod. *S . . inf* ...... Vid. Lect. nostras.

(8) *Plures muneribus*. Haec verba ex coniecturâ reposita sunt. Ipsa enim vestigia in Codice desunt. Sed vid. Lect. nostras.

(9) *Contendant*. Supple *de me*, ut me potiantur. *Contendo* hoc sensu eleganter usurpatur. Ovidius Epist. Her. XVI. v. 373.

Tu quoque si de te totus contenderit orbis,
Nomen ab aeterna posteritate feres.

Martialis VII. Epigr. 41.

Muneribus *cupiat si quis* contendere *tecum*,
Audeat hic etiam, Castrice, carminibus.

(10) *Te plurimi facio*. Pluris quam ceteros omnes duco, te plusquam ceteros amo. Nepos in Eumen. cap. 2. *Mortuus erat Ephaestio, quem unum Alexander* ... plurimi fecerat. Cicero III. ad Famil. Epist. 4. *Et diligentissime M. Octavius Cn. filius demonstravit me a te* plurimi fieri.

(11) *Iuvenis recordans*. In mentem revocans, in memoriam reducens. Recordari, *rursus in cor revocare*, ait Varro V. de L. L. cap. 6. Et *cor* Veteribus mentem etiam, et intimum animum significavit. Cicero autem IV. ad Attic. Epist. 17. *Navigationem valde timebam*, recordans *superioris tuae transmissionis*. Ovidius II. Fastor. v. 770.

Carpitur attonitos absentis imagine sensus
Ille, recordanti *plura magisque placent*.

(12) *Quotiens*. Quoties, quot vicibus. Eo autem pacto saepissime Veteres scripserunt, quod et Manutius, Cellarius, Dausquius in Orthograph. monuerunt.

(13) *Deceptus foret*. *Foret* pro *fuisset* Veteres passim usurparunt. Vid. Tibullum I. Eleg. 11. v. 11. Propertium I. Eleg. 17. v. 3. Et lib. IV. Eleg. 6. v. 65. Ovidium XII. Metam. v. 8. et Epist. Her. VI. v. 144. Nostrum in vulg. lib. III. fab. 10. v. 13. V. fab. 4. v. 6. fab. 5. v. 10. aliosque passim.

(14) *Mea*

Lubenter, inquit, mea lux (14), hanc vocem (15) audio,
Non quod fidelis, sed quod iucunda (16) es (17) mihi.

FABULA XXIX.

Fiber.

Canes effugere (1) quum iam non possit Fiber (2), [Grae-

(14) *Mea lux*. Nota blandientium formula. In Codice ... *L.ux*. Sed vid. Lect. nostras.

(15) *Hanc vocem*. Quod se plurimi faceret, quod se prae ceteris omnibus amaret, cunctisque praeferret. Hic *vox* non est una singillatim vox, unum verbum, sed dictum, sermo, oratio. Hoc sensu Cicero VII. Verr. c. 65. *Constitue nihil esse opis in hac* voce: *Civis Romanus sum.* Virgilius II. Aen. v. 116.

Sanguine placastis ventos et virgine caesa,
Quum primum Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quaerendi reditus, animaque litandum
Argolica, *vulgi quae* vox *ut venit ad aures*,
Obstupuere animi.

Ita lib. III. v. 171. Ita Plinius lib. XVIII. c. 6. etc.

(16) *Iucunda*. Quod mihi places. Proprie. Nam *iucunda* dicimus, quae voluptatem afferunt, suavem sensum inducunt, etiamsi aliunde grata non sint, et noceant. Ideo Ovidius III. Art. v. 729. Iucundum *errorem* dixit: Et de Remed. v. 137. *Malum* iucundum. Tum III. Am. Eleg. XI. ad rem scripsit.

Aversor morum crimina, corpus amo.

(17) *Es*. In Cod. *est*. Vid. tamen Lect. nostras.

(1) *Effugere*. Ne scilicet ab eis caperetur et necaretur. Vitare, evadere fuga. Eleganter. Ovidius VII. Metam. v. 770.

Copula detrahitur canibus, quos ille sequentes,
Effugit, *et volucri non segnius alite ludit*.

Similia II. Trist. v. 474. Naevius apud Macrobium VI. Saturn. cap. 1. etc.

(2) *Fiber*. Animal amphibium in ripis orisque fluminum vivens, unde factum ei nomen videtur, si Varroni IV. de L. L. c. 15. et Festo in voc. credimus. Nam *fibras* seu *fimbrias* Veteres oras, extremitates, fines dixerunt. De eo Plinius, Gesnerus, Buffonius, aliique plures egerunt.

(3) *Grae-*

[Graeci loquaces (3) quem dixerunt Castorem (4),
Et indiderunt (5) bestiae (6) nomen Dei (7);
Hi

(3) *Graeci loquaces*. Graecis semper obiecta est loquacitas, et inepta quaedam et importuna verbositas. Nam quum potissimum literis, Philosophia, carminibus huc illuc vagantes panem et fortunam quaererent, multa eis verborum copia et loquacitate opus erat. Cicero I. de Orat. c. 23. *Gerendus est tibi mos adolescentibus, Crasse, qui non* Graeci *alicuius quotidianam* loquacitatem *sine usu, neque ex Scholis cantilenam requirunt*. Et cap. 22. *Quid mihi nunc vos tamquam alicui* Graeco *otioso et* loquaci, *eique fortasse docto atque erudito quaestiunculum imponitis*? Lib. II. cap. 17. *Qui aut tempus quid postulet non videt, aut* plura loquitur, *aut se ostentat, aut eorum quibuscum est vel dignitatis vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est is* ineptus *esse dicitur*. *Hoc vitio cumulata est eruditissima illa* Graecorum *natio*. Vide et. Iuvenalem Satyr. III. v. 69. et seq.

(4) *Castorem*. Quod verum est. Nam etiamsi Fibri *castores* apud Romanos passim appellarentur, quemadmodum ex Plinio lib. XXXII. cap. 3. et aliis patet: et non pauci docti Viri Tertullianus puta I. advers. Marcion. c. 1. Servius ad Virgil. I. Georg. v. 58. Isidorus XII. Orig. c. 2. tamquam *castor* latina omnino vox esset a *castrando* derivarent: Attamen plane exploratum est *Castor* Graecam esse vocem, et ad Romanos a Graecis transiisse. Nam Aristoteles, qui ea aetate floruit, qua Romani vix literas adhuc noverant de *Castore*, ut notissimo apud suos animali loquutus est lib. VIII. Hist. Anim. c. 5. et propterea recte ii faciunt qui κάστωρ, veluti γάστωρ dictum putant, quod animal sit ventriosum. Unde elegantissimus Alciatus in Emblem. 152. quo et Fabellam hanc retexit:

Et pedibus segnis, tumida *et propendulus* alvo,
Hac tamen insidias effugit arte Fiber.

(5) *Indiderunt*. Imposuerunt, tribuerunt. Proprie. Plautus Rudent. IV. 2. v. 29. *Urbi Gripo* indam *nomen*. Et Mercat. III. 1. v. 19. *Ex forma nomen* inditum *est*. Similia Livius lib. XXIX. c. 27. et I. cap. 34. etc.

(6) *Bestiae*. Animali bruto et irrationali, animanti fero, et noxio. Nam *bestia* ut Ulpianus ait III. Dig. Tit. 1. Leg. 1. et IX. Tit. 1. Leg. 1. est *animans natura ferum, et hominibus noxium*.

(7) *Nomen Dei*. Nempe *Castoris*, qui putabatur filius Iovis et Ledae, Pollucis frater. Quin uterque *Castores* dicebantur, et proinde erat Romae aedes *Castorum*, de qua Plinius lib. XI. Hist. c. 43. et positam tabulam *Castorum* ipsemet scribit lib. XXXV. c. 4. Potentes autem Dii habebantur, et nautis, et athletis, et iis qui ludis Circensibus dabant operam praeesse et favere. Tum mulieres frequentissime per *Castorem* iurabant, un-

Hi (8) qui se iactant (9) de verborum copiâ (10).]
Abripere morsu fertur testiculos sibi (11),
Quia propter illos sentiat sese peti (12):

Di-

unde illa tam nota *ecastor*, *mecastor*, de quibus Gellius XI. Nocr. c. 7.

(8) *Hi*. Isti Graeci.

(9) *Se iactant*. Gloriantur. Eleganter. Cicero II. de Orat. c. 52. *Intollerantius* se iactare. Virgilius I. Georg. v. 102. *Nullo tantum se Moesia cultu iactat*. Ita Ovidius Epist. Her. XII. v. 175. Noster in vulg. lib. III. fab. 8. v. 6. etc.

(10) *De verborum copia*. Quod scilicet suus sermo esset uberrimus, quod Graeca lingua verbis, vocibus, dictionibus ad quaevis significanda et exprimenda plane abundantissima esset. Quam querelam in Graecos iam fecerat Cicero. Tuscul. II. cap. 15. *O verborum*, ait, *inops interdum, quibus* abundare te *semper putas* Graecia? Unde eis obiiciebat loc. cit. quod voce carerent, qua *dolorem* a *labore* discernerent. Tum lib. II. de Orat. c. 15. voce τῷ *ineptus* Latinorum respondente, et I. de Legib. c. 9. voce quae *vultus* exprimeret. Et proinde scribebat lib. I. de Fin. c. 3. *Sed ita sentio, et saepe disserui Latinam linguam non modò non inopem, ut vulgo putant, sed locupletiorem etiam esse, quam Graecam*. Lib. III. cap. 2. *Nos non modo non vinci a Graecis* verborum copia, *sed esse in eâ etiam superiores putamus*. Et I de Nat. Deor. c. 4. *Quo in genere tantum profecisse videmur, ut a Graecis ne* verborum *quidem* copiâ *vinceremur*. Vid. et. Prolog. supra v. 9. Animadvertendum autem est τὸ *de* in Codice desiderari, sed omnino requiri perspicuum puto. Vid. Lect. nostras.

(11) *Abripere morsu fertur testiculos sibi*. Scilicet idipsum tradiderunt praeter eos Auctores, quos supra adduximus, Plinius lib. VIII. c. 30. Aelianus lib. VI. de Natur. Anim. c. 34. Horus Apollo lib. II. Hieroglyphic. Apuleius lib. I. et V. Metam. Solinus in Polyhist. c. 13. Aesopus, sive alius quivis in Fabellâ, quae est 33. in Collect. Planudis, Ammianus Marcellinus lib. XVII. et alii plures. Id quidem falsum est, quod Sextius Medicus apud Plinium lib. XXXII. cap. 3. et Dioscorides lib. II. cap 26. perviderunt. Attamen laudandus potius est Noster, qui opportunam hanc occasionem non praeterierit, ut contemtum potissimum divitiarum, quae aetate sua periculosissimae erant inculcaret.

(12) *Sentiat sese peti*. Intelligat ad necem quaeri. Ideò conari Venatores ut eum capiant, vel occidant. Cicero apud Servium ad Virgil. loc. cit. *Fibri redimunt se eâ parte corporis, propter quam maxime expetuntur*. Plinius lib. VIII. cap. 30. *Easdem partes sibi ipsi Pontici amputant Fibri, ob hoc se peti gnari*. Unde Alciatus loc. cit. *Sese gnari ob illa peti*. In Codice quidem est *se*. At versiculus claudicat.

(13) Di-

Divinâ quod ratione (13) fieri non negem.
Venator namque simul (14) invenit remedium (15),
Omittit ipsum persequi (16) et vocat canes (17).
Hoc (18) si praestare (19) possent Homines, ut
suo (20)

Vel-

(13) *Divina ratione*. Animo praesago, consilio futurum praesagiente, mente quae divinatur futura. *Ratio* vulgo est vis et facultas, qua homines ab animantibus brutis secernuntur. Attamen quum *ratio* ex potestate sua sit facultas iudicandi et aestimandi quaedam, ideo et bruta animantia quadam ratione et consilio agere dicere possumus; etsi ratione uti κατ' ἐξοχὴν, et ipso ratiocinandi habitu praedita esse dici nequeat. Nam revera iudicant, antecedentia cum consequentibus copulant, provident sibi, et plura solertissime excogitant et faciunt. *Divinus* autem hac sententia latinum et elegans est. Cicero I. de Div. c. 37. *Melancholicos habere aliquid in animis praesagiens atque divinum*. Et cap. 29. *Nihil illo Atinati somnio fieri posse divinius*. Horatius lib. III. Od. 27. v. 8.

Antequam stantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum.

Similia Silius Italicus lib. III. v. 344. Et Apuleius lib. I. Metam. p. 5.

(14) *Simul*. *Simul ac*. Vid. Fab. XXI. v. 4.

(15) *Remedium*. Castoreum scilicet, quod Fiber ad Venatorem, ut periculum fugeret, proiecerat. Eius semper multus fuit in medicina usus, ut singillatim Plinius docet lib. XXXII. c. 3. Illud ex Ponto mercabantur ubi optimum; unde Virgilius I. Georg. 58. *Virosaque Pontus Castorea* mittit. Ad rem autem Iuvenalis Satyr. XII. v. 34.

... *Imitatus Castora, qui se*
Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno
Testiculorum, adeo medicatum *intelligit inguen*.

(16) *Omittit ipsum persequi*. Amplius eum non insequitur, non interest amplius sua, ut Fiber capiatur vel necetur. Silius Italicus lib. XV. v. 488.

Fluminei veluti deprensus gurgitis undis
Avulsa parte inguinibus causaque pericli,
Enatat intento praedae Fiber avius hoste.

Syntaxis autem Latina. Plautus Persa III. 3. v. 26. Omitto *iratus esse*. Et IV. 4. v. 90. *Iam de istoc rogare* omitto. Sic Horatius III. Od. 29. v. 11. Et I. Epist. 18. v. 79. etc.

(17) *Vocat canes*. Vocat ad se, ne amplius Fibrum insequantur.

(18) *Hoc*. Scilicet quod fecit Fiber, qui pretium dedit, ut vitam haberet, qui divitias, ut ita dicam, suas proiecit, ut securus et tutus viveret.

(19) *Praestare*. Efficere, exsequi, opere perficere. Proprie.

Ita

Vellent carere (21), tuti posthac viverent (22):
Haud quisquam insidias (23) nudo faceret corpori (24).

FA-

Ita Auctor in vulg. I. fab. 31. v. 9. Lib. III. Prolog. v. 14. Fab. 7. v. 8. et alibi.

(20) *Ut suo.* Suis opibus, suis fortunis, suis divitiis. Meum tuum, suum substantive sumta eleganter meas, tuas, suas fortunas significant. Terentius Adelph. I. 2. v. 37.

Obsonat, potat, olet unguenta de meo.

Plautus Trinum. II. 2. v. 34. *Ne suum adimeret alteri.* Sic Cicero XIII. ad Famil. Epist.26. Livius lib. IV. c. 59. Ulpian. et Pompon. Dig. XLI. Tit. 2. qui inscribitur: *Pro suo.*

(21) *Vellent carere.* Si scilicet volentes prudentesque opes quas exaggerassent, deponerent, proiicerent, ut Cratetem Thebanum, Anaxagoram Milesium, Democritum Abderitam, aliosque plures fecisse constat. V. Diog. Laert. de vit. Philosoph. lib. I. VI. IX. etc. Tum etiam si tenuioribus fortunis instructi ab adquirendis et accumulandis divitiis abstinerent vel desisterent.

(22) *Tuti posthac viverent.* Scilicet postquam abiecissent divitias, et ab eis aggerandis abstinuissent ab omni periculo essent tuti.

(23) *Insidias faceret.* Tenderet, strueret, moliretur. Eleganter. Terentius Eunuch. III. 3. v. 26. *Dico ego mihi insidias fieri.* Cicero ad Q. Fratr. II. Epist. 3. *Nobiscumque communicat insidias vitae suae fieri.* Sic IV. Famil. Epist. 2. etc.

(24) *Nudo corpori.* Homini nempe cui unum fere corpus nudum superesset; homini bonis spoliato, homini fortunis divitiisque experti. Hoc sensu *nudus* eleganter sumitur. Cicero pro Flacc. cap. 22. *Quem tu semper nudum esse voluisti.* Horatius II. Satyr. 3. v. 184 *Nudus agris, nudus nummis.* Similia Ovidius I. Trist. Eleg. 5. v. 7. Metam. XIL. v. 439. in Ibin. v. 331. etc. Sensus autem est: Si homines opibus renuntiarent, parvoque contenti essent, tum securissimi degere vitam possent. Nam quis tentaret spoliare nudos, quis nudo vestimenta detraheret, quis captaret fortunas egeni? Divites periculis obnoxii: Opulenti insidiis petuntur. Recte omnino. Similia in vulg. etiam lib. II. fab.7. v. 13. et lib. V. fab. 4. praedicabat Phaedrus. Horatius autem non abs re lib. I. Satyr. I. v.94.

Eumodius quidam, non longa est fabula, dives
Ut metiretur nummos . . . at hunc liberta securi
Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.

Vid. et. si lubet Propert. III. Eleg. 5. v. 1. Iuvenal. Satyr. X. v. 12. et seq. etc.

(1) *Pa-*

FABULA XXX.

Papilio, et Vespa.

Papilio (1) Vespam praeter volitantem (2) videns, O sor-

(1) *Papilio*. *Papilio* generatim alati insecti genus est, quod ex verme per quasdam metamorphoses fit. Innumerae vero eorum sunt species, quae quum inter se variissime discriminentur, haud de quoque Papilione loqui Auctor potuit. Nuspiam sane in Fabella aperit de quanam singillatim papilionum specie agat: Dici tamen potest, ut ego arbitror, Bombylium, seu Bombycum papilionem spectasse, quod forte in Promythio vel in Epimythio expresserat. De his Clemens Alexandr. Paedag. lib. II. p. 86. Ed. Sylburg. *Est* Bombyx *primum vermis, deinde aspera ex eo nascitur Eruca, postquam in tertia metamorphosi innovatur* Papilio, *quem appellant* νεκύδαλον, *ex quo longum stamen nascitur, quemadmodum ex aranea tela araneae*. Tertullianus de Pallio c. 3. ex lectione Salmasii: *Prorsus haud latet* Bombycem, *vermiculi genus est, quae per aerem liquando aranearum more horoscopis idonias sedes tendit, dehinc deverat, mox vacuo reddere, proinde si necaveris, nematam iam, stamen alvo evolves*. Tum Plinius lib. XI. cap. 22. *Quartum* inter haec (apes, vespas, crabrones) *genus est* Bombycum *in Assyria proveniens, maius quam supradicta. Nidos luto fingunt salis specie applicatas lapidi tanta duritie, ut spiculis perforari vix possent. In iis et ceras largius, quam apes faciunt, deinde maiorem vermiculum*. Tum ex lectione Aldovrandi lib. II. de Insect. c. 3. *Est et alia horum origo e grandiore vermiculo gemina praetendens cornua. Hinc eruca fit, quae et* Bombyx *appellatur, ex eo necydalus, et hoc in sex mensibus* Bombylius. *Telas araneorum modo texunt ad vestem luxumque feminarum, quae bombycina appellatur*.

(2) *Praeter volitantem*. Ob oculos suos, ante se veluti in contemtum, et perinde ac esset se fortior et validior. Auctor in vulg. lib. II. fab. 6. v. 6. ex lectione Codicis Perottini:

Venit per auras Cornix et
praeter volans.

Vide quae lib. II. fab. 1. ad hunc versiculum adnotamus. *Volitare* autem proprie de insectis. Virgilius III. Georg. v. 147. De alio insectorum genere: *Asilus volitans*. Plinius lib. XI. c. 18. Papilio . . . *luminibus accensis advolitans*.

(3) O sor-

O sortem miseram (3), ductam (4) de barathris (5), ait (6):

Quorum (7) ex reliq.

(3) *O sortem miseram*. Papilionis exclamatio: Ita Seneca in Medea v. 431.

O dura semper fata, et sortem *asperam*!

In Hippol. v. 988.

O sors *acerba et dura*!

Vid. etiam supra Fab. XX. v. 9.

(4) *Ductam*. Eductam, acceptam, haustam, tractam. *Duco* hac sententia latine et recte sumitur. Ita Ovidius I. Metam. v. 402. *Ducere formam*. III. v. 482. *Ducere colorem*. Horatius IV. Carm. 2. v. 58. *Ducere notam*. etc.

(5) *De Barathris*. Nempe, ut ego puto, ex folliculis, quibus Bombyces antequam papiliones fierent se includunt. *Barathrum* quidem Graeci et Romani voraginem, foveam, altam scrobem appellabant: verum haud mirum a Papilione folliculos, quibus se tumulat, dici *barathra*, nam primum de re odiosissima invidiosissime loquitur, unde quaevis hyperbole videtur opportuna, tum etiam quod folliculi respectu sui revera sunt foveae et barathra. Ita Plautus Curc. I. 2. v. 24. Horatius II. Satyr. 3. v. 66. I. Epist. 15. v. 31. Martialis III. Epigr. 88. *Ventrem helluonis* dixerunt *barathrum*. Is iterum I. Epigr. 81. *Uterum muliebrem*: et Plautus Bacch. I. 3. v. 41. *Meretricem*. Tum Noster in vulg. lib. IV. fab. 5. v. 10. Mustelarum *ventrem* tartareum *specum* dixit. Et Hieronymus Vida Poeta elegantissimus, et vix principibus Veterum concedens eos ipsos folliculos Papilionum, domos clausas, carceres tenebrosos appellavit, in lib. II de Bombyce v. 258. et seq. qui locus urpote venustissimus totus legi meretur. Sed hac de re et alia non pauca in Lection. nostris adnotavimus.

(6) *Ait*. Quoad totum versiculum haec tantummodo perspicue ex Codice colliguntur:

O sortem m . . . . d . . . .
m . ba . . t . . s.

Nos plura in Lectionib. coniecimus ad versiculum commodo aliquo pacto restituendum: Sed quum in Codice scriptum fuisse videatur, ut ibi monuimus.

O sortem miseram ait ductam e barathris.

Ideo leviori emendatione reponendum modo duximus:

O sortem miseram, ductam de barathris, ait:

(7) *Quorum*. Nempe barathrorum, folliculorum.

(8) *Ex reliquiis*. Quidquid ex integra aliqua re quae dissolvitur restat, quidquid est reliquum *reliquiae* generatim dicuntur. Speciatim vero reliquiae dicebantur, quae ex defunctis et crematis corporibus supererant, et in sepulcris condebantur. Tum ipsa cadavera, et corpora quod essent hominum veluti reliquiae, et reliqua eorum tantummodo pars. Quo sensu certe Seneca Epist. 92. scripsit: *Neminem de supremo officio rogo, nulli* reliquias *meas commendo*: *ne quis insepultus esset rerum*

10 *Na-*

Quorum (7) ex reliquiis (8) animam nos accepimus (9).

Ego

Natura prospexit, quem saevitia proiecerit dies condet. Tum Noster supra Fab. XIV. v. 8.

Verum reliquias *ne quis posset tollere*,
Custodes dantur milites cadaverum.

Auctor autem inducere potuit Papilionem vocantem *reliquias* corpus suum, quod in folliculum clauderet: quia in eo tamquam in sepulcro et conditivo se veluti mortuum et defunctum componeret et sepeliret. Certe Graeci omnino νεκύδαλον, mortuum nempe et defunctum appellarunt. Et Vida, cuius versiculos paullo post afferemus, in ipsum Orcum demittit, et ad Stigem, et ad Direm, et ad Cerberum. Nec Ovidius lib. XV. Metam. v. 371. alia ex caussa *ferales Papiliones* dixisse videtur, nisi quod tamquam ex sepulcro, ex reliquiis conditis ad vitam regredi videantur. Ex Codice autem tantum ex *re*....... constat, quamobrem lectionem coniecturâ tantum proponimus.

(9) *Animam nos accepimus*. Fortasse hîc *anima* haud vulgari et recepto sensu, sumenda est, sed alio et penitiori. Graeci papilionem ψυχὴν etiam, ut ex Aristotele V. Hist. Anim. c. 19. Plutarcho II. Symp. Probl. 3. Hesychio in voc. atque aliis pater, *animam* nempe plane appellabant; Insectum scilicet quod *anima*, aura, vento duceretur. Quidni ergo *anima* apud Nostrum esse posset species, formâ papilionis, quâ volatilis factus esset, et *animâ* vehendus? In Codice ANUM vel ANAM, ut visum est, *nos*, et quoddam *a*, quam octo vel novem literae sequerentur, sed deletae. Quin illud *a* perspicuissimum omnino non est, et *ro re* lineolis literarum humore detritis, et corrodundaris esse potuit, ut quis legeret *recepimus*. Quod qui facit, tum *animam* in vulgari et magis obvio et perspicuo sensu sumere potest, ut arbitror. Nam defunctus recipere, resumere, reducere animam dici potest. Quamobrem utriusque versiculi sententia esset. O sortem acerbam, o fatum miserum et triste, quod nos duximus ex iis folliculis, ex quibus iterum sumsimus animas, et in lucem denuo revocati sumus. Haec dici puto non absurde, quum potissimum propositae lectiones vestigiis Codicis pressius inhaerere sunt visae. Attamen si *ro barathris* non pro folliculis, sed pro Inferis, pro Tartaro, pro Orco sumitur: Si *ro re* .... non *reliquiis*, sed *recessibus* legimus, tum magis obvia forte et facilis sententia exsurgeret. Esset enim huiusmodi. O sortem miseram, quam nos ex ipso Orco et Inferis traximus, ex quorum recessibus, profunditatibus, latebris recepimus, resumsimus animas nostras. Vida quidem scitissime loc. cit. haec scribit, ipsam Venerem, cui Bombyces parvuli Amores necaverant ab Orco eos revocantem fingens:

Infernas etiam sedes, atque atria Ditis

Atqu

Ego eloquens (10) in pace (11), fortis praeliis (12),

5 Ar-

Aegra adiit, quo moestae animae post fata feruntur
Squamigerum pecudum, atque hominum, vitaeque volantum,
Si forte ipse sibi patruus Rex maximus Orci,
Annueret paucas animas in tarda reverti
Corpora, ut inde novam sobolem revocaret in auras:
Iamque ibant umbrae tenues Styga circumfusae
Obscuram, nigrosque lacus, et rauca fluenta.
Tum Dominae adventu laetae circum ora volantes,
Nondum oblitae alis plausere, et signa dederunt
Laetitiae, nondum trans livida flumina vectae.
Agnovit Venus et secum est laetata repertis:
Quam Saturnius horrentis Regnator Averni,
Ut procul adspexit multo est dignatus honore,
Permisitque animas in corpora tarda reverti
Rursus, ut extinctam sobolem revocaret in auras,
Seminaque his generis penitus repararet ademti,
Utque sequi possent dominam supera alta petentem,
Corporibus geminas renovatis addidit alas.
Hanc legem posuit tamen, ut genus omne quotannis
Alitis in faciem se post opera atque labores
Verteret, et nigros Orci bis viseret amnes.

Et paullo post:

Diffisi memoresque sui, sed tum neque gustant
Pabula, nec vitae quaerunt alimenta prioris.
Tantus adhuc memores timor atri detinet Orci:
Nunc etiam ante oculos Styx livida, nigraque Regna,
Tartareique canis tria guttura, monstraque Ditis
Impacata, brevis ne vitae gaudia quaerant.

Quidni ergo Vida aliquam veterem Fabulam spectare potuit, et eam etiam Auctor noster? Quin, quum Bombyces folliculis clausi haberentur ut plane mortui, quod fecit Vida, et Auctor facere potuit, eos nempe iterum ab Inferis et Orco revocare. *Barathrum* autem pro Orco et Tartaro sumitur. Diomedes lib. I. Barathrum *locus apud Inferos.* Atque hoc sensu Plautus Bacch. I. 2. v. 41. Virgilius VIII. Aen. v. 245. Valer. Flaccus II. Arg. v. 86. et v. 192. Claudianus I. de Rapt. Pros. v. 37. aliique vocem usurparunt. *Recessibus* autem eleganter ea sententia sumitur. Ovidius Metam. X. v. 691. Recessus *speluncae similis.* XI. v. 592. *Longo spelunca recessu.* Petronius Satur. c. 80.

. . . Stipant graves
Equi recessus Danai, et in voto latent.

Similia Plinius lib. III. c. 1. Cicero pro Marcell. c. 7. Plinius Caec. lib. III. Epist. 3. Altera ergo haec lectio commode procedere videtur. Verumtamen *re barathris* plurali numero, pro celeusmaticus qui in secundo versiculo recipiendus est, nescio quid *l* quod post *re* apparet ad priorem lectionem animum inclinant.

(10) *Ego*

Arte omni princeps (13), antea (14) qualis fui,

En

(10) *Ego eloquens*. Disertus, facundus, copiosus in dicendo. In Cod. *Ego loquens*. Sed quid non loquebatur etiam tum? Quin saepe *eloquens* est ipsum *loquens*, unde nil sententiae vereri possumus. Id autem dico, quod mihi ignotum sit, quid Auctor singillatim spectaverit. *Bombyx*, *Bombylius* a *bombo*, seu strepitu et clamore quodam, quem edunt, dictus fertur a Suida et aliis. Sed nescio quantum ad eloquentiam vel etiam ad loquendum id faciat.

(11) *In pace*. Ex Cod. *in p*... reliqua vocis parte plane deleta. Quid autem legere nisi *pace*? Vid. Lect. nostras.

(12) *Fortis praeliis*. Quae Bombycis, aut cuiusvis vermis aut erucae, unde Papilio prodit praelia, quae pugnae, quae bella? Quid fortis, si inertissimum est insectorum, ut vermis, et ut ales ignavus et *inhonoratus*, ut Plinii verbo utar lib. XI. c. 19? Sed Veteres putabant plura insectorum genera primam originem suam ab animantibus maioribus ducere, puta a tauris, equis, asinis, mulis aliisque huiusmodi, qui putredine corrupti in ea verterentur et immutarentur, ut modò uberius dicemus. Quidni autem his verbis Auctor equinam originem vermiculo Papilionis adstruere voluit? Certe quum inducat Papilionem Vespae obiicientem originem ex mulo, videtur quidem de nobiliori Papilionis origine loqui debuisse. Equus autem nobilissimum animal est, et in praeliis certe fortissimum, et ad ea veluti factus. Virgilius III. Georg. v. 83. de eo loquens scribit:

... Tum si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, et tremit artus,
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

Papilio scilicet loqueretur perinde ac si fuisset antea Equus, ut Vespae obiicit eam extitisse mulum. Sed quid tum *loquens* vel *eloquens in pace*? Fateor hîc impediri. At aliam forte Metamorphosim spectare Auctor potuit, vel locus in mendo cubat. Quid si legeretur *ego elegans* nempe venustus, concinnus, pulcher? Vel *ego valens* scilicet robustus validus, nervosus, quae egregie omnino iis responderent, quae mox Papilio ait:

En cuncta levitas putris, et volito cinis.

In hac lectione *ego* produceret alteram syllabam, sed id et alii plures summi Poetae fecerunt. Verum haec Docti omnino expendant.

(13) *Arte omni princeps*. Primus in omni arte, praecipuus artifex, primus in quocumque artificio. Et haec Oedipo egent. Forte tamen spectavit Auctor artificium quod exercent *Bombyces*, vel quum erucae sunt, vel quum folliculos sibi componunt. Licet enim ei tam hyperbolice loqui, quod invidiosissime loquatur. De telis et tegminibus Bombycum iam diximus ad v. 1. Haec autem addit Plinius lib. ibi cit. c. 23. Bombycas *et in Co insula nasci tradunt, cupressi, terebinthi, fraxini, quercus florem imbribus decussum terrae halitu animante.*

Fieri

En cuncta (15) levitas putris (16), et volito cinis (17).

Tu

Fieri autem primo papiliones parvos nudosque, mox frigorum impatientia villis inhorrescere, et adversum hyemem tunicas sibi instaurare densas, pedum asperitate radentes foliorum lanuginem in vellera. Hanc ab his cogi subigique unguium carminatione, mox trahi inter ramos, tenuari ceu pectine, postea apprehensam corpori involvi nido volubili. Tum ab homine tolli, fictilibusque vasis tepore, et furfurum esca nutriri, atque ita subnasci sui generis plumas, quibus vestitos ad alia pensa dimitti. Princeps autem ea sententia elegans. Terentius Adelph. II. 3. v. 6.

> *Itaque unam hanc rem habere praeter alios praecipuam arbitror,*
> *Fratrem homini nemini esse primarum artium magis* principem.

Similia Cicero II. de Div. c.42. Plinius VII. Hist. c. 29. etc.

(14) *Antea*. Vox ex coniectura restituta. In Codice locus est plane vacuus, qui eam tamen congruentissime capit: Porro videtur recte ad sententiam facere.

(15) *En cuncta*. Supple *mea* vel *mei*, ut arbitror. Quidquid ego modo sum, quantus quantus sum, totus et integer. Simili Syntaxi Horatius II. Carm. I. v.23. Cuncta *terrarum subacta*. Tacitus III. Ann. c. 35. Cuncta *curarum ad Principem reiicerent*. Et V. Hist. c. 10. Cuncta *camporum*. Tum propius ad sententiam Ovidius Metam. I. v. 292. Omnia *pontus erat*: Et Virgilius Eclog. VIII. v. 58. Omnia *vel medium fiant mare*.

(16) *Levitas putris*. Factus sum quid leve, inane, putre, levissimum animalculum. *Levitas* est quod gravitati opponitur. Lucretius III. v. 387.

> . . . *Plumas avium, papposque volantes,*
> *Qui nimia* levitate *cadunt plerumque gravatim.*

Plinius lib. XIII. c. 22. de ferula. *Nulli fruticum* levitas *maior*. Unde Martialis lib. VIII. Epigr. 33.

> *Illa potest culicem longe sentire volantem,*
> *Et minimi pennâ papilionis agi.*

Illud autem *putris* ideo usurpari potuit, vel quod ex putribus reliquiis emergere papiliones videantur, vel quod nescio quid putre et corruptum emittant.

(17) *Et volito cinis*. Qui ex reliquiis sepulcri, et veluti cineribus emersi, vel potius qui modo in cinerem absolvar, qui volito iam iam futurus cinis. Notum est papiliones ad paucissimos tantummodo dies vivere. Auctor autem in vulg. lib. III. fab. 9. v. 4. *Dummodo absolvar* cinis. Martialis V. Epigr. 13.

> *Quodque* cinis *paucis hoc mihi vita dedit*.

Et Plinius lib. XXXIV. c. 10. *Redire in* cinerem. Ego coniiciebam *volitans cinis*, ut una esset in versiculo syntaxis; *cinerem* illum pulverem autumans, quo omnia quae tangunt papiliones inficiunt, vel etiam lectionem ad superiorem sententiam adducens, ut *volitans cinis*, sit quod *ex cineribus* volitet, vel mox *in cineres* vertendum. Sed in contumaci ista Fabella

hae-

Tu, (18) quae fuisti mulus clitellarius (19),
Quemcumque visum est, laedis infixo aculeo (20).
Et Vespa dignam moribus (21) vocem edidit (22):
Non qui fuerimus (23), sed qui nunc simus vide (24) (*). FA-

haereamus pressius vestigiis Codicis, quae illi lectioni favent.

(18) *Tu*. Vespa.

(19) *Fuisti mulus clitellarius*. Qui clitellas onera et sarcinas ferret. Nam plures erant, qui currus veherent, quod lib. II. fab. 6. v. 1. observabimus. Ideo Plautus Mostell. III. 2. v. 93.

Nam muliones mulos clitellarios
Habent. . .

Columella lib. II. R. R. c. 22. *Collo aut* mulo clitellario *afferre* aliquid *permittitur*. Auctor autem his verbis Fabellas de Vesparum generatione vulgatas, ut innuimus, spectat, quae tamen variae erant, et discrepantes. Plinius lib. XI. cap. 20. *Virgilius iuvencorum corpore exanimato oriri Apes putat, sicut equorum Vespas, atque crabrones, sic asinorum scarabaeos, mutante natura ex aliis quaedam in alios.* Servius ad Virgil. I. Aen. v. 435. *Proprie tamen Apes vocantur ortae de bobus, fuci de equis, crabrones de mulis, vespae de asinis*. Et Archelaus apud Varron. de R. R. lib. III. c. 16. *Vespae ex equis, Apes ex iuvencis gignuntur*.

(20) *Infixo aculeo*. Proprie. Cicero de Finib. V. c. 15. *Cornibus uti videmus boves, Vespas* aculeis.

(21) *Dignam moribus*. Asperis, improbis.

(22) *Vocem edidit*. Eleganter. Cicero II. Tusc. c. 20. *Quas hic* voces . . . edit. Valer. Flaccus IV. Arg. v. 74.

Tales edere voces.

Vid. et. Nostrum in vulg. lib. I. fab. 12. v. 12. Et fab. 14. v. 13. *Vox* autem hic eadem potestate sumitur ac Fab. XXVIII. v. 7.

(23) *Qui fuerimus*. Quales quantique iam pridem fuerimus, quanta gloria laude dignitate antea floruerimus. *Qui* hic est *qualis*, *quantus*. Cicero pro Muren. c. 15. *Si diligenter quid Mithridates potuerit, et* qui *vir fuerit considerabis*. I. de Div. c. 25. *Xenophon Socraticus* qui *vir et quantus*. Non abs re autem illud Virgilii II. Aen. v. 325.

. . . Fuimus *Troes*, fuit *Ilium*, *et ingens*
Gloria Teucrorum . . .

(24) *Sed qui nunc simus vide*. Attende qua modo fortuna, qua sorte utamur, quibus dotibus, muneribus simus modo praediti, videamus non praeteritam, sed praesentem nostram conditionem.

(*) In huius Fabellae Epimythium haec scriberem:

Hoc illis dictum vanum qui decus crepant,
Virtutem veterem, nobilitatem pristinam,
Et ludos praebent tamen inopis inertiae.

Crepare hoc sensu rectum. Lucretius lib. II. v. 1166.

. . . *Laudat fortunas saepe parentis*,
Et crepat *antiquum genus etc.*

Horatius lib. I. Od. 18. v. 5.

Quis

FABULA XXXI.

Terraneola, et Vulpes (*).

Avis, quam dicunt terraneolam (1) Rustici,
In terrâ (2) nidum quia componit scilicet,
Forte occucurrit (3) improbae Vulpeculae (4);
Qua

Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepat? *Praebere* autem *ludos* est praebere quid unde illudantur et ludificentur. Plautus Rudent. III. 5. v. 11. *Numquam quisquam me lenonem dixerit, si non te ludos pessimos dimisero.* Et III. 1. v. 1. *Miris modis Dii ludos faciunt hominibus.* Terentius Phorm. V. 7. v. 52. *Ut ludos facit.* Perottus autem in argumentum Fabellae haec praefigebat. *Non praeteritam, sed praesentem adspiciendam esse fortunam.* Quorum verborum quae Phaedriana essent, vel Phaedrianis simillima perspicere non valui.

(*) Perottus in Fabellae sententiam scripsit: *Pravis non esse fidem adhibendam.* Equidem ipsius Phaedri verba adscribetem:

Qui verba darè contendunt cautis hominibus,
Et perdunt operam et deridentur turpiter.

Quae desumta sunt ex fab. 25. lib. I. praeter priora *qui verba darè contendunt*: Quae tamen et Phaedriana sunt. Vide lib. III. fab. 3. v. 15. lib. I. fab. 17. v. 5. lib. IV. fab. 20. v. 5. lib. V. fab. 5. v. 18.

(1) *Terraneolam.* Hanc avem ex genere Alaudarum isto nomine etiam modo nuncupant nostri Rustici. Vulgo vox in Lexicis non occurrit. Habet tamen in Cornucopiâ Perottus dubio procul ex hac Fabellâ, et ex Cornucopiâ Robertus Stephanus in Lexico.

(2) *In terra.* Omnino humi, in solo. Hoc sensu Plinius lib. X. cap. 62. *Ova in terra incubant, et foetum sequente excludunt anno.*

(3) *Forte occucurrit.* Iuxta terram scilicet volans, circa nidum se versans, facta obvia est. In Cod. *forte occurrit.* Sed quae potior via ad restituendum versiculum? Plautus Mercat. I. 2. v. 88.

Occucurri, *atque interpello,*
matri te ancillam tuae
Emisse illam.

Et in vulg. lib. III. fab. 7. v. 3. etiam *forte occucurrit* legendum esse plures docti Viri existimarunt, quod nos lib. II. fab. 10. v. 3. recepimus.

(4) *Vulpeculae.* Vulpecula hic non vulpes parva, vulpes ceteris

Quâ visâ (5) pennis altius se sustulit (6).
Salve (7), inquit illa (8), cur me fugisti (9); obsecro,
Quasi non abunde sit mihi in prato cibus (10);
Grilli, scarabaei, locustarum copia (11).

Non

ris mole et corpore minor, sed ipsa vulpes, et ad lepôrem, et venustatem. Auctor Carm. de Philomenâ v. 59.

Fallax vulpecula *gannit*.

Et Noster in vulg. lib. IV. fab. 8. v. 1. et 10.

Quum cecidisset vulpes *in puteum inscia*.

. . . . , *Tum* vulpecula.

(5) *Quâ visâ*. Qua vulpe visa, conspecta.

(6) *Altius se sustulit*. Altius in aërem sese elevavit, in maiorem aëris altitudinem volavit. Nam erat in aëre. Animadvertendum autem est hoc genus avium se revera paullàtim, et sensim in aërem levare, et diu ibi, ut ita dicam, immobiles manere, et canendo, et leviter volitando se sustinere. Verba autem proprie sumuntur. Horatius II. Od. 7. v. 13.

Sed me per hostes Mercurius celer

Denso paventem sustulit *aëre*.

Ovidius XV. Metam. v. 848. *Lunâ volat* altius *illa*.

(7) *Salve*. Salutandi formula, et proprie quum amici invicem occurrerent. Vid. Terentium Phorm. II. 1. v. 56. Et v. 24. Andr. I. 5. v. 32. Adelph. III. 4. v. 15. etc.

(8) *Inquit illa*. Vulpecula Terraneolae.

(9) *Cur me fugisti*? Qua ex caussa occursum meum horruisti, me veluti tibi infensam et infestam fugisti? *Fugere* aliquem est fugere ab aliquo, quod ab eo malum damnumque timeatur. Hac syntaxi et sententiâ Horatius I. Satyr. 3. v. 84.

. . . *Paullum deliquit amicus*,
Odisti et fugis, *ut Drusonem debitor aeris*.

Ovidius I. Metam. v. 506.

Sic aquilam penna fugiunt *trepidante columbae*.

Ita v. 515. XIII. Epist. Her. v. 3. XIV. v. 28. etc.

(10) *Abunde sit mihi cibus*. Syntaxis recta. Sallustius B. Iugurth. cap. 102. *Parentes* abunde *habemus*. Et cap. 14. *Abunde magna praesidia*. Alibi forte elegantius *abunde cibi*. Hîc tamen omnino cibus, ut arbitror. Sequitur enim *Grilli*, *scarabaei*, primo casu, non secundo.

(11) *Copia*. Abundantia. Sensus autem est: Tu Terraneola me adeo fugisti, perinde ac non essent in prato innumeri grilli, scarabaei, magnâ abundantia locustarum, quibus lubentissime vescor, et ideo carnem tuam appeterem, et te devorare caprarem. Scilicet ne me fugias, ne timeas a me, noli vereri quidpiam mali a me. Nam ingens cibi copia mihi in pratis est paratissima. Quoad metrum vero versiculi, quod optimum ducimus, satis in Lection. diximus.

(12) Non

Non est quod metuas (12), rogo (13), te multum diligo (14),
Astutos propter mores (15), et vitam probam (16).
Respondit contra (17) : Tu quidem (18) bene praedicas (19),
Non sum tamen propius tibi (20), sed sum sub dio (21):

Quin

(12) *Non est quod metuas*. Nulla caussa adest, quod a me aliquid mali timeas. Plautus Pseud. IV. 6. v. 4. *Nihil est quod metuas*. Cicero pro Rosc. Amer. c. 34. *Nihil est*, Glaucia, *quod metuas*. Ovidius I. ex Pont. I. v. 25. *Quod metuas non est*. Vid. etiam. Fab. XI. v. 9. Fab. XIV. v. 27. Ex Codice ... *est quod m... uas*.

(13) *Rogo*. Verbum hac Syntaxi eleganter usurpatur. Ovidius XI. Epist. Her. v. penult.

Tu, rogo, *proiectae nimium mandata sorori*
Perfer.

(14) *Te multum diligo*. Plautus Persa II. 5. v. 2. *Dic me illam amare* multum. Horatius Epod. XVII. v. 20. Amata *nautis* multum. In Cod. *Te .... um diligo*.

(15) *Astutos propter mores*. Propter urbanitatem et solertiam morum tuorum ; quod astuta, solers, ingeniosa sis. In Codice *Propter . s . . tos mores*. Quid inde vero nisi *propter astutos mores*? Vid. Lect. nostras.

(16) *Et vitam probam*. Integram, a scelere et improbitate puram et immunem, etsi astuta sis, et prudens.

(17) *Respondit contra*. Terraneola. De *contra* vide Fab. XXV. v. 4.

(18) *Tu quidem*. Ex Codice *T . . . idem*.

(19) *Bene praedicas*. Supple *de me*. Proprio. Nam *praedicare* est magnifice et cum laude loqui, sermone celebrare, verbis extollere. Cicero pro Arch. c. 9. *Nostra semper feretur, et praedicabitur pugna*. Et c. 11. Praedicari *de se, et nominari volunt*. Tum XI. Philipp. c. 13. *Quae de illo viro Sylla, quae Muraena, quae Servilius, quae Lucullus, quam ornate, quam honorifice, quam graviter saepe in Senatu* praedicaverunt.

(20) *Non sum tamen propius tibi*. Terraneola ut vafritiem Vulpis calliditate superaret, urbane respondit : Eam ignoscere sibi debere nisi tum accederet, et sisteret se coram. Nam non erat prope, non iuxta, non in terrá. *Propius* dandi casui latine coniungitur. Virgilius I. Georg. v. 355.

Agricolae propius stabulis *armenta tenerent*.

IV. v. 41. *Neu* propius tectis. Aen. VIII. v. 556. Propiusque periclo *it timor*. Ex Codice *Non s . . . . p . . p . . . tibi*. Sed vid. Lect. nostras.

(21) *Sed sum sub dio*. Sum in aëre, sum in sublimi, sum altius sublata. Terraneola enim ex aëre suspensa loquitur. *Dium* enim

Quin sequor (22), et sic (23) vitam tibi committo meam (24).

FA-

enim Veteres circumiacentem aërem, et quod super nos est appellabant, et ipsum Coelum. Metrum autem versiculi constat. Nam *dio* primam recte corripere potest, ut ostendisse in Lect. nostris putamus.

(22) Quin sequor. Quin pergo, quin inceptum iter per aëra prosequor, quin progredior. Scilicet ut magis a vulpe abiret, ut longius recederet, et ita ostenderet dolos eius probe intellexisse, nec pati dari sibi verba. In Cod. *Quin seq . . . et* etc.

(23) *Et sic*. Hoc pacto. Nempe longius recedens a te. Ita callide vulpina vafricies ridetur. Ex Codic. *τὸ sic* non colligitur perspicue, sed loco plane congruit, quem vestigia reliquerunt, et puto nihil satius hîc facere.

(24) *Vitam tibi committo meam.* Astute. Nam vulpes illis verbis subdolis id efficere cupiebat, ut Terraneola sibi vitam suam committeret. *Committo* eleganter. Cicero II. Offic. c. 33. *Itaque his salutem nostram, his fortunas, his liberos rectissime committi arbitramur*. Terentius Andr. I. 5. v. 61.

Te isti virum do, amicum, tutòrem, patrem,
Bona nostra haec tibi committo, *et tuae mando fidei.*

Horatius II. Satyr. 7. v. 67.

Committes *rem omnem, et vitam, et cum corpore famam.*

τὸ vitam ex coniecturâ quidem repositum est, quum verbum in Codice deletum foret. Verum ita loco congruit, et ita recipi a sententia visum est, ut quid melius ad rem faciat haud forte inveniri putem.

(1) *Ne-*

FABELLARUM PHAEDRI EPITOMES

LIBER ALTER.

FABELLAE VETERES.

FABULA I.

Aquila, Cornix, et Testudo.

Contra potentes nemo est munitus satis (1):
Si vero accessit (2) Consiliator maleficus,
Vis et nequitia (3) quidquid oppugnant, ruit (4).
Aqui-

(1) *Nemo est munitus satis.* Nemo est sat fortibus praesidiis instructus et septus, nemo sat munire se et vallare potest contra eos qui divitiis, auctoritate, gratiâ multum possunt, et aliquem opprimere conantur. Apposite *munitus*. Nam eleganter metaphora ab urbis, arcisve *oppugnatione* desumta hîc adhibetur. Hinc etiam Ciceró pro Flacc. c. 41. *Omnium bonorum praesidio* munitus. De Harusp. Resp. cap. 7. *Domus humano et divino iure* munita. Seneca Epist. 78. *Adversus hos casus muniendi sumus*. Ideoque parum recte Bentleius et Hare malebant *tutus*, quae lectio fuit Remensis Codicis, Gudio teste.

(2) *Accessit*. Ad eos potentes, potentibus se adiunxit, ut noceat.

(3) *Vis et nequitia*. *Vis* est violentia et impetus potentum: *Nequitia* improbitas et malitia consiliatorum. *Nequitia* sane, sive a *nec* et *quidquam* fiat, ut Varro lib. IX. L. L. et Cicero III. Tuscul. c. 8. putabant, sive a *nequeo*, quod iure Prisciano lib. IV. Grammaticae placebat, *ignavia* et *inertia* primum fuit: Unde ipse Ciceró I. Catilin. c. 2. *Sed iam meipsum inertiae, nequitiaeque condemno.* Tum otium
tur

Aquila in sublime (5) sustulit Testudinem:
5 Quae quum abdidisset corneâ corpus domo (6),
Nec ullo pacto laedi posset condita (7),
Venit per auras (8) Cornix, et praeter (9) volans:
Opi-

turpe, et mollem inertiam significavit; et quoniam inde omnia flagitia oriri solent; ipsa scelera et facinora *nequitiae* dicta fuerunt, ut ex Cicerone pro Rosc. Amer. c. 46. Propertio I. Eleg. 15. v. 38. aliisque patet. Tandem *malitia* fuit, considerata improbitas, et dolus malus. Seneca II. de Ira cap. 8. *Certatur ingenti quodam nequitiae certamine, maior quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est.* A. Gellius VII. Noct. cap. 11. *Nunc dici audio nequitiam pro solertia astutiaque.* Ulpianus Dig. XXI. Tit. 1. Leg. 23. *Dolo malo, et per nequitiam.*

(4) *Quidquid oppugnant ruit.* Sensus est: Concidit, evertitur, expugnatur quidquid unâ adgrediuntur et oppugnant potens violentus, et nequam consiliator. Scilicet ubi hi ad nocendum simul coeunt, et aliquem perdere conantur, ut ut is sive virtutum, sive amicorum praesidio sit munitus et fortis; victus tamen cadet et ruet.

(5) *In sublime.* In sublimem aëris partem, ad multam aëris altitudinem.

(6) *Corneâ domo.* Nempe in sua testâ, in sua cortice. Poetice quidem, sed eleganter. Ita Pacuvius apud Ciceronem II. de Divin. c. 64. Cochleam *domiportam* dixit. Tum Serenus Sammonicus de Medicin. p. 15. Edit. Amstel. 1706. earum testas *domos* etiam appellavit. *Corneus* autem hic non est plane *ex cornu*, sed *durus*, *solidus*, *firmus*, ut cornu. Sic Persius I. Satyr. v. 47. *Fibram* corneam dixit. Petronius Satyr. c. 43. *Hominem* corneolum. Plinius lib. XXXI. c. 9. *Corpora piscatorum* cornea.

(7) *Condita.* In corticem abscondita, contracta, clausa. Livius lib. XXIX. c. 22. Conditus *in carcerem.* Ovidius III. Met. v. 31. *Angusto* conditus *antro.* Plinius lib. XI. cap. 37. *Oculi* conditi.

(8) *Venit per auras.* Accessit ad Aquilam per aërem. Aliquantum Poeticè, sed recte. Sic Ovidius II. Met. v. 202. *Ire per* auras. X. v. 717. *Sonant pennae* per auras.

(9) *Praeter.* Praeter Aquilam, ob oculos et adspectum eius, facta est Aquilae obvia, ut commode eam alloqueretur. *Praeter* saepe non significat *ultra*, nec excipiendo et excludendo inservit, sed quae prima eius potestas est *ante* et *ob* notat. Unde Cicero V. Verr. c. 25. Praeter *oculos Lollii haec omnia ferebant.* Ovidius III. Fast. v. 635. Praeter *sua lumina.* Similia Tacitus IV. Hist. c. 30. Svetonius in Claud. c. 7. etc. Vulgo legitur *propter.* Sed quum aliquem alloquimur coram et ob adspectum manemus. Tum Romulus uterque habent *contra.* Ideo Lectio Perottini Codicis genuina, ut arbitror, et vera dicenda est.

(10) Opi-

Opimam (10) sane praedam rapuisti unguibus,
Sed nisi monstrâro, quid sit faciendum tibi (11),
Gravi (12) nequidquam te lassabit pondere (13).
Promissâ parte (14): vadens (15) ut scopulos super
Ab astris (16) duram monet illidat corticem (17),
Qua

(10) *Opimam*. Supple dixit, inquit. Cornix sic Aquilam allocuta est. *Opimus* hic est pinguis, delicatus, gustui suavis. Ita Virgilius III. Aen. v. 224. *Dapes* opimae. Silius Italicus XI. v. 282. Opima *mensa*. Persius II. Satyr. v. 48. Opimum *fertum*. etc.

(11) *Tibi*. Nempe *a te*, ut ista praeda fruaris. Davus tamen totam hanc sententiam eleganter includit, quum utile, et commodum vi sua significet.

(12) *Gravi*. Magno. Testudinum quidem plura sunt genera, quae Plinius lib. XXXII. c. 4. recenset, interque ea non unum genus est magnarum et gravissimi ponderis.

(13) *Te lassabit pondere*. Scilicet praeda ista, quâ tu frui nescis. Non pauci Interpretes legere maluerunt *lassavis*, sed nulla ratione. Prior enim lectio et veterum MSS. Codicum auctoritate, quibus et Perottinus accedit, et proprietate sententiae probatur. Vid. Ovidium X. Metam. v. 554. II. Trist. v. 233. Epist. Her. XX. v. 24.

(14) *Promissa parte*. Postquam Aquila promisit Cornici partem praedae, ubi ostendisset sibi facilem modum, quo eâ vesci et frui posset.

(15) *Vadens etc.* Ordo est: Cornix *monet* Aquilam, *ut vadens ab astris illidat duram corticem super scopulos*. *Vadens* absolute. Virgilius XI. Aen. v. 176.

Vadite, *et haec memores regi mandata referte*.

Et IV. v. 223.

Vade *age, nate, voca Zephyros, et labere pennâ*.

In vulgaris Phaedri libris deest haec vox; sed nos supplendam ex Perottino Codice censuimus, quum valde opportuna sit visa. Nam Aquila altius sese attollere debebat, et se insuper ad ea loca ferre, quibus scopuli pertaeque essent subiectae.

(16) *Ab astris*. Nempe ex altissima aëris parte, a summa aëris altitudine. Poeticê. Virgilius II. Aen. v. 460. *Turris educta* sub astris. Ovidius IV. Fastor. v. 328. *Fertur* in astra *sonus*. Pedo Albinov. Consol. ad Liviam v. 256. Astra *lambit flamma*. Vulgo legitur *altis ab astris*. Sed si illud poeticum est et hyperbolicum, quis hoc in Fabulatore feret? Satius ergo, ut puto, in Lectione Perottini Codicis acquiescimus.

(17) *Duram corticem*. Testam nempe, unde ipsa *testudo* dicta est, illam corneam domum, ut v. 5. appellatur. Plinius lib. IX. Hist. c. 12. *Aquatilium tegumenta plura sunt, alia corio, et pilo integuntur, ut vituli, alia cortice, ut testudines*. Similia lib. XI. cap. 39. Ideoque haud abusive voce usus est Auctor, ut Hoogstratanus, aliique adnotabant. *Cortex* autem saepius quidem

Qua comminuta, facilè vescatur cibo (18).
Inducta verbis (19) Aquila, monitis paruit,
Simul et magistrae (20) largê divisit dapem (21).

Sic

dem masculini est generis, sed saepe etiam, ut hîc, feminini. Vid. Ovidium VIII. Met. v. 762. IX. v. 658. X. v. 512. XIV. v. 630. Martial. XIII. Epigr. 86. aliosque.

(18) *Facilè vescatur cibo*. Nullo amplius negotio, nullo ultra labore testudinis carnibus vescatur, eoque cibo fruatur. Burmannus potissimum in Comment. novo longe pluribus contendit legendum esse *facili* non *facile*, et ita edidit. Eius autem praecipuum vel unicum argumentum est, *quia*, ut ait, *si facile legeretur, sine dubio cibo non eleganter satis adiungeretur* τῷ *vescatur, quod per pleonasmum explicat Schefferus, videns eam vocem admodum incommodam. Quo enim quaeso vescimur nisi cibo*? Sed frustra. Nam primum vox *cibo* non modo incommoda non est, sed plane necessaria. Hoc enim loco requiri omnino subiectam materiam, qua vescatur, est palam. Testudo autem et cortice quae cibus non est, et carnibus quae cibus sunt constat. Comminutâ ergo cortice, *cibus* ex testudine superest. Hoc autem *cibo*, parte nempe testudinis, quae cibus erat Aquila vesci debebat. Praeterea *facilis cibus*, ille est, qui *facile* nullo negotio comparatur, et acquiritur. Virgilius II. Georg. v. 459.

Fundit humo facilem *victum iustissima Tellus*.

Seneca Hippol. v. 516.

Et fraga parvis vulsa dumetis cibos
Faciles *ministrant*.

Et Herc. Oet. v. 655.

Carpit faciles *vilesque cibos*. Ideoque cibus iam comparatus, iam appositus, et paratus *facilis* dici nequit. Testudinem ergo nec integrâ cortice *facilem cibum* dicere possumus, quum difficillime tum comparetur. Nec fractâ et comminutâ; nam tum non amplius paratur et adquiritur, sed tantummodo comeditur. Quin Phaedrus opportunissime *facile*, quod Pithoeanus, et Remensis Codex exhibuerunt, et Noster servat, non *facili* scripsit. Nam quum Aquila vesci testudine vellet, quod tum impossibile, id Cornix proponere ei debebat, quod, si monitis suis paruisset, *facilè* nulloque negotio obtinuisset. Burmannus ergo veram Auctoris sententiam haud est assequutus, et temere à Codicum lectione recessit. Ideoque nec Brotierium laudaverim, qui *utrumque recte dici* ad hunc Phaedri locum autumavit.

(19) *Inducta verbis*. Ad credendum, quae Cornix proposuerat. *Inductus* hîc est impulsus, persuasus. Cicero pro Planc. c. 42. Inductus *falsa spe*. Plinius lib. VII. Hist. c. 43. Inductus *argumentis*.

(20) *Magistrae*. Cornici, quae ei id ostenderat. *Magister* generatim est suasor, monitor, consiliator: qui docet, monet, ostendit aliquid. Vid. Ciceron.

pro

Sic tuta (22) quae naturae fuerat munere,
Impar duabus (23) occidit tristi nece.

pro Dom. sua c. 39. Pro Caecin. c. 11. Terentium Andr. I. 2. v.21. Senecam Thyest. v.311.

(21) *Largê divisit dapem.* Magnam partem praedae, multam partem carnium testudinis ei praebuit. Proprie et eleganter. *Daps* enim cibus est delicatior et copiosior, et bene propterea respondet illi *opimae praedae*. Servius ad Virgil. Aen. I. v.705. *Dapes*, ait, regum esse, *epulas* privatorum: Et ad III. v. 224. *Dapes* esse Deorum, *epulas* hominum. Id non semper verum est; attamen verum *dapes* fuisse optimum et copiosum cibum. *Divido* autem vox est Conviviis propria. Virgil. I. Aen. v.201. Dividere *vinum sociis*. Ovidius II. Fast. 671. Dividere *liba per populum*. Petronius Satur. 33. *Pavonina ova* dividere *convivis*. Similia cap. 40. Apuleius IX. Metam. etc. *Large* autem est affatim, copiose. Heinsius legere malebat *largam*, quod Sanadoni et Philippo, Brotierio teste, placuit. Sed lectio Codicum optima est. Cicero pro Muren. c. 4. *Quod dandum est amicitiae* largê *dabitur a me*. Horatius I. Od. 9. v. 5. *Ligna super foco* largê *reponens*. Hirtius B. Alex. c. 1. *Aquam* largê *praebere*. Livius XXI. c. 5. Largê *partiri praedam*, Seneca Epist. 21. *Aquam quoque* largê *ministrabat*. Quin quomodo Heinsius non vidit emendatione sua Auctoris sententiam corrumpi? Nam *dividere largam dapem*, dividere est et partiri dapem multam, copiosam. Aliquis autem partiri potest dapem multam, et parvam eius partem alteri praebere. *Large* autem partiri, est facere largam et magnam partem, quae sincera est Auctoris sententia. Quamobrem mirum est et Burmannum hîc autumasse *large* et *largam* unum idemque esse. Nec ad eius propositum facit, quod Phaedrus lib. II. fab. 4. scripserit:

Felisque catulis largam *praebuerunt* dapem.

Nam hîc de universa praeda agitur, quae quanta quanta erat, tota et integra sumitur. Supra autem *daps* est testudo, quae in partes dividitur, quae parvae, magnaeve esse poterant.

(22) *Tuta*. Quod optimê a naturâ munita, quod durissimâ cortice praedita a natura fuisset: Unde *nullo pacto laedi posset condita*, ut v. 6. scribebat Auctor. Livius lib. XXXVI. c. 32. *Testudinem, ubi collecta in suum tegumen est*, tutam *ad omnes ictus esse video*.

(22) *Impar duabus.* Quae non valuit in duas resistere, quae non habuit satis virium, ut duabus ex adverso obsisteret. Aquilae nempe et Cornici, quae unâ ad necem suam conspirârant. *Impar* eleganter de iis usurpatur, qui inaequales sunt ad resistendum, qui impares viribus sunt, ut hoc loco. Virgilius I. Aen. v. 479.

Infelix, puer, atque impar *congressus Achillis*.

Horatius IV. Od. 6. v. 5.

FABULA II.

Muli, et Latrones.

Muli gravati sarcinis (1) ibant duo:
Unus ferebat fiscos cum pecunia (2),
Alter tumentes multo saccos hordeo.
Ille onere dives (3), celsa cervice eminet (4);
Clarumque (5) collo iactat (6) tintinnabulum;
Comes (7) quieto sequitur et placido gradu (8).

Su-

Ceteris maior, tibi miles impar. Ovidius V. Metam. v. 610.

Sed tolerare diu cursus, ego viribus impar
Non poteram.

(1) *Sarcinis.* Oneribus. Proprie *sarcinae* dicebantur involucra, et fasces utensilium, quae humeris ferri solerent. Tum quaevis *onera*, quae etiam a iumentis gestarentur, et veherentur. Hirtius B. Afric. c. 70 *Lixarum mercatorumque qui plostris merces portabant, interceptis* sarcinis. Noster in ceter. vulg. III. fab. 20. v. 5. *Asinus baiulans* sarcinas.

(2) *Fiscos cum pecunia. Fisci* generatim vasa fuerunt, aut corbes spartei, viminei, iuncei. Postea singillatim dicti corbes et loculi capaciores, in quibus contineretur, et servaretur pecunia. Cicero II. Verr. c. 8. Fiscos *complures* cum pecunia *Siciliensi a quodam Senatore ad Equitem Romanum esse translatas.* Ad quem locum Asconius Pedianus: *Fiscinae, fiscellae sparteae sunt utensilia ad maioris summae pecunias capiendas,*

(3) *Ille onere dives.* Mulus nempe onustus pretioso onere, onustus divitiis, nummis; qui tamquam dives erat ex pretiosis sarcinis. Loquendi modus Phaedro, ut videtur, peculiaris: sed syntaxis recta. Horatius Art. Poet. v. 421. Dives *agris.* Ovidius Epist. Her. XI. v. 20. *Filia dote* dives.

(4) *Celsa cervice eminet.* In altum elevat collum, elevato et erecto collo incedit. Vulgo *eminens.* Sed iam observatum est Codicis nostri lectionem omnino genuinam esse.

(5) *Clarum.* Clari et arguti soni. Cicero pro Cluent. c. 28. Clara *vox.* Lucretius IV. v. 569. Clarus *sonor.* Ovidius XIII. Met. 805. Clari *latratus.* Et II. v. 625. Clari *ictus.*

(6) *Iactat.* Agitat, huc illuc impellit, ut sonum edat. Vulgo *iactans.* Eodem, ac *eminens*, mendo.

(7) *Comes.* Alter mulus hordeo onustus. Eleganter *comes.* Nam pone sequebatur, non secus ac illum minor comitaretur.

(8) *Placido gradu.* Absque mul-

Subito latrones ex insidiis advolant (9);
Interque caedem (10) ferro Mulum sauciant (11),
Diripiunt nummos (12), negligunt vile (13) hordeum.
Spoliatus (14) igitur casus (15) quum fleret suos;
Equidem, inquit, alter me contemtum (16) gaudeo,
Quod

multa pedum agitatione et strepitu, perinde ac vilitatem suam nosset, quod hordeum, non aurum ferret.

(9) *Advolant*. Veluti volando adsunt, maxima celeritate in eos irruunt, ut raperent, quod gestabatur. Cicero pro Cluent. c. 6. *Ipsa nuper Larino Romam* advolavit. Pro Sext. c. 4. *Ad Urbem confestim incredibili celeritate* advolavit. Ad Attic. IV. Ep. 4. Advola *ad nos*.

(10) *Interque caedem*. Intellige agasonum, et eorum, qui pecuniam mulosque custodiebant et tuebantur. Loquendi modus rectus. Virgilius, Aen. VIII. v. 709.

Illam inter caedes pallentem
morte futura.

Et v. 492.

Ille inter caedes Rutulorum
elapsus.

Ubi Codices omnes MSS. Vaticani, Pierio Valeriano teste, habebant *inter caedem*. Tum Livius lib. XXX. c. 6. *Clamor* inter caedem *et vulnera sublatus*. Inepte ergo nonnulli circa hunc Phaedrianum loquendi modum cavillantur.

(11) *Mulum sauciant*. Mulum nempe pecuniâ onustum. Nam agasones circa hunc manus cum latronibus conserere debuerunt. Vulgo pro *sauciant* legitur *tusitant*, *tonsitant*, *trusitant*. Sed lectionem Codicis nostri genuinam esse iam ab aliis et a nobis in Variantib. est observatum.

(12) *Diripiunt nummos*. Proprie. Nam *diripere* non est tantummodo rapere, sed certatim, festinanter, undique rapere. Virgilius III. Aen. v. 277. de Harpyis:

Diripiuntque dapes, contactuque omnia foedant.

Livius XXIII. cap. 16. *Impedimenta et sarcinas* diripere.

(13) *Vile*. Tenuis, parvi, nullius fere pretii. Cicero II. de Finib. c. 28. *Non minor voluptas percipitur ex vilissimis rebus, quam ex pretiosissimis*. V. Verr. c. 84. *Frumentum quoniam vilius esset ne emisset*.

(14) *Spoliatus*. Mulus, qui fuerat spoliatus, cui pretiosum onus abreptum fuerat. Eleganter. Cicero VI. Verr. cap. 17. *Apollonium omni argento spoliasti*. Vid. et. Lib. I. Fabul. IX. v. 9.

(15) *Casus*. Calamitatem et aerumnam suam. Nam pecuniam omnem amiserat, et sauciatus fuerat.

(16) *Contemtum*. Supple *haberi*, *duci*. Nempe parvi fieri, minoris duci, nec aurum pecuniamve, sed hordeum mihi committi.

 (17) *Quod*

Quod (17) nihil amisi, nec sum passus vulnera (18).
Hoc argumento (19) tuta est hominum tenuitas (20),
Magnae periclo sunt opes obnoxiae (21).

FA-

(17) *Quod*. Sic Perottinum MS. Vulgo *nam*. Illud praeferendum putavi, quia magis simplex, et ideo loco opportunius.

(18) *Nec sum passus vulnera*: Vulgo: *Nec sum laesus vulnere*. Nostrum praetuli, quod iam et Philippus, et Sanadonus, et Brotierius fecerunt. Nam videtur quoque magis simplex, et nescio quid praesefert, quo magis probetur.

(19) *Hoc argumento*. Supple *ex*, non *in*, quod malebat Praschius. *Argumentum* autem hic non est thema, et subiecta materies alicuius rei, sed Fabella, Apologus, quo aliquid docetur, monetur, asseritur. Hoc sensu Auctor in vulg. IV. fab. 7. v. 2. fab. 10. v. 14. fab. 15. v. 7. et antea Ennius apud Gellium II. Noct. c. 29. vocem usurparunt. Et iure quidem. Nam *argumentum* fit ab *arguo*, quod verâ et primâ suâ potestate est *manifesto*, aperio, in lucem constituo: Quo sensu Horatius I. Epist. 19. v. 6.

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.

Virgilius IV. Aen. v. 13.

Degeneres animos timor arguit.

Unde *argumentum* quidquid dicitur, unde manifestare et arguere quidpiam volumus, et propterea est quaevis historiola, narratio ad docendum, monendumque composita. Et propterea Auctor ad Herenn. I. c. 8. Argumentum *est res ficta, quae tamen fieri potuit*. Quintilianus II. c. 4. *Et Fabulae ad actus Scenarum compositae argumenta dicuntur*. Tum Cicero quasdam historiolas ebori incisas VI. Verr. c. 56. et Virgilius VII. Aen. v. 789. in clypeo expressas *argumenta* dixerunt. Quamobrem istis verbis: *Hoc argumento tuta est*: Non dicit Auctor tantummodo: ex hâc fabellâ tuta est etc. Sed ex hac fabella patet, arguitur, notum est, etc.

(20) *Hominum tenuitas*. Paupertas. Cicero II. de Offic. c. 21. *Tenuitas aerarii*. II. de Orat. c. 66. *Quum innumerabilem Magio pecuniam dixisset datam, idque Scaurus tenuitate redargueret*. Sensus est: Ex ista fabellâ patet, quod pauperes, tenues, quorum angusta et vilis est res familiaris tuti ab aliorum violentia et ambitione vivant.

(21) *Obnoxiae*. Obiectae, expositae. Hic autem intelligitur *hominum*, quod proxime praecessit. Utque ibi de pauperibus, ita hic de divitibus, et locupletibus agitur. Pericula sane non opum, sed hominum sunt.

FABULA III.

Cervus, et Boves.

Cervus nemorosis exagitatus (1) latibulis (2),
Ut Venatorum fugeret instantem necem (3),
Coeco timore (4) proximam villam petit,

Et

(1) *Exagitatus*. Valde agitatus, per omnia latibula vexatus, per totum nemus huc illuc actus. Ovidius III. Art. v. 662.

Et lupus hic aliis exagitatus erit.

Silius Italicus XVI. v. 553.

. . . *Assueti lustra* exagitare *ferarum*
Venatu iuvenes. . .

Seneca Hippol. v. 51.

Tu praecipites clamore feras
Subsessor ages.

Vulgo legitur *excitatus*. Sed nemo, ut puto, non videt, praeferendam esse Lectionem Perottini Codicis. Nam quomodo fingi potest Cervum tantum *excitatum* coeco timore in villam se coniicere, ut instantem necem effugeret? Rimicius: *Cervus* perturbatus *strepitu venatorum*, *et* tremefactus: Quae illius *exagitatus* non *excitatus* sunt interpretatio.

(2) *Nemorosis latibulis*. Ex nemore, quo Cervus latebat, ex latibulis nemoris: quae erant in nemore. Ita Plinius lib. XXXV. c. 11. dixit: *Nemorosum hospitium*, quod scilicet esset in nemore, vel densis arboribus consitum.

(3) *Venatorum necem*. Necem scilicet quam Venatores iam iam sibi illaturi essent. Loquendi modus latinus et rectus. Nam apud Latinos casus, quem Grammatici *genitivum* vocant, aeque agentem et patientem aliquid saepe significat. Gellius IX. Noct. cap. 12. Metus *hostium*, ait, *recte dicitur*, *et quum timent hostes*, *et quum timentur*. Iniurias *itidem dicimus tum illorum*, *qui patiuntur*, *quam qui faciunt*. Et ideo paullo post idem Gellius observat Virgilium II. Aen. v. 436. dixisse *vulnus Ulyssis*, non vulnus quod Ulysses accepisset, sed quod fecisset. Ita Virgilius iterum VI. Aen. v. 441. *Vulnera nati*: Et Valer. Flaccus VI. Arg. v. 76. *Vulnera germani* dixerunt: quae natus et germanus intulissent. Et propius ipse Virgilius XII. Aen. v. 5.

Saucius ille gravi venantum *vulnere pectus*,
Tum demum movet arma Leo.

(4) *Coeco timore*. Actus nempe, impulsus. Coecus timore, ob vehementem timorem nesciens quid faceret ageretve. Eleganter. Ovidius II. Fast. v. 822.

. . . *Et* coeco *flensque*, *pavensque* metu.

(5) Et

Et in bubile rusticus se condidit (5).

(5) *Et in bubile rusticus se condidit*. Et quamvis silvestris, timore tamen coecus coniecit se in bubile, seu in stabulum boum, quod in Villa erat: scilicet ubi homines et mansueta tantum animantia, non fera et agrestia versarentur. In vulgatis Phaedri libris legitur:

Et opportuno se bubili condidit.

Verum quid, quaeso, *bubile opportunum* hîc dici potest? Quod coeco timore in illud se Cervus coniecerit? Quod illud fugere quam maxime deberet? Quod Hominis perpetui sui hostis tectum esset? Quod mortem in eo quaesierit, et invenerit? Nil certe Cervo eo bubili inopportunius. Nec dici potest ei opportunum visum fingi. Nam Auctor ex personâ suâ, non ex personâ Cervi loquitur, et iam illud *coeco timore* praemiserat, et ex persona boum maximam loci inopportunitatem pluribus aperit. Hinc puto vix dubitari posse, quin τὸ *opportuno* interpolatum fuisset. In Codice autem Perottino legitur:

Et inter bubulos rusticus se condidit.

Atqui τὸ *rusticus* plane ad rem atque ad sententiam genuinam facere videtur: Quod scilicet Cervus tanto timore correptus erat, ut quamvis agrestis, et ferus se tamen in locum sibi inopportunissimum coniiceret. *Rusticus* quidem, utpote a *rus*, eum qui Villam incolit proprie notat: Sed sedulo est animadvertendum saepe *ferum* esse, *agrestem*, *silvestrem*. Ita Ovidius Epist. Heroid. IV. v. 13. Rustica *Saturno regna tenente*. Nemo autem nescit, Saturno Rege, ut Fabulae ferunt, nec rura nec villas fuisse, nec campos partitos limite, vel ferro et opere excultos. Et v. 102.

Si Venerem tollas rustica *silva tua est.*

Sic Horatius II. Satyr. 6. v. 80. et 115. Rusticum *murem* dixit: et Plinius lib. X. c. 33. *Hirundines* rusticas *et agrestes*. Quin saepe opponitur *villatico*. Columella lib. VIII. R. R. cap. 2. *Prius igitur*, ait, *de his gallinis praecipiam, quae intra septa villae pascuntur. Gallinarum genera sunt vel cohortalium, vel* rusticarum, *vel Africanarum. Cohortalis est avis, quae vulgo per omnes fere villas conspicitur*. Rustica *quae non dissimilis villaticae per aucupem decipitur*. Tum Varro III. R. R. cap. 9. *Gallinae* rusticae *sunt in urbe rarae, nec fere mansuetae sine cavea videntur Romae, similes facie non his* villaticis *gallinis nostris, sed Africanis aspectu, et facie incontaminatâ*. Si igitur palam est *rusticum* saepe agrestem, ferum, non mansuetum esse: et perspicuum pariter, quod Varro et Columella de rebus rusticis et villaticis loquentes *villatico* ex adverso opposuerint: Quidni Auctor noster eâdem potestate et usu eam vocem sumere potuit? Quamobrem *rusticus* ut genuinum haberi potest. Sed *inter bubulos* lectio corrupta est. Quid vero si *in bubile* scribatur, quod ex parte vulgata et necessaria lectio est, et ex parte Codex noster et cetera argumenta probant et firmant?

5 Heic

Heic Bos latenti (6): Quidnam voluisti tibi (7),
Infelix, ultro (8), qui ad necem cucurreris,
Hominisque (9) tecto spiritum commiseris (10)?
At ille supplex (11): Vos modo, inquit, parcite (12),
Oc-

mant? Syntaxis autem recta, quin vulgatâ, ut puto, potior; quum motus satius, ut aiunt Grammatici, per accusativum et praepositionem exprimatur. Hinc Cicero VII. Verr. c. 29. et Livius lib. XXVI. c. 16. *Condere in carcerem*. Idem lib. XXXI. c. 23. *Condere captivos in custodiam*. Seneca Consolar. ad Marc. c. 22. *Condere se in tenebras*.

(6) *Heic Bos latenti.* Unus ex bubus ait Cervo latenti in hoc loco, in bubili. *Heic* eleganter Bovis admirationem exprimit, qui ferum in loco tam ei inopportuno et adverso conspiciebat.

(7) *Quidnam voluisti tibi?* Quid voluisti tibi comparare; quid boni, quid commodi, quid utilitatis sperasti huc confugiens? Hoogstratanus interpretatur *quid mali?* Perperam. Nemo enim malum sibi vult, quaeritve. Is autem loquendi modus tum usurpatur, quum quis se bene et recte agere putans, adversum et oppositum imprudentiâ, et inconsiderantiâ facit. Eleganter vero. Terentius in Eunuch. III. 5. v. 11. Quid tibi vis, *satisne sanus*? Virgilius II. Eclog. v. 58. *Eheu* quid volui *misero* mihi!

(8) *Ultro*. Sponte, nullo cogente, ipsis tuis pedibus, ut adagio dicitur.

(9) *Hominisque tecto*. Eius nempe qui te ad necem quaerit. Ubi ille recipitur et vivit, qui semper ad te necandum est paratus. Vulgo *hominumque*. Sed quum haec ad invidiam dicantur, et tota humana natura spectetur, satius et elegantius vox singulari, quam plurali numero sumitur. Accedit etiam Auctorem lubentius in similibus minori quam maiori numero uti, quod opportunius alibi observabimus.

(10) *Spiritum commiseris*. Vitam tuam, te ipsum. *Spiritus* quidem anima plerumque dicitur, substantia nempe unde sensus et vita animantium oritur. Sed eleganter pro ipsâ vitâ, quae ab eo pendet, usurpatur. Cicero Philipp. X. c. 10. *Non est viri dubitare eum* spiritum, *quem Naturae quis debeat, Patriae reddere*. VII. Verr. c. 45. *Ne cum sensu doloris aliquo, aut cruciatu* spiritus *auferatur*. Seneca in Troad. v. 328.

Cur dextra regi spiritum *eripuit tua?*

(11) *At ille supplex*. Cervus suppliciter, supplici modo inquit. De verbo *supplico* vid. Lib. I. Fab. 3. v. 8.

(12) *Parcite*. *Parco* hîc non est ignosco, culpam et noxiam dimitto, perinde ac si Cervus aliquid in boves peccaverit: Sed abstineo, tempero me ab inferendo malo damnoque, ut diximus Lib. I. Fab. 7. v. 11. Ut sensus sit: Vos modo, o Boves, abstinete, temperate vos ab inferendo mihi damno, maloque; ne mihi noceatis, manifestando

Re-

Occasione rursus (13) erumpam (14) data:
Spatium diei noctis excipiunt vices (15).
Frondem (16) bubulcus (17) adfert, et nihil videt (18):
Eunt subinde et redeunt omnes rustici (19),
Nemo animadvertit (20): Transit etiam villicus (21),

Nec

Rusticis, quod ego hîc lateam.

(13) *Rursus*. *Rursus* hîc non est iterum, denuo, altera vice, ut passim sumitur, sed *retro, retrorsum*, via qua ventum est, quae prima vocis potestas. Terentius Hecyr. III. 1. v. 35. *Trepidari sentio, cursari* rursus, *prorsum*. Ubi Aelius Donatus: *Rursum* proprie *retro*; *prorsum ante* significat. Varro apud Nonium cap. 4. n. 402.

Mortales multi rursus *et prorsus meant*.

Ita Caesar B. Gall. IV. c. 4. etc.

(14) *Erumpam*. Celerrime me hinc eripiam, velocissime ex loco, quo tanta mihi incumbunt pericula me auferam. Rectissime de celeri et subitaneo procursu ex abdito. Sallustius B. Jugurth. c. 107. *Solus inter tela hostium vagabundus* erumpit. Curtius III. c. 4. *Ne occultus hostis in subeuntes* erumperet. Ita lib. VI. c. 2. etc.

(15) *Spatium diei noctis excipiunt vices*. Nox excipit diem, ex vice sua diei iam elapso succedit. Nox venit, advesperascit. Poeticê. Cicero autem II. de Leg. c. 7. *Dierum noctiumque vicissitudines*. Claudianus I. in Rufin. v. 6. *Et lucis, noctisque vices*. Nec Horatius Epod XVII. v. 25. abs re: *Urget diem nox, et dies noctem*.

(16) *Frondem*. Notum est boves, ut plurimum, fronde pasci. Cato de R. R. c. 30. *Bubus frondem ulmeam, populeam, querneam, ficulneam, usquedum habebis, dato*. Vid. et. Columell. VI. R. R. c. 3. Propert. II. Eleg. 24. v. 11. Horat. I. Epist. 14. v. 28. etc.

(17) *Bubulcus*. Proprie qui curam boum habet, unde nomen factum est.

(18) *Et nihil videt*. Quoad Cervum nempe. Editi libri vulgo habent: *nec ideo videt*. Codex noster *nihil videt*: quod adiecto *et* praeferendum duxi. Nam primum in vulgata lectione nimis absolute sumitur *τὸ videt*, et si intelligas *Cervum*, frigidior aliquanto evadit sententia, et syntaxis insolentior, quum *τὸ Cervus* haud proximum sit. Tum in similibus plane *nihil videre* vulgo et eleganter dicitur. Tertio in v. 14. est *nec quidquam*, quod *nihil* praecessisse innuit.

(19) *Rustici*. Qui villam incolebant, familia villae.

(20) *Animadvertit*. Supple *quidquam*, quod recte Schefferus vidit.

(21) *Villicus*. Qui totius villae curam gerit, omnium rusticorum caput, et moderator. Varro I. R. R. c. 2. *Quo circa principes, qui utrique rei prae-*

pe-

Nec ille quidquam sentit: Tum gaudens Ferus (22),
Bubus (23) quietis (24) agere coepit gratias,
Hospitium adverso quod praestarent (25) tempore.
Respondit unus (26): Salvum te volumus (27)
quidem;

Sed

ponuntur vocabulis quoque sunt diversi, quod unus vocatur Villicus, *alter* Magister *pecoris*.

(22) *Gaudens ferus*. Cervus nempe laetus; qui se iam omne periculum evasisse putabat. *Ferus* autem recte pro Cervo. Nam *ferus* haud semper est saevus, crudelis, ingenii atrocis et immanis: Sed simpliciter opponitur saepe *mansueto* et *cicuri*, et idem est ac silvestris, agrestis. Cicero II. de nat. Deor. c. 39. *Quam varia genera bestiarum vel cicurum vel* ferarum. Varro III. R. R. cap. 16. *Nunc* feras *apes dico, quae in silvestribus locis pascitant. Cicures quae in cultis.* Hinc Virgilius IV. Aen. v. 152. feras *capras* dixit: et VII. v. 489. ferum *Cervum*, ut Noster:

Pectebatque ferum, *puroque in fonte lavabat*.

(23) *Bubus*. Vulgo *bobus*. Recte. Sed quum illud Codex Perottinus exhibuerit, tum Pithoeanus etiam et Remensis, Gudio et Brotierio testibus, et saepius a purissimis Scriptoribus usurpetur; ideo praeferendum esse putavimus.

(24) *Quietis*. *Quietus* hic non est placidus, otiosus, qui a labore vacat, sed qui a damno inferendo quiescit, qui tacet, qui silet, qui quum possit non loquitur. Quo sensu vocem usurparunt Ovidius I. Trist. Eleg. 7. v. 27. Valerius Flaccus III. Arg. v. 358. Plautus Poen. I. 2. v. 43. Terentius Prolog. Andr. v. 13. Seneca de Irâ cap. 21. Ideoque *bubus quietis*, est bubus tacitis, tacentibus, qui nemini adventum Cervi manifestaverant.

(25) *Hospitium praestarent*. Securum, tutum, inviolatum silentio et quiete sua praeberent. Proprie. Nam *praesto* est facto et opere praebeo. Seneca I. de Clem. c. 2. *Hoc est non dare tantum salutem, sed et* praestare. Ulpianus Dig. XI. Tit. 3. Leg. 1. Praestare *refugium*. Vulgo legitur *praestiterint*: et sic satius legi et nos in Variantib. autumavimus: Sed modo secus videtur. Nam Cervus haud omne periculum adhuc evaserat. Nec dici potest, eum sic putasse fingi, quum adhuc in bovili, et sub hominis tecto esset, nec tunc saltem inde erumperet. Tum illud *agere coepit*, non *egit*, et *salvum te volumus praestarent* quidem, non *praestiterint* indicant.

(26) *Respondit unus*. Nempe ex bubus.

(27) *Salvum te volumus.* Quoad nos, quantum in nobis est. Vulgo legitur *Salvum te cupimus*. Nobis tamen Perottini Codicis lectio visa est praeferenda. Primum quia simplicior et sententia et syntaxis: Secundo quod *cupio*, praeter voluntatem, conatum quoque et operam notat, quae in bubus nec fuerant,

nec

Sed ille qui oculos centum habet (28) si venerit,
Magno in periclo vita vertetur (29) tua.
Haec inter ipse Dominus a coena redit (30):
Et quia corruptos (31) viderat nuper boves,
Accedit ad praesepe: Cur frondis parum est (32)?
Stramenta desunt (33): Tollere haec aranea (34),
Quan-

nec esse potuerat. Ovidius III. de Pont. I. v. 35.

Velle parum est; cupias ut re potiaris oportet,
Et faciat somnos haec tibi cura breves.
Velle *reor multos, quis enim mihi tam sit iniquus,*
Optet ut exsilium pace carere meum?
Pectore te toto cunctisque incumbere nervis,
Et niti pro me nocte dieque decet.

Tertio Romulus Nilantii, qui non raro ipsissima Phaedri verba servat, ipsum *Salvum te volumus* habet.

(28) *Qui oculos centum habet.* Dominus villae, qui omnia videt, qui totus oculus dici potest. Elegans periphrasis ad eius curam, diligentiam, et sollicitudinem exprimendam. Similitudo autem sumta videtur ex Argi Fabula, quam Ovidius pluribus narrat I. Metam. ubi v. 625.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.

Et v. 721. *Centum oculos nox occupat una.* Unde Salo Parmensis in sua Fabella ab ista Phaedriana omnino efficta Dominum absolute *Argum* appellat. Sed forte vulgare adagium spectare potuit Phaedrus, unde ipsi Argo centum oculi attributi fuerunt.

(29) *Vertetur.* Versabitur, erit posita, constituta. Eleganter. Plaut. Merc. I. 2. v. 12. *Maxima res* in periclo vortitur. Cicero III. de Legib. c. 15. Versabor *in re difficili*. Livius VI. c. 35. *In maiori* discrimine *domi res* vertebantur.

(30) *A coena redit.* Nempe ad bubile, ad boves, quos, ut sequenti versiculo dicitur, nuper viderat. *A coena* autem est post coenam, absolutâ coenâ. Livius lib. XLIV. c. 34. Ab his praeceptis *concionem dimisit Consul.* Velleius lib. II. c. 104. *Protinus* ab adoptione. Et Cicero pro Rosc. Amer. c. 35. *Non illum miserum ignarum casus sui redeuntem* a coena *videtis?*

(31) *Corruptos.* Macros, macilentos, macie consumtos. Recte et latine. Plaut. Amph. V. 1. v. 6. Corrupta *sum et absumta*. Livius lib. XXVIII. c. 35. Corrumpi *equos inclusos in Insula*. Similia Ovidius Epist. Her. XX. v. 117. Columella IX. R. R. c. 13. etc.

(32) *Cur frondis parum est?* Cur maior frondium copia bubus apposita non est? Superius autem v. 11. Frondem *bubulcus adfert*.

(33) *Stramenta desunt.* *Stramenta* dicebant Veteres stipulas, paleas, culmos, frondes, atque alia huiusmodi quae pecori, ut mollius cubaret, substernerentur. Cato de R. R. c. 5. Stramenta

ii

Quantum est laboris (35)? Dum scrutatur singula,
Cervi quoque alta conspicatur (36) cornua,
Quem (37) convocata iubet occidi familia (38),
Praedamque tollit, casus quam paraverat (39).

Exem-

si deerunt frondem ilignean legito, eam substernito ovibus, bubusque: Plinius lib. XVIII. c. 7. *Hordei palea ex optimis*, stramento *vero nulla comparatur*. Similia Columella VI. R. R. c. 3. etc.

(34) *Aranea*. Telas, retia aranearum. Cornelius Fronto p. 168. Edit. Auson. Popmae. 1606. Araneum *quod textum est*, Aranea *quae texit*. Petronius Arbiter Satur. cap. 98. *Primum araneis oleo madentibus vulnus, quod in supercilio factum erat coartavit*: Telis scilicet aranearum.

(35) *Quantum est laboris*? Quantus labor est, quam ingens labor. Ironicê. Seneca Epist. 64. *Quantum vigoris*. Valer. Flaccus VI. Arg. v. 676. *Quantum belli*. Ovidius Epist. Her. XII. v. 19. *Quantum perfidiae*. Et Noster in vulg. I. fab. 13. v. 7. *Quantum decoris*. II. fab. 4. v. 25. *Quantum mali*. Quamobrem haud video cur Heinsius, Iuvenarius, aliique maluerint *quanti est laboris*, et sic etiam Bentleius et Hoogstratanus contra Codicum fidem edidissent. Quin *quanti laboris* haberi potest ut interrogatio directa, cui respondeat, *minimi* vel *maximi*. Quod ineptius ad rem. Plane autem apposite *quantum laboris*.

(36) *Conspicatur*. Proprie. Nam *conspicari* non est simplex videre, cernere: Sed videndo detegere, cernere aliquid veluti latens, obscurum, et in longinquo positum. Caesar lib. V. B. Gall. c. 47. *Trans vallem magnam hostium multitudinem* conspicatur. Et lib. II. c. 26. *Ex loco superiore quae res in nostris castris gererentur* conspicatus. Vulgo legitur: *est conspicatus*. Sed *scrutatur*, et *iubet* postulant *conspicatur*, quae Perottini Codicis lectio est.

(37) *Quem*. Cervum.

(38) *Convocata familia*. Convocatis suis famulis, servis, qui Villae addicti erant. *Familia* hîc non est universus coetus hominum, quibus Pater familias praeest, inter quos et uxor et filii, et cognati saepe, adfinesque, qui unâ vivant, adnumerantur. Sed plane servorum coetus. Nam servile officium imponitur, et de Domino hîc non de Patre familias agitur. *Familia* autem saepe absolute servorum coetus dicitur, et prima quidem potestate, ut nonnulli arbitrantur. Apuleius in Apologia: *Quindecim liberi homines populus est, totidem servi familia*. Cato de R. R. c. 5. *Villicus familiam coerceat, consideret, quae Dominus imperaverit, fiant*. Ita Varro I. R. R. c. 18. etc.

(39) *Casus quam paraverat*. Quam praedam Fortuna ei obtulerat, et paraverat. Haec verba auctoritate Codicis Perottini in versiculum reposuimus, cum ab universis libris deessent. Quae autem ad id faciendum impulisent,

Exempli talis significatur fabula (40), 29 Do-

sent, praeter Codicis fidem, quam non levem certe esse Dissertat. I. in cum ostendimus, haec sunt: Primum quod Cervus nullo pacto absolute et simpliciter dici poterat *praeda*, nisi Auctor addidisset partam et paratam aliqua ratione fuisse. Nam omnis *praeda*, quod a *prehendo* fiat, capi et parari debet. Et omnino exemplum petimus, quo pateat recte et latine *praedam* dici posse, quod neque manibus, neque arte, neque labore, neque industria sive vera sive ficta captum et paratum fuerit. Auctor quidem lib.V. fab.6. v. 4. appellat *praedam*, quod quis casu repererat: Sed scribit: *ostendit praedam*, scilicet factam, quam occupaverat, et prehenderat, et propterea verbo rectissime est usus. Sed in loco de quo agimus legitur *tollit praedam*, non *ostendit*; sumit sibi, non sumtam et occupatam demonstrat. Ergo sumit praedam ab alio factam et comparatam. Nemo enim sumit *praedam* suam, nam quum *praeda* est, prehensa est, occupata est. Igitur Dominus sumit praedam, *quam paraverat casus*, ut in Codice nostro scriptum est. Casus autem etsi philosophice nihil sit, poetice tamen aliquid est, nilque frequentius in vulgaribus sermonibus, quam plurimarum rerum auctorem *Casum* praedicare; quod omnino sat est ut loquendi modus in Fabellâ recipiatur. Secundo Auctor haud solet fabellas hemistichio claudere; unde haud temere conjicitur ex vulgato versiculo aliquid excidisse. Tertio Salo Parmensis, qui hanc Phaedri fabellam elegis est interpretatus num. 58. scribit:

Quid latet hic, quid, ait, video? sentitque latentem,
Et bona Fortunae munera *laetus habet*.

En *praedam, quam casus paraverat*. Quod autem Salo fabellas Phaedri interpretatus fuerit omnino est palam, idque nos singillatim observavimus Dissert.II. in Codic. Cap. II. §. 3. Quarto Romulus Rimicii alius Phaedri interpres: *Dominus statim videt erecta cornua Cervi, et, ait, quid est hoc? . . Quomodo huc venis? . . Gaudet Dominus de Cervo, quem* non quaesitum *invenit*: praedam nempe a casu paratam. Sed hac de re diximus etiam Dissert. I. in Cod. §. X.

(40) *Exempli talis significatur fabulâ*. Audacior, ut puto, hic habebor, quod versiculum hunc ita exhibuerim; quum in vulgatis Phaedri libris tantummodo legatur: *haec significat fabula*: et Perottinus Codex, utpote qui nulla Auctoris epimythia vel promythia servet, nihil prebeat auctoritatis et fidei. Attamen quid facerem, si hemistichium superiori versu prolatum genuinum est et probatum? Omnino sequens hemistichium supplendum erat, et complendus versiculus. *Exempli* autem *talis* ipsum Phaedrianum est. Auctor in vulg. lib. V. Prol. 2. v. 10.

Sed iam ad fabellam talis *exempli feror*.

Et *significatur fabulâ*, idem est plane ac *significat fabula*. Auctor etiam III. fab. 6. v. 10.

Hac

29 Dominum videre plurimum in rebus suis (41).

FABULA IV.

Anus ad Amphoram.

Anus iacere (1) vidit epotam amphoram (2),
Adhuc Falerna faece (3) et testa nobili (4)
Odo-

Hac derideri fabulâ *merito potest.*
Scribi posset haud absurde, ut puto:
Exempli talis haec significat fabula.
Sed Docti haec viderint.

(41) *Dominum videre plurimum in rebus suis.* Sententia rectissima et vera. Haud abs re Columella III. de R. R. cap. ult. *Quocumque Domini praesentis oculi frequenter accessere, in ea parte maiorem in modum fructus exuberat.* Plinius XVIII. c. 6. *Maiores nostri fertilissimum in agris oculum Domini esse dixerunt.*

(1) *Iacere.* Iam derelictam, et contemtam. Vid. Lib. I. Fab. 13. v. 1.

(2) *Epotam amphoram. Amphora* Graecis Latinisque vas vinarium fuit, plerumque fictile. *Epotus* est haustus, exhaustus, unde vinum potatum et haustum fuit. Hoc autem sensu Cicero pro Cluent. cap. 6. dixit: Epotum *poculum.* Et Svetonius in Tiber. cap. 42. ipsum *epotam amphoram.*

(3) *Falernâ faece.* Nempe ex faece et reliquiis Vini Falerni, quod ut suavissimum et optimum Scriptores uno ore praedicant. Ideoque et *faeces* pretiosae quodammodo erant, et iucundum dubio procul spargebant odorem. Horatius II. Satyr. 4. v. 55.

Surrentina vafer qui miscet faece Falernâ
Vina.

Tum haud abs re I. Od. 35. v. 26.

. . . Diffugiunt cadis
Cum faece *siccatis amici.*

Et III. Od. 15. v. 16.

Nec poti vetulâ faece *tenus cadi.*

(4) *Et testa nobili.* Quae scilicet amphora olim Falerno vino plena non ex faece tantummodo spargeret iucundum odorem, sed ex ipsa testa, ex ipsis costis et parietibus, ex sua materiâ et argillâ. *Argilla excocta*, ait Tertullianus de carne Christi c. 14. testae *vocabulum suscipit*: Forte quasi *tosta. Testae* autem revera servant diutissime odorem liquorum in eis conditorum. Horatius I. Epist. 2. fin.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa *diu.*

Martialis III. Epigr. 58.

E:

Odorem quae iucundum late spargeret.
Hunc (5) postquam totis avida traxit naribus (6):
O suavis anima (7): Quale te dicam bonum (8)
An-

Et multo fragrat testa *senibus autumnis*.

Et Iuvenalis Satyr. VII. v. 431. *Aut lota* Falerno Pelvis *oleo*. *Nobilis* autem hîc est vetus, vetustus, vetustate nobilis; ubi scilicet diutissime Falernum conditum fuerit, unde vini et odoris praestantia. Vid. Ovidium II. Art. v.695. Martialem XIII. Epigr. 117. Gudius hîc legere maluit *e testa nobili*, et id vulgo receptum fuit. Attamen contra auctoritatem Pithoeani et Remensis Codicis, quae Nostro accedente fit maior: tum contra sententiam, quam exposuimus, quae longe potior est, et perspicuior. Nam vel τῷ *falerna faece* subauditur *e* aut *ex*, et quid, cedo, particulam ante τῷ *testa nobili* exprimere? Nonne inepte? Si legitur ordine: *e testa nobili falerna faece*, scilicet ob falernam faecem, vel iucundum falerna faece et sententia frigidior vel absurda fit, et syntaxis involuta. Teneamus igitur Codicum lectionem.

(5) *Hunc*. Odorem.

(6) *Totis traxit naribus*. Eleganter et proprie. Ovidius II. Met. v. 230. Trahere *auras ore*. v. 752. Trahere *suspiria*. Plinius XI. Hist. cap. 3. Trahere *animam*: aërem nempe respirandi gratiâ. Tum Virgilius I. Georg. v. 375.

. . . *Aut bucula Coelum*
Suspiciens patulis *captavit* naribus *auras*.

Vid. et. Catullum Carm. XIII. v. 11. et seq.

(7) *O suavis anima*. O gratus spiritus, o suavis aura, o iucunde odor, qui ex amphora efflas et spiras. *Anima* a Graeco ἄνεμος, aura, ventus eadem saepe significatione apud Latinos sumta fuit. Cicero de Univ. cap. 5. *Inter ignem et terram aquam Deus*, animamque *posuit*. Horatius IV. Od. 12. v. 2.

Impellunt animae *lintea Thraciae*.

Ita Virgilius VIII. Aen. v. 403. et Lucretius V. v. 237. Et quoniam aërem nos ventumque pectore inspiramus, eoque moto halitum facimus: Ideo et quod expiramus *anima* a Latinis dictum fuit. Plautus Aulul. II. 4. v. 23.

Str. *Quin quum it dormitum follem obstringit ob gulam.*
Cocc. *Cur?* Str. *Ne quid* animae *forte amittat dormiens.*

Lucilius apud Nonium C. I. n. 178.

Expirans animam *pulmonibus aeger agebat*.

Ut Virgilius II. Georg. v. 134. Quum autem odores aurae quaedam sint, et veluti halitus ac expirationes, tum auris ventisque ferantur, ideo rectissime *animae* dici possunt, ut hîc Auctor fecit. Non pauci Interpretes autumant ista verba *o suavis anima*, non ad odorem, sed ad amphoram referri, et esse blandientis: Ut Cicero XIV. Famil. Ep. 18. *Considerandum vobis etiam atque etiam*, animae meae. Sed perperam. Nam primum quid hîc amphora? Quid suavis?

Quid

Antehac fuisse, tales quum sint reliquiae (9)!
Hoc quo pertineat dicet qui me noverit (10).

FABULA V.

Panthera, et Pastores.

Solet a despectis (1) par referri gratia (2).

Pan-

Quid iucunda, quae contemta et epota iacebat, nec iuvare vel minimum poterat? Tum Auctor quum modo scripsisset *hunc*, nempe *odorem*, de isto quidem odore, non de amphora, quae tam longe distat, loqui poterat. Et certe odoris potissimum rationem in Fabella haberi palam est. Praeterea simili pacto alia Vetula vini odorem apud Plautum Curcul. I. 2. v. 1. et seq. alloquitur.

(8) *Quale te dicam bonum*. Quam praestans et magnum bonum, quam suave et iucundum, quum antehac non ex faece, sed ex ipso iucundissimo et optimo Falerno spirares et exhalares. Tibullus II. Eleg. 4. v. 36.
Quale bonum *multis addidit ille malis*.
Veteres editiones forte Codicum auctoritate habent; *qualem te dicam bonam*. Sed certe mendose. Nam *qualem bonam* latinum non est. Gudius emendavit *quale in te dicam bonum*, idque vulgo a plerisque receptum fuit. Sed quis Perottini Codicis lectionem Gudianae emendationi non praetulerit? Tum istâ emendatione duo versiculi ad amphoram referuntur, qui ad odorem, ut vidimus, sunt referendi. Et paret sane reliquias amphorae nullo pacto odorem superstitem dici posse, et si de faecibus intelligas ineptum est.

(9) *Tales quum sint reliquiae*. Tam suaves tam iucundae, o Odor tuae reliquiae, quod ex te adhuc est reliquum.

(10) *Hoc quo pertineat dicet qui me noverit*. Quid hac fabella, ait Phaedrus, spectaverim, quid significaverim ille intelliget, qui me noverit. Mens certe Phaedri fuit: Ut qui fabellas suas legerent, et nossent eum scribere iam senem, viderent quantum ingenium quantamque rerum capax florente iuventa et viribus integris sibi esse debuisset.

(1) *A despectis*. Despectus proprie est contemtus, parvi factus, abiectus: Hic tamen generatim sumitur pro eo, qui aliquâ iniuriâ, vel contumeliâ adfectus fuit. Nam qui iniuriâ afficitur, utique *despicitur*.

(2) *Par referri gratia*. Par pari referri: Et hîc ulcisci, acceptas iniurias in hostimentum reddere. Vid. Lib.I. Fab.3. v.5.

(2) Par-

Panthera imprudens (3) olim in foveam (4) decidit:
Videre Agrestes: alii fustes congerunt (5),
Alii onerant saxis (6), quidam contra miseriti,
Periturae quippe; quamvis nemo laederet (7),
Misêre panem (8), ut sustineret spiritum (9).

Nox

(3) *Panthera imprudens*. Improvida, non cavens periculum, non sibi bene prospiciens. Scilicet *decidit imprudens*, non *imprudens panthera*: *Panthera* autem quadrupes ferus est, et atrocissimae indolis, habitu vero decoro, et pelle pulcris maculis distincta, unde Ovidius III. Met. v. 669. *pictam* dixit. Data vero opera forte hîc Auctor Pantheram induxit potius, quam aliam feram; quum notum sit eam etsi ferocissimam beneficii tamen et iniuriarum valde memorem esse. Vid. Plinium VIII. Hist. c. 17.

(4) *In foveam*. Hîc, ut puto, non de quavis fovea et scrobe naturâ et casu factâ loquitur Auctor, sed de *foveis*, quae, data opera, excavabantur ad capiendas feras. Nam sic *imprudens* in eam decidere potuit Panthera, quum huiusmodi *foveae* leviter paleis, stramentisque tegerentur ad eas decipiendas. Is autem modus capiendi feras tum erat vulgatissimus. Nam praeter Plinium lib. VIII. c. 16. 17. 21. X. c. 38. etc. Manilius lib. V. v. 186. Silius Italicus VI. Pun. v. 329. Statius II. Silv. 5. v. 10. aliique de eo meminerunt.

(5) *Fustes congerunt*. Supple *in eam*, super ea. *Fustis* proprie est lignum teres, virga, clava, qua quis ad verberandum, et percutiendum utitur. Unde Plautus Aul. III. 1. v. 4. Fustibus *aliquem male contundere*. Horatius I. Satyr. 3. v. 134. *Pueros* fuste *coercere*. Auctor Bell. Hisp. c. 27. Fuste *percutere*. Svetonius in Calig. c. 26. Fuste *abigere*. Quamobrem videtur Auctor loqui de verberibus, ictibus, qui manu Agrestium in Pantheram infligerentur. *Congerere* quidem vulgo de iis quae iaciuntur, mittuntur, proiiciuntur in aliquem usurpatur: Sed quum sit a *cum* et *gerere*, et proprie sit *aggerere*, *comportare*, *accumulare*: *fustes congerere* esse potest plures simul et unâ impingere ad verberandum, non iacere ut pondere et numero opprimerent. Hoc sensu Plautus Aul. III. 3. v. 6. dixit: Implere fustibus *caput*. Valer. Flaccus IV. v. 307. Congerere *ictus in aliquem*. Et Noster in vulg. III. fab. 20. v. 11.

Ecce aliae plagae congeruntur *mortuo*.

(6) *Onerant saxis*. Proprie. Nam non ictibus saxorum tantum, sed etiam numero, pondere, et gravitate opprimere volebant. Plautus Amph. I. 1. v. 178. Onerandus *es pugnis probe*.

(7) *Quamvis nemo laederet*. Intellige *amplius*, *ultra*. Agrestes nempe quum eam morti proximam viderent, et omnino morituram, ut ipsi putabant, ab eâ amplius verberandâ et vexandâ destiterunt.

(8) *Misêre panem*. Proiecerunt, demiserunt ei panem.

(9) *Ut sustineret spiritum*. Ne statim tum moreretur, ut vi-

Nox insecuta est, abeunt securi (10) domum:
Quasi inventuri mortuam postridie.
At illa (11) vires ut refecit languidas (12),
Veloci saltu fovea sese liberat (13),
Et in cubile (14) concito properat gradu.
Paucis diebus interpositis (15) provolat (16),
Pe-

vitam aliquantulum traheret et produceret. Eleganter. *Sustinere* est sustentare, conari ne aliquid concidat, fulcire quod ruit. Unde *sustinere spiritum*, est veluti conari et dare operam, ne spiritus, anima statim evadat et elabatur ex corpore. Ita Ovidius X. Met. v. 188. de Hiacyntho et Apolline loquens:

Nunc animam *admotis fugientem* sustinet *herbis*.

Seneca Rhetor. I. Controv. 12. *Deficientis adolescentis* spiritus *in adventum meum* sustinebatur. Quintilianus Declam. XII. c. 2. *Non ut infelicem* animam (*morientis*) sustineremus.

(10) *Abeunt securi*. Omnes illi Agrestes abeunt securi, nihil a Panthera timentes. *Securus* autem ille dicitur, qui non timet, qui se tutum putat, etsi timoris caussa sit, et periculum adsit. Unde Seneca Epist. 97. *Tuta scelera esse possunt*, secura *non possunt*: ut etiam in Hippol. v. 164.

(11) *At illa*. Panthera.

(12) *Vires ut refecit languidas*. Pane scilicet quem Agrestes miserant, et quiete. Eleganter. Cicero VII. Famil. Epist. 26. *Ego hic cogito commorari, quoad me reficiam*: *Nam vires, et corpus amisi*. Et Livius lib. XXXVIII. capit. 24. *Cibo* vires reficere dixit.

(13) *Foveâ sese liberat*. Sese e fovea educit, exsilit. Eleganter. Nam capta erat in fovea, erat ibi veluti in carcere, ibique moritura. Simili fere pacto Cicero II. de nat. Deor. *Cavea* liberati *pulli*. In Somn. Scip. c. 6. Custodiis *corporis* liberati. Macrobius I. Saturn. c. 16. *Si bos in specum decidisset, eumque paterfamilias adhibitis operis* liberasset.

(14) *Cubile*. Supple *suum*. Antrum nempe, speluncam, latibulum, quo cubare et se recipere solebat. Sic cubilia *altum* Caesar VI. B. Gall. c. 26. *Canum* Varro II. R. R. c. 7. et Noster in ceter. vulg. I. fab. 19. v. 9. Ut II. fab. 12. v. 12. Cubile *solis* dixit.

(15) *Paucis diebus interpositis*. Post paucos dies, paucis diebus elapsis, quibus se refecit, pristinas vires recuperavit. Caesar I. B. Gall. c. 11. *Tridui mora* interposita.

(16) *Provolat*. Nempe e cubili ad eos Agrestes qui laeserant. Apposite. Caesar II. B. Gall. c. 19. *Subito omnibus copiis* provolaverunt, *impetumque in nostros equites fecerunt*. Livius lib. II. c. 46. *In primum infestis hastis* provolant *duo Fabii*.

(17) *Pe-*

Pecus trucidat (17), ipsos Pastores necat (18);
Et cuncta vastans (19) saevit irati impetu (20).
Tum sibi timentes (21), qui Ferae pepercerant (22),
Damnum (23) haud recusant, tantum pro vita rogant (24).

(17) *Pecus trucidat*. Supple Agrestium. *Trucido* non est simplex *neco*, *occido*, sed crudeliter caedo, et veluti membratim discerpo, et lacero. Factum volunt a *truciter caedo*. Sallustius B. Catil. c. 61. *Cavete ne capti potius, sicuti pecora* trucidemini. Hirtius B. Afric. c. 26. *Villas exuri*, pecus *diripi*, trucidarique.

(18) *Ipsos Pastores necat*. Non pastores qui casu pascerent pecora; sed ipsos Agrestes quos supra dixit, eos ipsos qui laeserant. Auctor scilicet quos supra *Agrestes* appellabat, *Pastores* pecorum maxime intelligebat. Nec quidem iniuriâ. Nam *pastores* omnino *agrestes* sunt, quia in agro vivunt, ideoque eo nomine absolute vocari possunt. Ita Ovidius IV. Fast. v. 809.

Iam luerat poenas frater Numitoris, et omne
Pastorum *gemino sub duce vulgus erat*.
Contrahere agrestes, *et moenia ponere utrique*
Convenit.

Et VI. Met. v. 122. *Illic* agrestis *imagine Phoebus*: nempe *pastoris*.

(19) *Cuncta vastans*. In solitudinem et vastitatem adducens: Necando scilicet, caedendo, corrumpendo. Hirtius B. Gall. lib. VIII. c. 24. *Fines hostium* vastare *civibus, aedificiis, pecore*. Et cap. 25. *Omnia caedibus, incendiis, rapinis* vastare.

(20) *Irati impetu*. Eo nempe impetu, quo irata et indignata fera saevire potest. Non tantum impetu sibi naturali et proprio, sed eo etiam, quem vehemens ira, et acris indignatio extimulaverat. Vulgo *irato*, et quidem non male. Sed Perottini Codicis lectio visa est potior.

(21) *Sibi timentes*. Vitae suae, timentes, ne et se irata bellua necaret et discerperet. Vid. Lib. I. Fab. 9. v. 17.

(22) *Pepercerant*. Non *ignoverant*, sed ab ea laedenda abstinuerant, qui non laeserant, non nocuerant. Vid. Lib. I. Fab. 7. v. 11. et supra Fab. 3. v. 8.

(23) *Damnum*. Iacturam in pecoribus, aliisque fortunis suis.

(24) *Pro vita rogant*. Rogant feram ne eos necet et trucidet. Eleganter, quidquid falso Scioppius in Infam. Famian. autuinaverit. Cicero pro Red. ad Quirit. *Denique ipse extremum* pro *mea. vos* salute *non* rogavit *solum, verum etiam obsecravit*. Ovidius VI. Metam. v. 301. *Dumque rogat* pro quo rogat. Svetonius in Aug. c. 13. *Patrem et filium* rogantes pro vita *sortiri vel micare iussit, ut alterutri concederetur*. Quintilianus Decl. XII. fin. *Scimus se non rogare pro vita*.

At illa (25): memini (26) qui me saxis petierit (27),
Qui panem dederit : Vos timere absistite (28):
19 Illis revertor hostis qui me laeserunt (29).

FABULA VI.

Rusticus, Harioli, et Aesopus.

Usu peritus (1) Hariolo (2) velocior (3)
Vul-

(25) *At illa* : Panthera nempe dixit. Vulgo *Et illa*. Nostrum dubio procul genuinum, quod et alii viderunt.

(26) *Memini*. Nempe eorum.

(27) *Saxis petierit*. Saxa impegerit, iecerit. Virgilius III. Eclog. v. 64.

Malo *me Galatea* petit, *lasciva puella*.

Auctor Eleg. de Nuce. v. 122. Saxis petor *a populo*. Vulgo *saxo petierint*, ut mox *dederint*. Sed *saxis* genuinum videtur, tum quod verbum ex vers. 4. repetitur, tum quod satius hic plurali, quam singulari numero usurpatur. Quoad reliqua vero vide Variant. nostras, et Brotierium ad hunc locum.

(28) *Timere absistite*. Nolite timere, ne timeatis, desistite a timendo. Syntaxis recta. Virgilius VI. Aen. v. 399. *Absiste moveri*. VIII. v. 403. *Absiste precando Viribus* indubitare *tuis*. Ita Livius lib. XXXVI. c. 35. Columella XII. R. R. c. 19.

(29) *Laeserunt*. Vulgo *laeserant*. Illud genuinum. V. Variant. nostras.

(1) *Usu peritus*. Qui ex usu rerum, ab experientia peritus, prudens factus est, qui multa vidit, et expertus est. Ita Caesar III. B. Civ. cap. 93. *Milites* usu periti, *ac superioribus pugnis exercitati*. Livius lib. XLIV. c. 22. *Primum a prudentibus et proprie rei militaris* peritis, *et* usu *doctis monendi Imperatores sunt*.

(2) *Hariolo*. Romani vocabant *Hariolos* genus quoddam Sacerdotum, qui futura praedicerent, qui prodigia, monstra, signa, ut putabant, futurorum, interpretarentur. Sic dicti quasi *Farioli*, ut omnino exploratum, a *for*, *faris*, quod a Diis *fari* et loqui vulgo existimarentur. Terentius Phorm. IV. 4. v. 27. *Nuptias interdixit* Hariolus. Cicero I. de nat. Deor. c. 20. *Haruspices*, *augures*, Harioli, *vates*, *et coniectores*. I. de Divin. c. 2. *Ex quo genere saepe* Hariolorum *etiam et vatum furibundas praedictiones audiendas putaverunt*.

(3) *Velocior*. Nempe mente, ingenio ad interpretandum, coniectandum, divinandum. Sagacior, ingeniosior, promtior. Cicero IV. Tuscul. c. 13. Velocitas *autem corporis celeritas* ap-

pel-

Vulgo esse fertur (4), caussa (5) sed non dicitur,
Notescet (6) quae nunc primum fabella mea.
Habenti cuidam pecora (7) pepererunt oves
Agnos humano capite (8): Monstro exterritus (9),
Ad

pellatur, *quae eadem etiam* ingenii *laus habetur*, *propter animi multarum rerum brevi tempore percursionem*. Columella I. R. R. c. 3. *Plerumque* velocior *est animus improborum*. Plinius lib. VII. Hist. c. 12. Velocitas *cogitationum*, *animique celeritas*. Iuvenalis Satyr. III. v. 73. *Ingenium* velox.

(4) *Fertur*. Dicitur, narratur. V. Lib. I. Fab. 29. v. 5.

(5) *Caussa*. Origo scilicet huius adagii, unde hoc proverbium ortum habuerit, ex quo facto caussam duxerit. Cicero II. Philipp. c. 32. *Ut in seminibus est* caussa *arborum et stirpium*, *sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti*. Et ibidem. *Ut Helena Troianis*, *sic iste huic Reipublicae* caussa *belli*, caussa *pestis*, *atque exitii fuit*.

(6) *Notescet*. Fiet nota, manifesta. Latine. Propertius II. Eleg. 10. v. 37. *Nec minus haec nostri* notescet *fama sepulcri*. Tacitus Ann. XII. cap. 8. *At Agrippina ne malis tantum facinoribus* notesceret, *veniam exsilii pro Seneca impetrat*.

(7) *Pecora*. Veteres, ut Lib. I. Fab. 18. ad v. 4. adnotavimus, omne animans brutum generatim *pecus* appellabant. Verum saepe, ut hoc loco, eas tantummodo bestias *pecus* dixerunt, quae fructus atque usus caussa alerentur et haberentur: veluti oves, capellas, boves. Ideo Virgilius III. Georg. v. 554. *Balatus* pecorum. Ovidius XI. Met. v. 276.

Quosque greges pecorum, *quae*
secum armenta trahebat.

Similia I. Fast. v. 384. Plinius lib. VIII. Hist. c. 47.

(8) *Agnos humano capite*. Qui humanum caput, non suae speciei haberent. Iis temporibus ferebantur plura huiusmodi monstra apparere. Livius lib. XXVII. c. 4. *Tarquiniis porcum cum* ore humano *genitum*. Et cap. 13. *Cum elephanti* capite *puerum natum*. Tum lib. XXXII. c. 10. *Suessae Auruncae nuntiabant agnum cum* duobus capitibus *natum*, *et Sinuessae porcum* humano capite.

(9) *Monstro exterritus*. Gravissime territus, magno terrore affectus ob istud portentum, ob tale ostentum. *Monstrum* hîc non est ipse foetus difformis, monstrosus, quo sensu modo sumimus, et Lucanus I. Phars. v. 562. scripsit:

Monstrosique hominum partus, *numeroque modoque*
Membrorum, *matremque suus conterruit infans*.

Sed est res naturae modum egrediens, qua Dii homines monerent, voluntatem suam de futuris *monstrarent*. Veteres enim persuasi plane erant, quidquid vulgares naturae leges excederet, a Diis peculiari consilio fieri, ut homines de iis, quae futura erant, praemonerent. Cicero II. de Div. cap. 7. *Praedictiones vero et praesensiones* rerum

Ad consulendos (10) currit moerens (11) Hariolos:
Hic pertinere ad Domini respondet caput (12),
Et avertendum (13) victima (14) periculum (15):
Ille

rum futurarum, *quid aliud declarant*, *nisi hominibus*, *quae futura sunt ostendi*, monstrari, *portendi*, *praedici*, *ex quo illa ostenta*, monstra, *portenta*, *prodigia dicuntur*. *Monstris* autem Veteres ex ista persuasione, potissimum ubi foeda et tristia viderentur, graviter terrebantur, quod scilicet sibi suisque timerent, eaque se praemonere putarent calamitates, aerumnas, damna, mortem iam iam imminere atque instare. Unde Virgilius II. Aen. v. 307. *Magnis exterrita monstris*. Ovidius IV. Met. v. 487. Monstris exterrita *coniux*. Ita etiam Svetonius in Aug. cap. 94.

(10) *Consulendos*. Proprie. Nepos in Miltiad. c. 1. *Missi qui* consulerent *Apollinem*. Curtius VII. c. 7. Hariolos *et vates* consulere *desierat*. Svetonius in Aug. c. 94. Consulere *Mathematicos*: in Tiber. c. 63. Consulere *Haruspices*.

(11) *Hic*. Hariolus; nam plures erant.

(12) *Pertinere ad Domini respondet caput*. Huius Harioli responsum est: monstrum spectare ipsam vitam, et salutem Domini, qui agnos haberet: ex his foetibus portendi, quod periculum instet vitae ipsius Domini. Proprie. Vid. Livium lib. XXV. c. 16. Valer. Max. l. 6. n. 3. etc. *Respondet* autem est solemnis vox unde *responsa* Haruspicum, et ceterorum Vatum. Vid. Brisson. de Formul. *Caput* vero eleganter pro vita sumitur, quae in capite magis residere videtur. Plautus Trinum. IV. 2. v. 120. *Cui si capitis res siet*, *nummum numquam reddam plumbeum*. Nepos in Timoth. c. ult. *Adire periculum* capitis. Livius II. c. 12. Capite suo *dimicare*. Aiebat ergo Hariolus monstrum pertinere ad Rusticum, nam agni ad ipsum pertinebant. Tum *capite* difformi, monstroso *capitis* periculum portendi. Id autem non dissimile factum a Tacito narratum Ann. XV. c. 47. commode illustrat: *Et in agro Placentino*, ait, *viam propter natus vitulus*, *cui caput in crure esset*; *secutaque Haruspicum interpretatio*. *Parari rerum humanarum aliud caput*, *sed non fore validum neque occultum*, *quia in utero repressum*, *aut iter iuxta editum sit*.

(13) *Avertendum*. A se, a capite suo. Proprie. Livius lib. III. c. 2. *Coelum visum est ardere plurimo igni*, portentaque *alia aut obversata oculis*, *aut vanas* exterritis *ostentavere species*. *His avertendis terroribus in triduum feriae indictae*, *per quas omnia delubra pacem Deorum exposcentium virorum*, *mulierumque turbâ implebantur*. Veteres tenebant Deos haud pertinaci animo quae portenderant conficere, sed ture, victimis, et sacrificiis placatos omina, monstra avertere: Ovidius V. Fast. v. 302.

Saepe Iovem vidi, *quum iam sua mittere vellet*
Fulmina, *ture dato*, *sustinuisse manum*.

(14) *Victimâ*. Maiori sacrificio,

Ille (16) autem adfirmat coniugem esse adulteram,
Et insitivos (17) significari (18) liberos:
Sed expiari posse (19) maiori hostia (20).
Quid multa? variis dissident (21) sententiis,
Hominisque curam (22) cura maiore (23) adgravant.
Aesopus ibi stans, narisque emunctae ut senex (24),

Scient

cio, vitulo, tauro, non agno, vel ove. Aelius Stilo apud Festum: *Victimam*, ait, *esse vitulum ob eius vigorem*. Virgilius II. Georg. v. 147. *Et maxima taurus* victima. Plautus Pseud. I. 3. v. 95. *Nolo* victimas, *agninis me extis placari volo*.

(15) *Periculum*. Quod portenderat monstrum.

(16) *Ille*. Alius Hariolus.

(17) *Insitivos*. Nothos, illegitimos, adulterinos. Metaphora ex arborum *insitione* desumta, qua arbor alterius originis et stirpis fructus alit et nutrit. Agnino autem corpore humanum caput *insertum* videbatur. Simili vero sententiā Cicero pro Sext. cap. 48. *Quum* insitivum *Gracchum censu prohibuissent*. Seneca Rhetor. II. Controv. c. 9. *Tota familia expellere* insitivum *heredem cupiente*. Svetonius in Tiber. c. 3. Insertus *in Liviorum familiam*.

(18) *Significari*. A monstro. Proprie. Valer. Max. I. c. 6. Ext. 1. *Quo genere monstri tanti apparatus* significatus *est eventus*. Vid. et. Burmann. Comm. novo ad hunc loc.

(19) *Expiari posse*. Facta re pia, re sacra, placatis sacrificio Diis averti, amoveri posse.

(20) *Maiori hostia*. Ovibus nempe perfectae aetatis, non agnis. *Maior* hic ratione aetatis, non magnitudinis sumitur. Livius lib. XXII. c. 1. *Decretum ut ea prodigia partim maioribus hostiis, partim lactentibus procurerentur*. Cicero II. de Legib. c. 12. *Quibus* hostiis *immolandum, cuique Deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis*.

(21) *Dissident*. Omnes Harioli in monstri interpretatione discrepant, discordes invicem sunt.

(22) *Hominisque curam*. Rustici sollicitudinem, angorem, moerorem. Hoc sensu Terentius Andr. II. 1. v. 5. *Animus curā confectus stupet*. Phorm. II. 2. v. 26. *Hic* curā *et sumtu absumitur*. Ita II. 4. v. 1. etc.

(23) *Cura maiore*. Acriore, asperiore, molestiore. Nam ubi antea unum tantummodo malum portendi verebatur, tum tot mala, tot pericula, tot damna sibi suisque impendentia pavebat, quot fuerant Hariolorum responsa, et sententiae.

(24) *Narisque emunctae ut senex*. Et quoniam erat senex prudentissimus, summo consilio et acri iudicio praeditus, qui facile res abditas occultas perspiceret, et veluti subodoraret. Elegans metaphora. Nam qui probe *emuncti* sunt, qui nares *emunctas*, mundas habent melius odores percipiunt, satius odorant. Ita quidem Horatius I. Satyr. 4. v. 10. *Homo* emunctae *naris*.

(25) Na-

Sciens Naturam verba nequaquam dare (25):
Si procurare (26) vis ostentum (27), Rustice,
Uxo-

(25) *Naturam verba nequaquam dare*. *Natura* hic pro rerum omnium parente et genitrice ponitur, unde omnia gignuntur et fiunt. Quo sensu sumsit Auctor etiam lib. I. fab. 2. v. 1. ut ibi pluribus adnotavimus. *Verba* autem *dare* est fallere, decipere, aliud promittere et ostendere aliud praestare, et se efficere. Sensus ergo est: Natura omnium parens et effectrix suis foetibus, ceterisque omnibus, quae fert, educit, gignit, caussas legesque certas necessarias sequitur, non vero quibusdam apparentiis fallit et decipit homines, ut aliud re praestet, aliud specie ostendat: Ut naturales effectus, cum caussis suis pugnent. Ita, puto, tum huius versiculi, tum superioris sententia et syntaxis recte procedit, Phaedroque dignae videntur. Attamen et in vulgatis Phaedri libris, et in Codice Perottino uterque versiculus aliquanto aliter leguntur. In illis:

Aesopus ibi stans naris emunctae senex,
Natura numquam verba cui potuit dare.

In Codice vero:

Aesopus ibi stans narrare incipit,
Naturam nequaquam verba cuiquam dare.

Sed in vulgatâ lectione non pauca sunt, quae probari non posse videntur. Nam quum Aesopus absolute dicitur *senex emunctae naris*, videtur tum primum Auctorem de eo meminisse, quod falsum est. Tum quid sibi vult: Naturam numquam potuisse Aesopo verba dare? Si Natura verba dat, haud is Aesopus esse potuit, ut Naturae parenti praestaret, omnesque plane eius effectus, omnes caussas, rationesque cognosceret. At sententia quam praesefert lectio Perottini Codicis et vera, et egregia, et opportuna est: Quamobrem Burmannus in Excerpt. legere maluit:

Aesopus ibi stans, narisque emunctae senex
Sciens naturam verba nequaquam dare.

Quod nos recipiendum duximus, addito tantummodo *ut*, quo *senex* satius spectaret *Aesopus*, et universa syntaxis melius, mea sententia, procederet. Sed hac de re in Variantib. etiam non pauca adnotavimus.

(26) *Procurare*. Vox solemnis et propria. Significat facere et praestare omnia, quae ex praescripto requiruntur, ut monstrum amoveatur, avertatur, expietur. Cicero de Div. lib. II. *Quemadmodum signa quae a Diis hominibus portenduntur procurentur et expientur*. Valerius Max. I. c. 1. *Sacrificio ostentorum ac fulgurum denunciationes* procurantur.

(27) *Ostentum*. Quod *monstrum* antea dixerat: ab *ostendendo*, quod Deorum voluntatem ostenderet, quum esset potissimum contra vulgares Naturae Leges. Ulpianus Dig. L. Tit. 16. Leg. 38. Ostentum *Labeo definit omne contra naturam cuiusque rei, genitum factumque*.

(28) *Uxo-*

Uxores (28), inquit, da tuis Pastoribus.

FABULA VII.

Simius in Macello prostans.

Pendere ad Lanium (1) quidam vidit Simium (2), In-

(28) *Uxores.* Uxores propriè ingenuorum tantum et liberorum erant coniuges, qui scilicet sacro et legitimo ritu eas ducebant, in quo praecipua erat ceremonia *ungendi* postes adipe, unde *uxores* veluti *unxores*, quod uno ore tradunt Plinius lib. XVIII. c. 9. Aelius Donatus ad Terentium Hecyr. I. 2. v. 60. Servius ad Virgilium IV. Aen. v. 459. Isidorus lib. IX. Orig. c. 7. et alii plures. Unde Iuno pronuba *unxia* quoque dicta fuit, ut ex Arnobio lib. III. adv. Gent. p. 115. VII. p. 227. et Marciano Capella lib. II. p. 37. constat. Verum haud dubium est, quin aetate Phaedri cuiusvis generis coniuges, et contubernales, et concubinae *uxores* abusive appellarentur. Horatius lib. I. Od. 17. v. 7. Capellas ipsas vocat *uxores* olentis mariti.

(1) *Pendere ad Lanium.* Apud Lanium, in Macello Lanii. *Pendere* proprie. Martialis lib. XII. Epigr. 63. v. 9.

Cernis ut Ausonio similis tibi pompa macello
Pendeat, *et quantus luxurietur honos.*

Ad pro *apud* eleganter. Livius lib. II. c. 10. *Rem ausus plus famae habiturum ad posteros quam fidei.* Seneca Herc. Oet. v. 1937.

Vadis inermis gnate per umbras,
Ad *quas semper mansurus eris.*

(2) *Simium.* Nempe mortuum, expositum in macello, quo emeretur esui. Schefferus et Desbillonius vivum interpretantur, et de catena pendentem. Sed perperam. Tum enim tota fabellae vis concidit, et potestas verborum corrumpitur. Quid Simium pendere ad Lanium, et inter carnes necatorum animalium, quid reliquae merces, et quomodo reliquae, si Simius merx non est, quid sapor vivi animantis, et qui esui non est quaeritur? Verum quidem est modo nos Simiorum carnibus non vesci. Sed quid obstat, quin tum nonnulli Romae in Urbe populosissima, et qua nil ad gulam intentatum relictum fuerat aliquis vesci eo voluisset? *Mecaenas pullos Asinorum epulari instituit*, ut scribit Plinius lib. VIII. c. 43. et notum est tum plura carnium genera, a quibus nos modo abhorremus, fuisse in deliciis.

(3) In-

Inter reliqüas merces (3), atque opsonia (4),
Quaesivit quidnam saperet (4): Tum Lanius iocans:
Quale, inquit, caput est (5), talis praestatur sapor (6):
Ridicule (7) magis hoc dictum, quam vere (8) aestimo (9);
Quando et formosos saepe inveni pessimos (10),
Et

(3) *Inter reliqüas merces*. Inter ceteras carnes, et res, quae in cibum prostabant. Plautus Aul. II. 5. v. 3.

Venio ad macellum, rogito pisces, indicant
Caros, agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia.

(4) *Quidnam saperet*. Qui sapor esset carnis Simii. Suavis ne esset esui Simius, an ingratus. Eleganter. Seneca Epist. 77. Quid sapiat *ostreum*, quid *mullus optime nosti*. Plinius IX. Hist. c. 33. *Sed ut experiretur* quid saperent *margaritae*. Ita Iuvenalis XI. Satyr. v. 81.

(5) *Quale caput est*. Scilicet *Simii*. Qualis est adspectus, qualis facies, si pulchra an deformis, si elegans an foeda.

(6) *Talis praestatur sapor*. Talem ego praesto tibi saporem, talis erit sapor carnis. *Praestare* erat solemne verbum venditoris, quo securum emtorem reddebat, eum talem re inventurum mercem, qualem vendiderat: et se veluti vadem pollicebatur: exitum rei in se recipiebat. Hoc sensu Cicero I. de Orat. c. 113. *Perge vero, Crasse, inquit Mucius. Istam enim culpam, quam vereris, ego praestabo*. Et propius cap. 171. *Defendebamus quidquid fuisset incommodi in mancipio, id si venditor scitset, neque declarasset, praestare debere*. Vid. et. Vitruvium lib. II. c. 9.

(7) *Ridiculè*. Iocose, ad iocum, ad captandum risum. Vox hîc non contumeliam significat; sed simpliciter sumitur. Plautus Prolog. Asinar. v. 13.

Inest lepos ludusque in hac Comoedia,
Ridicula *res est, date benignam operam mihi.*

Et Captiv. III. 1. v. 21.

Dicam unum ridiculum *dictum de dictis melioribus*.

Cicero I. de Orat. c. 57. *Non modo acute, sed etiam* ridicule *et facete*.

(8) *Verè*. Ex veritate, quod verum sit.

(9) *Aestimo*. Puto, arbitror, existimo. Hoc sensu Sallustius in B. Catil. c. 31. *Ne aestimarent sibi perditâ Republicâ opus esse*. Martialis lib. XI. Epigr. 1.

Ecquid te satis aestimas *beatum*.

Et Noster lib. IV. fab. 17. v. 15.

Turpe aestimantes *aliquid commissum a suis*.

Et ita Hyginus fab. 27. 29. 68. 88. 104. 106. 136. 180. 190. Quae in Bentleii et aliorum fastidium sunt satis.

(10) *Pessimos*. Improbos, nequissimos: Quod scilicet, ut aiebat Petronius Satur. cap. 94. *Raram facit mixturam cum sapientia forma*.

(11) Op-

Et turpi facie multos cognovi optimos (11).

FABULA VIII.

Aesopus, et Petulans.

Successus (1) ad perniciem multos devocat (2).
Aesopo quidam petulans (3) lapidem impegerat:
Fio, inquit, melior (4); Assem (5) deinde illi dedit,
Sic

(11) *Optimos*. Egregiis animi virtutibus ornatos. Quod verum est. Ad rem Claudianus de Laud. Stilic. I. v. 25.

..... *Quem vultus honestat,*
Dedecorant mores, animus
que'n pulchrior ornat
Corpus destituit.

(1) *Successus*. Faustus scilicet, felix, bonus. Ita saepe absolute, et per excellentiam. Virgilius II. Aen. v. 386. Choroebus successu *exsultans*. Tacitus IV. Hist. c. 28. Successu *rerum ferocior*. Plinius lib. II. c. 3. *Mirum quo procedat improbitas cordis humani, parvulo aliquo invitata* successu. Similia VII. c. 7. et Noster in reliquis vulg. lib. II. fab. 3. v. 7.

(2) *Devocat*. Pellicit, allicit, trahit in praeceps. Rectissime, quod scilicet a bonis esset quidam descensus et casus ad mala, et perniciem, ut apposite observabat Schefferus. *Devocare* autem est vocare de loco sublimi ad humilem. Cicero V. Tusc. c. 6. *Socrates primus Philosophiam devocavit e Coelo*. Horatius Epod. XVI. v. 5. *Refixa Coelo devocare sidera*. Ita Plinius lib. XXVIII. cap. 2. et Noster etiam in cet. vulg. lib. I. fab. 20. v. 2.

(3) *Petulans*. Proprie. Nam Petulantes *et petulci* ... *appellantur qui protervo impetu et crebro petunt, laedendi alterius gratia*. Festus.

(4) *Fio, inquit, melior*. Ex lectione Codic. Perottini. Aesopus nempe ait: hoc pacto virtutibus fio instructior, evado potior in virtutibus, nobilem animi virtutem exerceo. Hoc sensu *melior* elegans. Cicero I. Parad. fin. *Quidquamne bonum est, quod non eum qui possidet* meliorem *faciat? Quid autem est bonum in voluptate, meliorem ne efficit, aut laudabiliorem virum?* Horat. III. Ode 1. v. 11.

Moribus hic melior*que famâ*.

Vulgo *tanto, inquit, melior*. Sed vid. omnino Variant. nostras.

(5) *Assem*. *As* Phaedri aetate erat nummus aereus demiunciae fere ponderis, et paullo maioris pretii, quam nummus noster, quem *granum* vocamus. Dixi aetate Phaedri. Nam superioribus temporibus et pondere et pretio varius fuerat. Vid. Buddeum de Asse. Beverinium de ponderib. et mensuris Antiqu. etc.

(6) Sic

Sic prosequutus (6): Plus non habeo (7) me hercules (8):
Sed unde accipere (9) possis monstrabo tibi;
Venit ecce dives et potens (10), huic similiter
Impinge lapidem, et dignum (11) accipies praemium:
Persuasus ille (12), fecit quod monitus fuit;
Sed spes fefellit impudentem audaciam (13),

Com-

(6) *Sic prosequutus*. Supple *loqui*. Sic pergens, quo sensu Virgilius II. Aen. v. 107.

Prosequitur *pavitans, et ficto*
pectore fatur.

(7) *Plus non habeo*. Supple *nummorum*, pecuniarum. Plautus Mil. Gl. IV. 2. v.72. Plus *mihi* auri *mille est modiorum Philippei*. Cicero I. de Inv. c. 47. *Vultis autem* pecuniae plus habere.

(8) *Me hercules*. Ut in Cod. Perottino. Vulgo *mehercule*.

(9) *Accipere*. Plura, plures nummos, maiorem pecuniae vim.

(10) *Dives et potens*. Qui tum divitiis et opibus, tum potentia praestaret, auctoritate nempe, gratiâ, dignitate. Terentius Adelph. III. 4. v. 56.

Potentes, dites, *fortunati*,
nobiles.

Cicero II. de Offic. *Quis est qui inopis et optimi viri caussae, non anteponat in operâ dandâ gratiam* fortunati et potentis.

(11) *Dignum*. Tuo egregio facinori conveniens, operae tuae congruens. Virgilius I. Aen. v. 609. *Di tibi* praemia digna *ferant*.

(12) *Persuasus ille*. Et facile quidem. Nam quum Petulans vidisset Aesopum lapidis ictum beneficii loco habuisse, quod animi virtutem exercens melior, ut aiebat, factus esset, nullo negotio ad eam opinionem venit, et alios esse, qui ad huiusmodi patientiam comparare animum vellent, et proinde iniurias et contumelias magni habendo se grandi pecunia tamquam ex recepto beneficio donarent. Quod animadvertendum. Nam ubi supra legitur *tanto melior*, nullo pacto intelligitur, quomodo Petulans persuadere sibi id potuisset. Rem vidit Ioannes de la Fontaine lib. XII. fabl. 22. qui ideo Phaedrianae Fabellae rationes quasdam addidit, quibus homini suaderi facinus potuisset. At omnia egregie procedunt, Perottini MS. lectione receptâ.

(13) *Sed spes fefellit impudentem audaciam*. Elegans loquendi modus. Quo Cicero I. Ep. Fam. 13. de Orat. c. 2. Et IV. Catilin. c. 23. aliique utuntur. Schefferus autem pro *impudentem* maluisset *imprudentem*. Perperam. Nam illud longe opportunius et congruentius rei est. Tum audacia semper imprudens est, et maxime, quum fallitur, sed non semper est *impudens*. Terentius tandem Heaut. II. 3. v. 72.

O hominis impudentem audaciam!

(14) *Com-*

Comprensus (14) namque poenas persolvit (15) cruce.

FABULA IX.

Musca, et Mula.

Musca in temone (1) sedit (2), et Mulam (3) increpans,
Quam tarda es (4), inquit! Non vis citius progredi?
Vide (5) ne dolone (6) collum compungam tibi.
Re-

(14) *Comprensus*. Ut in Cod. Perott. vulgo *comprehensus*. Vox autem proprie sumitur. Cicero III. Catil. c. 7. *Nefarios duces captos iam et* comprehensos *tenetis*. Ad Q. Fratr. I. Epist. 2. *Hominem* comprehendit, *et in custodiam Ephesi tradidit*.

(15) *Poenas persolvit*. Sceleris nempe, facinoris, quod patraverat. Virgilius IX. Aen. v. 422.
. . . *Calido mihi sanguine* poenas
Persolvet.
Cicero XI. Philip. c. 12. Poenas *Diis hominibusque meritas, debitasque* persolvat.

(1) *In temone*. Supple *currus*. Temo est lignum oblongum et teres, quod in anteriore currus parte configitur, ut ad illud aptentur iumenta, quae currum ducant.

(2) *Sedit*. Sese imposuit, collocavit. Vid. Lib. I. Fab. 25. v. 1.

(3) *Mulam*. Quae ducebat currum. Apud Veteres maximus erat mularum usus ad currus, nec fere ad aliud officium, nisi ad istud adhibebantur. Varro III. R. R. c. 17. *Rhedariae mulae*. Svetonius in Neron. c. 30. *Numquam curribus minus mille fecisse iter traditur, soleis* mularum *argenteis, et canusinatis mulionibus*. In Vespasian. c. 23. *Mulionem in itinere quodam suspicatus ad calceandas mulas desilisse*. Vid. et. Martialem lib. VIII. Epigr. 61. v. 7. I. Epigr. 80. XI. Ep. 80. Haec autem ob ea etiam adnotamus quae Lib. I. Fab. 30. v. 7. innuimus.

(4) *Tarda es*. Lenta es in incessu, tarde incedis. Hoc sensu Cicero II. de Finib. cap. 23. tarda *et languida* pecus. Virgilius I. Georg. v. 273. tardus *asellus*. II. v. 206. tardi *iuvenci*. Ovidius XVI. Epist. Her. v. 56. tarda *bos*.

(5) *Vide*. Diximus Lib. I. Fab. 11. v. 14.

(6) *Dolone*. Aculeo, cuspide, qua muscae pungunt. Lepidè. Nam *dolo* graeca vox, ut ex Hesychio patet, proprie est bacillus, virga, qua mucro vel gladius

Respondit illa : Verbis non moveor (7) tuis :
Sed istum (8) timeo, sella qui prima sedens (9),
Iugo et flagello temperat collum meum (10),
Et

dius latet. Ita dictus quod videntes *dolo* fallat. *Dolones*, ait Isidorus XVIII Orig. cap. 9., *sunt vaginae ligneae inter quas latet pugio sub baculi specie: Dolones autem a dolo dicti sunt, quod fallant et decipiant ferro, quum speciem praeferant ligni*. Virgilius lib. VII. Aen. v.664.

Pila manu saevosque gerunt in bella dolones.

Ubi vid. Servium. Muscae autem aculeus etiam in vaginâ quadam conditur, ut cuspis ferrea in baculo, qui *dolo* dicitur.

(7) *Non moveor*. Non commoveor, non turbor, non paveo ad haec tua verba. Cicero pro Deiot. c. 11. Movebantur *animo, et de salute Populi Romani extimescebant*. Virgilius VI. Aen. v. 399.

Nullae hic insidiae tales, absiste moveri.

(8) *Istum*. Aurigam scilicet, quem tam eleganti periphrasi describit.

(9) *Sellâ qui primâ sedens*. Sellâ mihi proximiâ, scamno a me primo: quo reverâ aurigae sedent. Locum hunc Propertius *primum temonem* lib. IV. Eleg. 8. v. 21. poeticè dixit.

(10) *Iugo et flagello temperat collum meum*. Tum iugo, tum flagello cohibet, coercet, moderatur collum meum, ne evadam et fugiam, ut recte, et ad voluntatem suam currum ducam. *Temperat* hoc sensu latine. Horatius l. Od. 8. v. 6.

Cur neque militaris Inter aequales equitet, Gallica nec lupatis
Temperet *ora fraenis*.

II. Satyr. 5. v. 70.

. . . *Mulier si forte dolosa Libertusve senem delirum* temperet.

Virgilius l. Aen. v. 61. . . *Molitque animos et* temperat *iras*.

Sed versiculus in Codice sic legitur:

Iugum flagellans temperat collo meum.

Et in veteribus Phaedri editionibus:

Iugum flagello temperat lento meum.

Sed quid *temperare iugum flagello*? Nec iugum temperatur, nec flagello. Vid. Burmann. in Comm. novo. Ideo Critici de isto versiculo fuere semper soliciti, unoque ore mendosum esse pronuntiarunt. Quae ipsi excogitarint in Variantib. retulimus. Sed quum Codex noster genuinum verae lectionis elementum continere visus fuerit, ideo arripuimus. Quis enim dubitare potest quin Auctor scripserit *temperat collum*, si paullo post est *continet ora*? Tum collum vere et iugo coercetur, et flagello temperatur ac regitur. Si *iugi flagello* latinum et rectum esset, vel *iuge* pro *iugiter* quod usurpavit Prudentius περι στεφ. XIV. v. 472. argenteae saltem esset aetatis *iugum* illud omitti posset. Sed si illa lectio valde probabilis est, quid haec incerta sectari?

(11) Con-

Et ora frenis continet (11) spumantibus (12):
Quapropter aufer frivolam insolentiam (13).
Ubi sit tardandum (14), et ultro (15) currendum scio (16).
Hac derideri fabula merito potest,
Qui sine virtute (17) vanas (18) exercet minas (19).

FA-

(11) *Continet*. Proprie. Cicero II. de nat. Deor. cap. 22. *Mundus omnia complexu suo coercet et* continet. Plinius lib. XVII. c. 22. Continere *aliquid* vinculo.

(12) *Spumantibus*. Quae spumam faciunt, movent: quod nempe acriter, aspere ab auriga mula haberetur. Virgilius IV. Aen. v. 135. et V. v. 817. Spumantia *frena*.

(13) *Aufer frivolam insolentiam*. Abiice, depone futilem, ineptam, inanem hanc insolentiam, qua me terrere captas. *Frivola*, ut ait Festus, *sunt proprie vasa fictilia quassa*: quod etiam ex Varrone I. R. R. c. 9. Plinio lib. XII. cap. 19. XXXIV. cap. 12. patet. Unde quaevis inepta, futilia, nullius momenti *frivola* dicta sunt. Vid. Senecam de Tranquill. c. 1. Iuvenalem Satyr. III. v. 198. Plinium lib. XXV. c. 3. Quintilianum lib. VII. c. 2. Vetus autem Poeta apud Ciceron. II. de Orat. c. 46. Auferte *istam superbiam*.

(14) *Tardandum*. Tarde lente procedendum. Cicero ad Brutum Epist. 18. *Quaesivit arcesseremusne te, an* tardare, *et commorari te melius esset*. Ad Attic. VI. Ep. 7. *Numquid putes reipublicae nomine* tardandum *esse nobis?*

(15) *Ultro*. Sponte mea, meo arbitrio, mea voluntate, non tuâ, non coacta. Cicero IV. Famil. Ep. 13. *Nec mihi quidquam tali tempore in mentem venit optare, quod non* ultro *mihi Caesar detulerit*. Virgilius II. Aen. v. 145.

His lacrimis vitam damus et miserescimus ultro.

(16) *Scio*. Totus versiculus sic vulgo legitur:

Namque ubi strigandum est, et ubi currendum scio.

Sed Perottini Codicis lectionem esse praeferendam et in Variantib. et in I. Dissert. in Codic. §. 8. iam ostendisse putamus.

(17) *Sine virtute*. Sine viribus, sine potentia et fortitudine. *Virtus* hic non sumitur pro animi habitu, quo bonum et rectum optamus et facimus. Sed generatim, quae prima vocis potestas, pro vigore, vi, fortitudine. Hoc sensu Cicero IV. de Finib. c. 13. *Ita fiet ut animi virtus, corporis* virtuti *anteponatur*. Nepos in Reg. c. 2. *Siculus Dionysius quum* virtute *tyrannidem sibi peperisset*. Similia Virgilius II. Aen. v. 390. Noster in cet. vulg. lib. I. fab. 13. v. 13. etc.

(18) *Vanas*. Quod sine virtute sint, quod nulla re, nullo fundamento innitantur.

(19) *Exercet minas*. Minatur, comminatur. Eleganter. Simili sententia Sallustius B. Catilin. c. 9.

FABULA X.

Lupus, et Canis.

Quam dulcis sit Libertas breviter proloquar (1).
Cani perpasto (2) macie confectus (3) Lupus,
Forte occucurrit (4); dein salutati invicem (5),
Ut restiterunt (6): unde sic, quaeso, nites (7)?

Aut

c. 9. dixit exercere *iurgia*. Virgilius I. Georg. v. 403. Exercere *cantus*. IX. Aen. v. 62. Exercere *balatum*.

(1) *Proloquar*. Loquendo aperiam, dicendo notum faciam. *Pro* in *proloquor* eamdem vim habet, ac in *prodo*, *promo*, *profero*, *produco*. Plautus Captiv. Prol. v. 6.

Id ego apud vos proloquar,
si operam datis.

Et Terentius Phorm. II. 1. v. 83. *Non potuit cogitata* proloqui.

(2) *Perpasto*. Bene pasto, pingui, praepingui. Nemo enim fieri pinguis potest sine multo cibo, nisi se affatim pascat.

(3) *Macie confectus*. Macie plane extenuatus, corporis extenuatione fere mortuus. Cicero VII. Verr. c. 53. *Nautae fame atque inopiâ rerum omnium confecti et perditi*. Et Virgilius III. Aen. v. 500. Macie *suprema* confectus. Vid. etiam Lib. I. Fab. 8. v. 6.

(4) *Forte occucurrit*. Vulgo *Forte occurrit*. Visum est tamen recipere emendationem Bentleii, Harii, Cuningamii, Iuvenatii, et aliorum. Nam levissima est, et eâ longe numerosior et Phaedro dignior versiculus redditur. Simili autem pacto legendum vidimus Lib. I. Fab. 31. v. 3.

(5) *Dein salutati invicem*. Quum se invicem salutassent, postquam se invicem salutârunt. Ovidius Epist. Her. XX. v. 92. *Superi salutati*. II. ex Pont. 7. v. 1. *Esse salutatum vult te mea littera primum*. I. Trist. III. v. 34. *Esse salutati tempus in omne mihi*. Et IV. Fast. 539. *Matre* salutatâ. In Remensi Codice, Gudio teste, erat *dein salutantes invicem*, quam lectionem, utpote quae versiculi metrum corrumpebat, pluribus modis, quorum partem in Variantib. adduximus, docti Viri immutarunt. Sed lectio Codicis Perottini una genuina videtur. Nam est *occucurrit*, et *restiterunt*. Brotierius in Dorvillianis Schedulis legit *salutanti*, at Burmannus *salutati*.

(6) *Ut restiterunt*. Ad colloquendum. Vid. Lib. I. Fab. 22. v. 5.

(7) *Unde sic, quaeso, nites*. Verba Lupi ad Canem. Qua ratione factus es tam nitidus et pinguis? Eleganter *nites*. Hoc sensu Virgilius III. Aen. v. 20.

Tam-

Aut quo cibo fecisti tantum corporis (8)?
Ego qui sum longe fortior, pereo fame.
Canis simpliciter (9): eadem conditio est (10) tibi,
Praestare domino (11) si par (12) officium potes.
Quale, inquit, ille (13)? Custos ut sis liminis (14),
A furibus tuearis et noctu domum (15).

Ego

Taurum nitentem dixit: Ovidius I. Met. v. 610. *Iuvencam.* Nepos in Eum. c. 5. *Iumenta nitida*: Et Horatius I. Epist. 1. v. 15. *Me pinguem et* nitidum scripsit: Ut II. Satyr. 2. v. 128. *O pueri* nituistis.

(8) *Fecisti tantum corporis.* Factus es tam corpulentus, evasisti tam crassus, obesus, adipatus. *Facere corpus* hîc est facere, augere, comparare carnem et pinguedinem, pinguescere: ut *amittere corpus*, est macrescere, macie absumi: quod ex Lucretio lib. I. v. 810. Cicerone VIII. Famil. Epist. 26. Ovidio Epist. Her. III. v. 141. Quintiliano Declam. V. c. 9. constat. *Facere* autem apud Nostrum latine usurpatur. Nam eadem sententiâ rursus Cicero III. Verr. c. 2. dixit facere *pecuniam*. Ovidius Epist. Her. v. 82. facere *sanguinem*. Plinius lib. XXVI. c. 2. facere *caput*. Quintilianus lib. X. c. 3. Vires *facere*. Quin cap. 1. *Macer*, ait, *et Lucretius legendi quidem, sed non ut phrasin, idest* corpus *eloquentiae* faciant. Et Seneca IV. de Benef. ut recte Burmannus legit: *Vobis voluptas est inerti otio* facere corpusculum.

(9) *Canis simpliciter.* Supple *respondit lupo*. Candide nempe, aperto animo, amicê. Nam nec dissimulavit officia, nec maligne a sua conditione suscipienda lupum avertit. Vide Epilog. Epitom. ad v. 3.

(10) *Eadem conditio est.* Vulgo *eadem est conditio*. Sed Codicis Perottini lectio genuina est, quae tamen Dorvillium fugit. Quin nescio quomodo factum sit, ut ea in Variant. etiam nostris non inveniatur: Quum sit in Schedulis, in quibus pridem ex Codice excripseramus.

(11) *Domino.* Meo.

(12) *Par.* Ac ego praesto.

(13) *Quale, inquit, ille*: Lupus scilicet: Vulgo *quod*. Sed potius *quale*: qualis nempe naturae, conditionis, generis.

(14) *Custos ut sis liminis.* Haec Canis. Explicat modo quale erat illud officium, in quanam operâ positum erat illud officium: quod τo *quale* magis firmat. *Limen* autem proprie est *postis* iannae. Eleganter vero pro ipsa ianua, pro ipsis foribus sumitur. Vid. Virgilium II. Aen. v. 441. VI. v. 402. etc.

(15) *A furibus tuearis et noctu domum.* Ordo est: *et tuearis noctu domum a furibus*: Ut tu praestes tutam domum per noctem. Desbillonius interpungebat: *A furibus tuearis*, et noctu, *domum*: ut sensus esset: ut tuearis a furibus domum, non modo interdiu, sed etiam noctu. Perperam. Nam Canis interdiu catenâ alligatus erat et

dor-

Ego vero sum paratus (16): Nunc patior nives (17),
Imbresque in silvis (18), asperam vitam trahens (19).
Quanto est facilius mihi (20) sub tecto vivere,
Et otiosum largo (21) satiari cibo?
Veni ergo mecum (22): Dum procedunt, aspicit
Lupus a catena collum detritum Cani (23).

(Un-

dormiebat, ideoque operam in arcendis furibus praestare non poterat.

(16) *Ego vero sum paratus*. Verba Lupi ad Canem.

(17) *Nunc patior nives*. Eleganter. Ita Cicero II. Catilin. c. 10. *Pruinas ac nives perferre*. Virgilius de ipso Lupo lib. IX. Aen. v. 59.

Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,
Quum fremit ad caulas ventos perpessus et imbres.

Similia Frontinus IV. c. 1. §. 1. Florus Poeta apud Spartian. in Adrian. c. 16.

(18) *In silvis*. Opportune. Nam ibi frigora saeviora, asperiores hiemes, potissimum quum sub dio, et absque tecto manendum est.

(19) *Asperam vitam trahens*. Eleganter. Virgilius II. Aen. v. 92.

Afflictus vitam *in tenebris luctuque* trahebam.

Et III. v. 646.

Quum vitam in silvis *inter deserta ferarum*
Lustra domosque traho.

Vid. et. Ovidium V. Trist. 7. v. 65. Claudianum III. de Rapt. Proserp. v. 259.

(20) *Quanto est facilius mihi*. Quanto est mihi commodius, utilius, suavius. *Facile* hic non est facili modo, nullo negotio ac labore, sed utiliter, cum commodo, et utilitate. Hoc sensu Plautus Curcul. V. 2. v. 26. Plan. *Nugas garris*. Curc. *Soleo*. *Nam propter eas vivo facilius*. Terentius Adelph. III. 4. v. 56.

Quam vos facillime agitis,
quam estis maxime
Potentes, dites, fortunati, nobiles.

Cicero XIII. ad Attic. Ep. 26. *Locum habeo nullum ubi facilius esse possim, quam Asturae*. Et Petronius Satur. cap. 43. *Facile est ubi omnia quadrata currunt*.

(21) *Largo*. Abundanti, copioso. Livius lib. XL. cap. 14. *Die festo inter aequales* largiore *vino uti*. Petronius Satur. c. 82. Largiore *cibo excito vires*.

(22) *Veni ergo mecum*. Verba Canis ad Lupum. Veni in domum Domini.

(23) *Detritum cani*. Supple *esse*. Proprie *detritum*. Plinius VIII. Hist. cap. 48. *Vestis usu* detrita. Seneca Hippol. v. 33.

Et pugnaces tendant Cressae
Fortia trito *vincula collo*.

Vulgo *Canis*, quod locum frigidissimum reddit. Acute Bentleius, et antea Heinsius ex coniectura *Cani* restituerant, quod Codex Perottinus exhibet, et dubitari nequit quin sit genuinum.

(24) *Un-*

Unde hoc, amice (24)? Nihil est (25). Dic, sodes, tamen (26):
Quia videor acer (27), alligant me interdiu (28),
Luce ut quiescam (29), et vigilem nox quum venerit:
Crepusculo (30) solutus, qua visum est, vagor.
Af-

(24) *Unde hoc, amice.* Lupus loquitur. Amice Canis, qua ex caussa tibi collum detritum est?

(25) *Nihil est.* Responsum Canis. Ita autem plane de rebus quae pudorem vel molestiam faciant interrogati respondere solemus. Ita Terentius Andr. II. 6. v. 18. Phorm. V. 8. v. 6. Persius Satyr. III. v. 94. Virgilius in Ciri v. 235. etc.

(26) *Dic, sodes, tamen.* Iterum Lupus. Vulgo *quaeso* pro *sodes.* Nos lectionem Codicis Perottini praetulimus, quod iam fecit Philippus. Primum quod *quaeso* et superius offenditur. v. 4. tum quod *dic sodes*, videtur esse magis ex recepta formula: Vid. quae Lib. I. Fab. 10. ad v. 5. adnotavimus.

(27) *Quia videor acer.* Vehemens nempe, asperior, inquietus. Ita Canes *acres* veluti proprie dixerunt Varro I. R. R. c. 21. Virgilius III. Georg. v. 26. Horatius XII. Epod. v. 6. Ovidius VII. Metam. v. 806. Columella VII. R. R. c. 12. Seneca Rhetor. III. Controv. 20. Seneca Philosophus de Constant. c. 14. Consol. ad Marc. c. 22. Haec autem Canis ad Lupum.

(28) *Alligant me interdiu.* Me per diem catena obstringunt; per spatium diei me vinciunt. Cato R. R. c. 124. *Canes interdiu clausos esse oportere, ut noctu acriores, et vigilantiores sint.*

(29) *Luce ut quiescam.* Dum Solis lux adest, per diem. Apposite. Nam primum *lux* eleganter pro *die* sumitur, ut etiam a Virgilio X. Aen. v. 224. Ovidio XIII. Epist. Her. v. 104. Cicerone pro Milon. cap. 35. Tum etiam quod rectâ opponitur *tenebris* noctis, per quas Canis opera desiderabatur, non per *lucem.* *Quiescere* autem hîc potissimum in dormiendi sensu usurpatur; quum mox sit *vigilem.* Et recte. Ita Plautus Merc. II. 3. v. 36. Quievi *in navi noctem perpetem.* Cicero VI. Verr. c. 14. *Eo quum venio Praetor* quiescebat. Curtius IV. cap. 13. *Non somno* quiescere, *sed pavore marcere credebant.* Apuleius IX. Met. *Somnum humanum* quievi.

(30) *Crepusculo.* Quum advesperascit, quum dubia adhuc et ambigua est lux, unde facta vocabulo origo. Nam *creperus*, unde *crepusculum*, fuit dubius et incertus, ut Varro IV. L. L. c. 2. Festus in *Decrepit.* Nonius cap. 1. p. 13. aliique tradunt. Quod tempus elegantissime describit Ovidius IV. Met. v. 400. Est quidem et crepusculum matutinum, quod solem exorientem praecedit, sed invaluit usus, ut hoc proprie *diluculum*, vespertinum vero *crepusculum* absolute diceretur. Servius quidem ad Virgil. II. Aen. v. 268. aperte scribit usu constitutum unum diluculum *crepusculum* appellari.
Sed

Affertur ultro (31) panis, de mensa sua
Dat ossa Dominus, frusta iactat familia (32),
Et quod fastidit quisque pulmentarium (33):
Sic sine labore (34) venter impletur meus.
Age (35), si quo abire est animus (36), est licentia (37)?

Non

Sed vel Servius de suis plane temporibus loquitur, vel, ut non raro, fallitur. Nam certum est circa Phaedri aetatem *crepusculum* de vespertino κατ' ἐξοχὴν fuisse usurpatum. Vid. Ovidium IV. Fast. v. 735. Epist. Her. XIV. v. 21. Columellam lib. VI. R. R. c. 23. Et XII. c. 1. Plinium XVIII. c. 25. etc.

(31) *Ultro*. Etsi non petam, non postulem, ex bona eorum voluntate. Vid. superiorem Fab. v. 9.

(32) *Frusta iactat familia*. Qui ex familia et domo sunt, obiiciunt, mittunt mihi frusta, partem ciborum et eduliorum suorum. *Familia* hic non sumitur pro coetu servorum, ut supra Fab. 3. v. 26., sed liberorum et ingenuorum, quibus Dominus praeerat, uxor scilicet, filii, cognati, qui cum patrefamilias adcumbebant: Servi enim cum Dominis numquam praeter Saturnalium tempora accumbebant. Quo sensu Cicero pro Cluent. c. 16. Pro Muren. c. 8. Nepos in Attic. c. 8. vocem sumserunt.

(33) *Pulmentarium*. *Pulmentarium* generatim appellabant Romani omnem cibum, praeter panem, omne opsonium, quod cum pane comederent. Unde Seneca Epist. 87. *Caricae si panem habeo pro* pulmentario *sunt, si non, pro pane*. Origo nominis a *pulte*, quod Romani diu non pane, sed pulte usi fuissent. Varro apud Charisium lib. I. p. 56. Edit. Putsch. Pulmentum, *quod id cum pulte essent, et inde pulmentarium dictum*. Plinius lib. XVIII. c. 8. Pulte *non pane vixisse longo tempore Romanos manifestum; quoniam inde et pulmentaria dicuntur*. Sed sigillatim *pulmentarium* cibus erat exquisitius paratus, coctus, conditus, quo sensu apud Nostrum sumi omnino videtur. Ita Horatius II. Satyr. 2. v. 19.

. . . . . *Non in caro nidore voluptas*
Summa, sed in te ipso est. Tu pulmentaria *quaere*
Sudando, pinguem vitiis albumque nec ostrea,
Nec Scarus, aut poterit peregrina iuvare Lagois.

Vid. et. Plinium lib. XV. c. 15. Persium Satyr. III. v. 102. Et Iuvenalem Satyr. VII. v. 184. etc.

(34) *Sine labore*. Nullo meo labore, ne minimum quidem laborando, quo tam largum et exquisitum cibum mihi parem.

(35) *Age*. Lupus loquitur. *Age* hortandi vim habet, ut quis aliquid faciat, aut facere pergat. Terentius Adelph. V. 8. v. 4. Age *da veniam filio*. Virgilius III. Georg. v. 42. *En* age *segnes rumpe moras*. Ita IV. Aen. v. 569.

(36) *Est animus*. Est voluntas,

Non plane est, inquit (38): Fruere his (39) quae laudas Canis;

Regnare nolo, libertatem nisi habeam (40).

FABULA XI.

Frater, Soror, et Pater.

Habebat quidam filiam turpissimam (1), Idemque (2) insignem pulchra facie (3) filium. Hi,

tas, est libido, est voluptas. Eleganter. Virgilius IV. Aen. v. 639.

... Quae rite incoepta paravi Perficere est animus.

Sabinus Epist. II. v. 106.

Est animus reditus, sed pia caussa tenet.

(37) *Est licentia*? Est licitum, datur venia, licetne?

(38) *Inquit*. Canis.

(39) *His*. Omnibus his, quae modo enumerasti. Vocula in vulgaris Phaedri libris deest. Sed satius ex Codice Perottino restitui nemo, ut puto, non videt. Habet etiam Romulus Nilantii.

(40) *Regnare nolo, libertatem nisi habeam*. Lupus pergit loqui. Non modo, o Canis, lubenter commoda, quae mihi ostendis recuso, sed etiamsi regno potiri possem, nollem nisi mecum libertatem haberem, nisi libertate truerer. Vulgo legitur:

Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

Cuius versiculi sententia vel absurda est, vel involutior: Nostri contra perspicua et opportuna. Tum egregie Promythio respondet:

Quam dulcis sit libertas breviter proloquar.

Vid. et. Varian es nostras.

(1) *Turpissimam*. Valde deformem, facie foedâ. Ita in cet. vulg. lib. IV. fab. 4. v. 6.

Devotam vino tertiam et turpissimam.

(2) *Idemque*. Idem homo, quod rectissimum. Saepe editum est *itidemque*, sed nulla, quod sciam, auctoritate. Illud autem habet Perottinus Codex.

(3) *Insignem pulchrâ facie*. In Perottino Codic. *Insignem et pulchrâ*. Nos quidem in Varianttib. putavimus lectionem MS. ipsam esse ac vulgatam, nempe: *Insigni et pulcra*: Quum nos fefellisset e sane subobscurum et detritum, et lineola superimposita *i* vicem gerens. Modo autem repetitis curis *insignem et pulcra* eruimus, non *insignem pulcrâ*, quod Burmannus et Brotierius in Dorvillianis Schedulis legerent. Quam MS. lectionem reiecto *et* recipiendam putavimus; Quum et Brotierius probag-

Hi, speculum in cathedra matris (4) ut positum fuit,
Pueriliter (5) ludentes, forte inspexerunt (6):
Hic se formosum iactat (7), illa irascitur,
Nec gloriantis sustinet (8) fratris iocos (9),
Ac-

basset, et Bentleius, ac Cuningamius coniecturâ proposuissent. Et re quidem vera etsi *insigni et pulcrâ facie* damnari, ut puto, nequeat, palam est et satius et elegantius scribi *insignem pulcrâ facie*. Virgilius IX. Aen. v.583. *Puer insignis facie*. Ovidius V. Epist. 125. *Sit facie quamvis insignis*. Iustinus XXIV. c.3. *Insignis formâ*. Frontinus IV. 1. 10. *Filiae insignes specie*: quae est *pulcra facies*.

(4) *In cathedrâ matris*. *Cathedra*, graeca vox a *καθέζομαι sedeo*, est hic Sella maior et amplior, quibus delicatiores et mulieres commodissime sederent. Martialis III. Epigr. 63.

Inter femineas *tota qui luce* cathedras
Desidet.

Iuvenalis VI. v. 90.

... *Famam contemserat olim*,
Cuius apud molles *minima est iactura* cathedras.

(5) *Pueriliter*. Non puerorum more, non perinde ac pueri essent, quasi Auctor de iuvenibus vel viris loquatur. Sed omnino quod pueri adhuc essent. Patet enim de pueris in fabella agi. Quo sensu Livius lib. XXI. c.2. *Annibal annorum ferme novem* pueriliter *blandiens patri Hamilcari*.

(6) *Inspexerunt*. Absolute. Oculos coniecerunt, aciem converterunt. Ita Terentius Adelph. III. 4. v. 51. Inspicere *tamquam in speculum in vitas hominum iubeo*. Apuleius in Apolog. p. 252. *Quando et quibus praesentibus in speculum* inspexerim. Vulgo *inspexerant*. Sed uterque Codex Pithoëanus et Remensis illud non hoc exhibuerunt, Gudio et Brotierio testibus. Nec dubitaverim quin Codicum lectio genuina sit, quum praecesserit, *ut positum fuit*. Ideoque mirari licet, quomodo Pithoeus veterem lectionem immutaverit, et Brotierius cum ceteris immutationem probaverit.

(7) *Iactat*. Gloriatur. Scilicet, quod, ut ait Ovidius I. Fast. 417.

Fastus inest pulcris, sequiturque superbia formam.

Vid. Lib. I. Fab. 29. v. 4.

(9) *Nec sustinet*. Nec ferre aequo animo potest, haud fert, haud tolerat. Eleganter. Cicero VII. Verr. c. 39. *Videbar tantum hoc crimen* sustinere *se nullo modo posse*: VII. Philipp. c.6. *O Dii quis huius potentiam poterit* sustinere? Hyginus fab. 104. *Laodamia dolorem* non sustinens. Similia Ovidius XIII. Metam. v. 384.

(9) *Iocos*. *Iocus*, ut et Lib. I. Fab. 10. ad v. 13. adnotavimus est dictum ridiculum, dicterium, scomma, quo risus excitari potest, et animus oblectari. At quum nil magis homini doleat, quam rideri, et *ioci* potissimum circa personas versentur, ideo fieri nequit, quin *ioci*, iis de quibus fiunt sint acerbissimi et me-

Accipiens (10) [quid enim (11)?] cuncta in contumeliam.
Ergo ad Patrem decurrit (12) laesura invicem,
Magnaque invidia (13) criminatur filium (14),
Vir natus (15) quod rem feminarum (16) tetigerit.
Am-

molestissimi. Svetonius in Aug. c. 56 *Lacessere aliquem invidiosis et petulantibus* iocis.

(10) *Accipiens cuncta in contumeliam*. Omnem iocum fratris, omne verbum, veluti in contumeliam, contemtum et derisum sui datâ operâ factum accipiens et interpretans. Cicero III. Famil. Ep. 7. *Quam in partem tu id* accipias *minus laborem*. Terentius Adelph. IV. 3. v. 15.

Ad contumeliam *omnia* accipiunt *magis*.

Ita Tacitus VI. Ann. c. 13. *Contumelia* autem proprie est iniuria cum contemtu, risu, dedecore, unde gravior et acerbior est iniuriâ. Caecilius apud Nonium cap. 5. n. 32. *Facile aerumnam ferre possum, si inde abest iniuria, etiam iniuriam, nisi contra constat* contumeliâ. Tum Seneca de Clement. c. 10. Contumeliae *acerbiores principibus esse solent, quam iniuriae*.

(11) *Quid enim?* Loquutio elliptica, perinde ac scriptum fuisset, quid enim fecisset, nisi accepisset in contumeliam? Quomodo secus fieri poterat? Quare non accepisset in contumeliam? Eleganter vero. Horatius I. Satyr. 1. v. 8.

Militia est potior: Quid enim? *Concurritur : Horae*
Momento cita mors venit, aut victoria laeta.

Et II. Satyr. 3. v. 121.

Cum laqueo uxorem interimis, matremque veneno,
Incolumi capite es. Quid enim?

Ubi Acro : *quare non?*

(12) *Decurrit*. Proprie. Nam *decurrere* est currere ad quaerendam opem, auxilium in aliquo; quod illa soror facere captabat. Horatius III. Ode 29. v. 57. Decurrere *ad preces*. Celsus VI. c. 18. n. 3. Decurrere *ad medicamenta*. Plinius Caecil. X. Ep. 97. *Ad te consulendum* decucurri. Vulgo est *cucurrit*, Sed *decurrit*, quae non modo Perottini Codicis lectio est, sed et Pithoeani et Remensis fuit, est omnino genuinum.

(13) *Magna invidia*. Magno odio, magno livore. Hîc *invidia* non est invidentia, et improba aemulatio, sed odium, quae forrasse prima vocis potestas fuit. Ideo Cicero Div. in Verr. c. 14. invidiam *subire*. II. Agrar. c. 26. *In summam* invidiam *adducere*. Ovidius IV. Metam. v. 547. et Seneca Hercul. Oet. v. 1861. Invidiam *alicui facere*.

(14) *Criminatur filium*. Filium eius scilicet non *Fratrem* suum, utpote odiosum tamquam de crimine, de parrato aliquo scelere accusat. Terentius Eunuch V. 2. v. 16. *Hanc metui, ne me* criminaretur *tibi*.

(15) *Vir natus*. Natus vir, non femina; mas non femina. *Vir* saepe sexum singillatim discer-

Amplexus ille utrumque(17), et carpens oscula(18),
Dulcemque in ambos caritatem (19) partiens:
Quotidie, inquit, speculo vos uti volo;
Tu (20) formam ne corrumpas nequitiae malis(21),
Tu (22) faciem ut istam moribus vincas (23) bonis.
Praecepto monitus saepe te considera (24).

FA-

scernit. Terentius Phorm. V. 3. v. 9. Virum *me natam vellem*. Tibullus II. Eleg. 2. v. 2. *Lingua* vir *mulierque fave*. Ovidius III. Met. v. 326. *Deque viro factus femina*. Loquendi autem modus latinus. Cicero Tuscul. III. cap. 28. Mortalis natus *conditionem postulas immortalium*. Apuleius I. Metam. *Si resistere* vir natus *mulieri nequibas*. In Apolog. *An tu ignoras nihil esse adspectabilius* homini nato, *quam formam suam*.

(16) *Rem feminarum*. Speculum, quod ad mundum muliebrem pertineret, quod res feminarum non virorum esset. Terentius Heaut. II. 3. v. 48.

Nulla mala re esse expolitam
muliebri.

(17) *Amplexus ille utrumque*. Pater nempe Quam varie autem et in Codicib. et in libris edit. haec tria verba inversa et confusa fuerint diximus in Variantib.

(18) *Carpens oscula*. Osculans. Loquendi modus elegans, et a Catullo Carm. LXVII. v. 127. Ovidio II. Am. 11. v. 45. Epist. Her. XI. v. 117. Et IV. Met. v. 358. aliisque etiam usurpatus.

(19) *Dulcemque caritatem* Paternam benevolentiam, amorem. Proprie de Amicit. c. 9. Caritas, *quae est inter natos et parentes*. I. Offic. c. 17. Cari *sunt parentes*, cari *liberi*. *Dulcem* vero, quod liberi *dulces* essent. Ita Lucretius lib. III. v. 908., et Virgilius IV. Aen. v. 33. Dulces *nati*. Horatius Epod. II. v. 40. Valer. Maximus lib. V. Exempl. c. 5. dulces *liberi*.

(20) *Tu*. Fili mi, ad marem conversus.

(21) *Nequitiae malis*. Scelere, improbitate, flagitio. De *nequitia* diximus Fab. I. v. 3. Hic tamen puto eam potissimum intelligi, quae pudicitiam et castitatem laederet, quo sensu vox frequentius et maiore cum proprietate usurpatur. Vide Terentium Adelph. III. 3. v. 4. Horatium III. Ode 4. v. 79. Od. 15. v. 2. Propertium I. Eleg. 6. v. 26. II. Eleg. 4. v. 2. Eleg. 5. v. 22. Eleg. 18. v. 86. Ovidium I. Fast. v. 417. Petron. Satur. c. 87. etc.

(22) *Tu*. Ad filiam conversus.

(23) *Vincas*. Superes, in laudem potius et commendationem convertas. Veluti certamine quodam instituto: Ut quemadmodum ista deformitas te deprimit, et ignominiae te obnoxiam facit; ita tu contra conniti debes, ut pulcherrimis moribus te exornes, et eximiis te virtutibus munias, ut oris infamiam vincas et superes. Seneca eodem modo Epist. 58. *Ratione*, ait, *vitium corporis vincat*. Ideo inepte Bentleius *penses*, et minus commode Trillerus et Cuningamius *pingas*.

(24) *Praecepto monitus saepe te considera*. Nempe tu modo, Lector,

FABULA XII.

De credere et non credere.

Periculosum est credere (1), et non credere;
Utriusque exemplum breviter ponam (2) rei:
Hip-

ctor, hoc Patrisfamilias praecepto admonitus inspice in speculum, et te considera et contemplare. Pulcher es? Vide ne formam flagitiis corrumpas. Deformis es, fias virtutibus pulcher. Hoc autem praeceptum de inspiciendo speculo ad emendandos mores satis vetustum erat: Legique ad hanc rem merentur Apuleius in Apolog. p. 253. Seneca Quaest. nat. lib. I. c. 17. et Plautus Epid. III. 3. v. 1. et seq. Vulgo versiculus, de quo agimus, Fabellae ut Promythium praefigitur, sed dubitari vix potest, quin loco motus fuerit, et antea, quod nos modo fecimus, ad Fabellae calcem in Epimythium positus ab Auctore fuisset. Ut enim hoc loco rectam, concinnam, perspicuam sententiam, ut vidimus, habet, ita Fabellae praepositus inconcinnam, involutam, absurdam. Quid enim sibi vult eo in loco *praeceptum*? Si de quovis *praecepto*, et *monitu* sumis ineptam reddis sententiam, haud namque ex quovis praecepto considerare nos possumus. Tum in Fabellis peculiaria praecepta et certa tradenda sunt. Si de praecepto intelligis, de quo in Fabella agitur tum Epimythium facis. Pro tota autem Fabella sumi nequit, ut palam est. Nam Fabella praeceptum generatim dici nequit, et praeceptum aliquid agendum vel non agendum debet praecipere. Quin si sumi posset, tum satius ut Epimythium haberetur. Quid porro ita absolutè illud *consideras*? Quo? Cui bono? Praeterea ea est natura Promythii ut non quod factum est, sed quod est faciendum proponat, et sit tamquam thema et argumentum Fabellae. Nemo autem non videt in versiculo secus fieri. Sed *praeceptum* in versiculo est: Utere speculo ad virtutem, et *considera*, est te contemplare, te intuere, ut bonus vel melior fias. Ergo versiculus non Promythium sed Epimythium habendum est. Nec mirum quod fuisset loco motus. In Pithoeano et Remensi Codice Epimythium Fabellae XVII. lib. III. praefixum erat ut Promythium Fabellae XXIII. lib. IV. V. Editiones Phaedri a Rittershusio Laurentio etc. curatas.

(1) *Credere*. Fidem dictis verbisque alienius praebere. Interdum in aliam sententiam sumitur, et est committere, commendare. Sed absolute rectissime in eam usurpatur. Vid. Horatium I. Satyr. 5. v. 200. etc.

(2) *Ponam*. Adponam, afferam.

Hippolytus (3) obiit, quia Novercae creditum est;
Cassandrae (4) quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda est veritas semper (5) prius,
Quam stulte prava iudicet sententia (6):

Sed

tam. Vulgo *exponam*. Illud potius. Nam *exponere* est rem pluribus explicare, quod hîc inopportunum, quum versiculo totum exemplum absolvatur. Tum *ponere* est afferre ad ostendendum, ad probandum id quod est propositum; quod plane opportunum. Vid. et. Variant. nostras.

(3) *Hippolytus*. Hippolytus, ut Graeci tradunt, Thesei Athenarum Regis et Hippolytae Amazonis filius a novercâ suâ Phaedrâ adamatus, a flagitio pudicus adolescens constanter abhorruit. At Phaedra, amore in odium converso, stupri sibi illati privignum apud Theseum insimulavit, qui rem temere credens exitium filio a Neptuno est imprecatus. Qui ad vota facilis marinum monstrum, ut aiunt, immisit, a quo equi quibus Hippolyti currus vehebatur consternati, et currum, et iugum, et Hippolytum excusserunt, qui inter saxa et vepres infractus et discerptus interiit. Vid. Euripidem et Senecam in Tragoed. de Hippol.

(4) *Cassandrae*. Cassandra Priami et Hecubae filia, et Sacerdos Minervae iam pridem et parentibus, et fratribus, et Civibus Patriae excidium vaticinata fuit, et rationes etiam proposuit, quibus ab imminenti malo sese tutos praestare possent. Sed numquam ei creditum est. Unde Virgil.lib.II.Aen.v.247.

Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora Dei iussu, non umquam credita Teucris.

Vid. et. Lycophr. Cassandr. Q. Calabr. XII. Paralipom. etc.

(5) *Semper*. Editi libri *multum*, quod ad rem non est. Nam *exploro* est certum, perspicuum reddo, et plane est satis proposito. Contra vero a sententia omnino *το semper* requiritur, et postulatur. Perottini ergo Codicis lectio est genuina.

(6) *Prius quam stulte prava iudicet sententia*. Antequam mentis nostrae sententia ex pravis, falsis, non veris, non rectis rerum comprehensionibus reddat stultum et ineptum iudicium. *Pravus* hîc non est improbus, maleficus, sed falsus, non rectus, distortus, quae vera et prima est vocis potestas. Cicero IV. Academ. c. 11. *Interesse oportet ut inter rectum et pravum, sic inter verum et falsum*. Sic V. de Finib. c. 17. Horatius I. Satyr. 3. v.48. etc. Indeque generatim pravus est vitiosus. Silius Italicus III. Punic. v. 253.

Battiadas pravos fidei stimulavit ad arma.

Quintilianus lib. X. c. 1. *Philemon pravis sui temporis iudiciis Menandro saepe praelatus est*. Inde autem patet genuinam versiculi lectionem eam esse, quam Perottinus Codex exhibet non vulgarem, quae habet *stulta pra-*

Sed fabulosam ne vetustatem (7) asseras (8);
Narrabo tibi quod memoria factum est mea (9).
Maritus quidam quum diligeret (10) coniugem,
Togamque puram (11) iam pararet filio,
Seductus in secretum (12) a liberto (13) est (14) suo,
Spe-

prave. Nam rerum notitiae et comprehensiones, ex quibus iudicatur, *pravae* quidem non *stultae* esse possunt.

(7) *Favulosam vetustatem*. Quae fabulosa Vetustas nobis tradidit, ut Hippolyti, et Cassandrae exempla. *Fabulosus* est ad Fabulas et Mythologiam pertinens, fabulis scatens, vel de quo varie et diverse loquuntur. Ut Horatio I. Ode 22. v. 7. Fabulosus *Hydaspes*: et Plinio lib. V. Hist. c. 1. *Mons Atlas* fabulosissimus.

(8) *Ne asseras*. Ne tu narres, ne tu ponere cogaris ad ostendendum hoc propositum. Hoc sensu *assero* latinum et rectum. Vid. Martialem lib X. Epigr. 35. v. 1. ad 6. quem locum adduximus etiam in Variantibus. Totum autem hunc versiculum quantum Critici certatim vexaverint loc. cit. vidimus, ubi etiam commode, ni fallor, ostendimus hanc Perottini Codicis lectionem omnino esse praeferendam.

(9) *Memoriâ meâ*. Eo nempe tempore, quo ego id meminisse possum, me iam nato. Cicero pro Rabir. perduell. c. 9. *Caussam suscepisti antiquorum memoriâ tuâ*. Pro Fonteio c. 7. *Quod persaepe et nostrâ et patrum* memoriâ *accidit*.

(10) *Diligeret*. Amaret multum, peculiari amore prosequeretur. Vid. Lib. I. Fab. XIV. ad v. 1.

(11) *Togamque puram*. *Toga pura* genus erat vestis apud Romanos, qua utebantur adolescentes, quum iam puberes facti essent. Plerumque non sumebatur nisi XVI. aetatis anno expleto, etsi non pauci extitissent qui in ipso anno XVI. vel ineunte etiam XV. sumsissent, ut videre est apud Guid. Pancirol. de Reb. deperditis: et Octav. Ferrar. de Re vesriar. Dicebatur autem *pura*, quod uno ex panno et colore, nempe albo, constaret, et opponebatur *praetextae*, quae tum deponebatur, quod haec purpurae *praetextu*, sive orâ et fimbriâ distincta erat. V. Plinium lib. IX. c. 39. Auctor vero data opera quoddam negotium in togâ comparandâ ponit. Nam dies ille quo primum sumebatur celebris erat in familiâ: Quae inter cetera ad Capitolium ascendebat religionis et boni ominis caussâ. Vid. Valer. Max. lib. V. c. 4. Et hoc est quod Plinius Caecil. lib. I. Epist. 9. *Officium togae virilis vocat*. Et Tertullianus de Idol. c. 16. *Solemnitates Togae*. Catullus autem Carm. LXVII. v. 15.

Tempore quo primum vestis
mihi tradita pura *est*,
Iucundum quum aetas florida ver ageret.

(12) *Seductus in secretum*. Seorsim ab aliis, ne alii audirent in secretum locum ductus. Ita Livius lib. XXX. c. 5. *Sci-*

pio

Sperante heredem suffecisse proximum (15)

Hic

pio deinde Laelium et Masinissam separatim seductos obtestatur. Valer. Maximus lib. V. c. 9. n. 4. Seductam *uxorem suppliciter rogavit*. Ita Ovidius III. Fast. v. 679. De *secreto* autem vid. Fab. XXVI. ad v. 6.

(13) *A liberto*. *Libertos* appellabant Romani servos, quos manumisissent, et in libertatem ex servitute vindicassent. Verum, ut hi nec conditione ingenuâ statim erant, sed libertinâ; quae peculiaris eis erat, ita nec absolutissima libertate, ut ingenui fruebantur. Nam adhuc quaedam iura et officia eos dominis suis, quos tum *patronos* dicebant, obstringebant et obligabant. Attamen in familiâ Patroni, cuius nomen et praenomen assumebant percensebantur, et interdum in partem commodorum et hereditatis vocabantur. Unde Cicero III. Verr. c. 47. *Trebonius viros bonos ac honestos fecit heredes, in his* libertum suum. Horatius II. Satyr. 3. v. 22.

Filius aut etiam haec libertus
ebibat heres.

(14) *Est*. Ex Codice Perottino. Nam in vulgatis Phaedri libris deest. Sed palam est omnino postulari.

(15) *Sperante heredem suffecisse proximum*. Quod scilicet libertus iste speraret patronum suum iam in testamento se proximum heredem substituisse. *Sufficio* hic est *substituo*; pono in locum alterius, qui deficit: Et *heres proximus*, seu secundus ille dicitur, qui primo deficiente ad hereditatem ipse vocatur. Boethius in Topic. Ciceron. II. Secundus heres *dicitur qui heredi instituto substituitur, veluti si quis filium instituat heredem, scribatque; si filius intra pubertatem decesserit, nepotem vel quemlibet alium heredem esse oportere*. Tum Persius Satyr. II. v. 12.

... *Pupillumque utinam, quem*
proximus heres
Impello, expungam.

Et Salvianus Massiliensis lib. III. a̓v. Avarit. certe ex veteri formula: *Alium* heredem *scribo* proximum *meum*. In vulgaris Phaedri libris passim pro *suffecisse*, est *suffici se* ex emendatione Criticorum, Salmasii puta, Schefferi, Hoogstratani, et aliorum, qui interpretantur *suffectum iri, sufficiendum esse*. Sed bona sua pace haud recte, ut arbitror. Libertus enim his criminationibus nullo pacto sperare poterat se a patrono suffectum iri proximum heredem. Haud enim Dominum isto officio egregie demerebat. Praeterea vel Paterfamilias vera putabat delata crimina, et ideo uxorem et filium necabat, aut hereditate privabat, et tum libertus primus et solus heres institui poterat non secundus; si vero non credebat; vel falsa comperiebat crucem potius, quam proximam hereditatem expectare poterat. Sed Phaedri sententia est: Libertum quod putaret; se in Patroni testamento filio et uxori iam pro herede suffectum fuisse: ideo tanta crimina detulisse, ut iis necatis, vel hereditate privatis, ipse statim et solus heres ex lege fieret. Quamobrem nos Pithoeani et Rhemensis Codicis lectionem re-

ve-

Hic (16) quum de puero (17) multa mentitus foret (18),
Et plura de flagitiis (19) castae mulieris,
Adiecit id, quod sentiebat maxime
Doliturum amantem (20), ventitare adulterum,
Stuproque turpi pollui famam domus (21).
Incensus ille (22) falso uxoris crimine,

Si-

vocavimus, quae proinde una genuina et sincera habenda est. Nam, praeter veterum membranarum auctoritatem, *sper..bat suffici* numquam, ut mihi videtur, ad significandum praeteritum tempus, vel etiam praesens absque ulla ambiguitate usurpari potest. Sed quid, inquies, sperantur praeterita? Ita quidem ubi incerta sunt, et desideratur, putatur, speratur nempe sic facta et acta fuisse. Cicero I. ad Attic. Ep. 1. Spero *me tibi caussam probasse.* Terentius Adelph. I. 2. v. 72. Sperabam *iam defervisse adolescentiam*. Catullus Carm. 83. v. 3. *Mirifice* sperabat *se esse locutum*.

(16) *Hic*. Libertus. Vulgo *qui*. Sed lectio Codicis Perottini placuit, quum syntaxim faciliorem reddat. Quod iam viderat ex coniecturâ Heinsius, et comperto Codice nostro Brotierius probaverat.

(17) *De puero*. De filio, qui *puer* adhuc erat, qui virilem togam adhuc non sumserat.

(18) *Foret*. Fuisset. Vid. Lib. I. Fab. 28. ad v. 6.

(19) *De flagitiis*. Impudicitiis, libidinibus, quae prior est vocis potestas. Isidorus V. Orig. cap. 26. *Flagitium a* flagitando *corruptelam libidinis significat*, *qua noceat sibi*. Unde Livius lib. XXXIX. c. 16. *Minus tamen esset si* flagitiis *tantum effeminati forent, a facinoribus manus, mentem a fraudibus abstinuissent*.

(20) *Doliturum amantem*. Laturum aegerrime, iniquissimo animo passurum: A qua re prae dolore, et aegritudine, ad multa gravia et atrocia patranda amans ageretur. *Dolere* cum accusandi casu, non est tantum dolorem sentire: Sed nescio quid prae dolore agere et facere. Vulgo legitur *doliturum amanti*. Sed minus recte. Liberti enim mens non erat, ut Patrono suo dolorem et molestiam crearet, sed ut prae dolore ad facinora patranda instigaret. Ideo lectionem Perottini Codicis praeferendam duximus.

(21) *Domus*. Familiae universae. Vid. Lib. I. Fab. 11. ad v. 14. Horatius autem IV. Od. 5. v. 21.

Nullis polluitur *casta* domus stupris.

(22) *Incensus ille*. Maritus nempe. Eleganter. Nepos in Eumen. c. 10 *Adeo erat* incensus *ut leniri non posset*. Virgilius IV. Aen. v. 300. *Totamque* incensa *per Urbem Bacchatur*. Ita Terentius Phorm. I. 4. v. 8.

(23) *In*

Simulavit iter ad villam, clamque in oppido (23)
Subsedit (24): dehinc (25) noctu subito ianuam
Intravit (26), recta cubiculum, infelix (27), petens;
In quo dormire natum mater (28) iusserat,
Aetatem adultam servans diligentius (29).
Dum quaerunt lumen (30), dum concursat familia (31),

Irae

(23) *In oppido*. Scilicet quod incolebat.

(24) *Subsedit*. Substitit, commoratus est, delituit. Cicero V. ad Attic. Ep. 16. *Itaque* subsedi *in ipsa via, dum haec summatim tibi praescriberem*. Pro Milon. c. 19. *Cur neque ante occurrit, ne ille in villa resideret, nec in eo loco* subsedit, *quo ille noctu venturus esset*. Virgilius XI. Aen. v. 268. *Asiâ devictâ* subsedit *adulter*.

(25) *Dehinc*. Ex eo loco, quo subsederat. Hac sententiâ Plinius lib. III. cap. 5. Dehinc *Italia, primique eius Ligures*. Tacitus IV. Ann. c. 5. *Cetera Africae per duas legiones, parique numero Aegyptus*: dehinc *initio ab Syria usque ad Euphratem quatuor legionibus coercita*. Vulgo *deinde*. Minus apte; nam mox est *noctu*. Ideo Perottini Codicis lectio genuina habenda est.

(26) *Ianuam intravit*. Nempe domus suae. Syntaxis recta. Ovidius VII. Met. v. 335. *Intravit limina*. IX. v. 309. *Dumque exit, et intrat saepe fores*. XV. v. 583. *Portas intravit*. Petronius Satur. c. 139. *Mulier haud inculta* iannam intravit.

(27) *Infelix*. Ex Cod. Perott. et plane apposite. Iam enim animus ad atrocia praeparatur. Tum Virgilius Eclog. VI. v. 80.

. . . *Et quibus ante*,
Infelix, *sua tecta supervolitaverit alis*.

Et I. Aen. v. 474.

Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
Infelix, *puer, atque impar congressus Achilli*,
Fertur equis.

Vulgo *uxoris*. Sed certe cubiculum commune erat utrique. Tum *uxoris* paullo ante praemissum fuerat.

(28) *Natum mater*. Sic Cod. Perott. Vulgo *mater natum*. Sed ea syntaxis potior; quam Brotierius praetulit.

(29) *Aetatem adultam servans diligentius*. Multâ nempe diligentiâ et sollicitudine filium iam adultum servans ne corrumperetur. Ita Terentius Heaut. III. 3. v. 32. *Atqui nunc, here, hic tibi*, filius, assservandus *est*.

(30) *Dum quaerunt lumen*. Dum lucernae accenduntur. Ovidius aliquid isti historiolae simile narrans II. Fast. v. 347.

Fit sonus et comites inclamat,
lumina *poscit*
Maeonis, illatis ignibus acta patent.

Et lib. II. v. 723.

Nox erat in totâ lumina nulla *domo*.

(31) *Dum concursat familia*. Dum famuli omnium ignari, confusi,

Irae furentis impetum non sustinens (32),
Ad lectum vadit (33), tentat (34) in tenebris caput,
Ut sentit tonsum (35), gladio pectus transigit (36).
Nihil respiciens (37), dum dolorem vindicet (38),
Lucerna adlata, simul (39) adspexit (40) filium,
San-

fusi, et trepidi huc illuc discurrunt. *Concursare* est trepide, temere, et confuso gradu currere. Unde proprie et apposite hoc loco usurpatur. Ita Cicero II. de Nat. Deor. cap. 44. *Corpora huc et illuc casu et temere concursantia*. Lucret. lib. II. v.214.

Nunc hinc nunc illinc abrupti nubibus ignes
Concursant.

Ad rem vero Quintilianus Declam. 2. *Concurrit* familia, *quo sollicitos atque trepidantes ducebat strepitus*. *Familia* autem est coetus servorum, ut fab.3. v.26. quem locum vide.

(32) *Non sustinens*. Quum ferre, pati non posset. Hoc sensu in Fab. super. v. 7.

(33) *Vadit*. Praeceps currit. Apposite. Virgilius II. Aen. v. 358.

. . . *Per tela, per hostes*
Vadimus *haud dubiam in mortem*.

Tum Livius de Horatio Coclite lib. II. c. 10. Vadit *inde in primum aditum pontis*. Vulgo *accedit*, quod plane frigidum. Ideo facile, ut puto, Perott. Codicis lectio probabitur.

(34) *Tentat*. Explorat, manibus ptaetentat. Quintilianus Declam. 1. Tentavit *ergo vultus et pectus obiectum*. Vid. Lib. I. Fab. 13. ad v. 2.

(35) *Ut sentit tonsum*. Caput nempe; putavit esse adulterum. Nam mares tantummodo apud Romanos non feminae tondebantur. Erat vero filius, qui quum togam puram iamiam sumturus esset, comam iam tum deposuerat. Quamvis enim pueri et adolescentuli comam nutrirent, unde *pueri capillati* dicebantur, ut ex Petronio Satur. capit. 27. 29. 34. 53. 57. 63. 70. etc. Martiali lib. II. Epigr. 57. X. Epigr. 62. aliisque patet, tamen eam circa pubertatem deponebant. Unde idem Martialis lib. IX. Epigr. 30.

At tibi si dederis vultus coma tonsa viriles.

(36) *Transigit*. Transverberat, transfigit. Latine. Vid. Lucanum lib. IV. v. 545. Silium Italicum lib V. v 473. Et lib.XIII. v. 376. Valer. Flaccum lib. VI. v. 246. etc. In Codicibus MSS. adhuc notis *transfigit*, quod metrum corrumpit.

(37) *Nihil respiciens*. Nullam curam, nullam prudentiam circa ea quae agebat, adhibens: nihil spectans, una ultio fixa stabat in animo. Seneca Epist. 73. *Habet hoc vitium omnis ambitio* non respicit.

(38) *Dum dolorem vindicet*. Dum ultione et vindicta dolori suo faciat satis. Ut vindicet scelus et iniuriam, ex qua tantum dolorem hauriebat.

(39) *Simul*. *Simulac*. Vid. Lib. I. Fab.21. v.4. Fab.29. v.8. etc.

(40) *Adspexit*. Agnovit, vidit esse filium, quem necaverat.

(41) *San-*

Sanctamque uxorem (41) dormientem cubiculo;
Sopita (42) primo quae nil somno (43) senserat,
Repraesentavit in se poenam facinoris (44),
Et ferro incubuit, quod credulitas strinxerat (45).
Accusatores postularunt Mulierem (46),
Romamque pertraxerunt (47) ad Centumviros (48).
Ma-

(41) *Sanctamque uxorem*. Castam, pudicam, quo sensu *sanctus* sumitur etiam Lib. I. Fab. 14. v. 28. ubi vide quae adnotavimus.

(42) *Sopita*. Altum dormiens. *Sopor* enim est altus somnus. Vid. Plinium lib. XXI. c. 18. Virgilium l. Aen. v. 684.

(43) *Primo somno*. Qui altior est et gravior. Latine. Virgilius I. Aen. v. 474. Primo *prodita* somno.

(44) *Repraesentavit in se poenam facinoris*. Maritus scilicet quum cognovisset a se tantum facinus patratum fuisse, noluit expectare sententiam iudicum, sed statim, in praesenti, sine dilatione sumere de se debitas poenas voluit. *Repraesentare* aliquid, est sumere ante tempus legitimum ac constitutum, et veluti praesens facere. Hoc sensu Cicero II. Philip. c. 46. *Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repraesentari morte mea libertas Civitatis potest*. Valerius Max. VI. cap. 5. Ext. ult. *Protinus ferro quod habebat* stricto incubuit, *quumque liceret culpam dissimulare, poenam tamen* repraesentare *maluit*. Vid. et. Senec. Epist. 95. Sveton. in Claud. c. 34.

(45) *Quod credulitas strinxerat*. Ex Auctoris stilo: quod nimis credulus strinxerat. *Credulitas* est vitium, quo quis facile et temere credit. Unde recte Ovidius III. Am. 14 v. 30. *Stultam* appellavit.

(46) *Postularunt mulierem*. Uxorem postularunt ut ream in iudicium, perinde ac ipsa virum et filium necasset. *Postulare* non est proprie *accusare*, ut Hoogstratanus, aliique hic interpretantur, sed est vox solemnis, qua petebatur *postulabatur* a iudice, ut quis tamquam reus, et patrati facinoris Auctor in iudicio agi et traduci potuisset. Plinius lib. XXXII. c. 2. *Ut apud Claudium Caesarem Flavius quadringentos ex ea caussa reos* postularet. Plinius Caecil. VII. Epist. 33. *Senecio quum explorasset Consules postulationibus vocaturos*.

(47) *Pertraxerunt*. Proprie. Nam rei vi et obtorto collo in iudicium trahuntur. Valerius Max. lib. V. cap. 2. n. 3. ext. Pertrahere *in ius*. Lib. I. c. 7. n. 8. ext. *Ipsum intra moenia sua vinctum* pertraxerunt. Ita Plinius Caecil. III. Epist. 16.

(48) *Ad Centumviros*. Centumviri Iudices erant apud Romanos, qui incolumi adhuc Republica de levioribus tantummodo caussis iudicabant, sub Imperatoribus vero caussas etiam graviores et capitales cognoscebant. Quamobrem clarissimi etiam Oratores veluti Asinius Pollio,
Do-

Maligna (49) insontem deprimit (50) suspicio,
Quod bona possideat (51): Stant Patroni (52), fortiter
Caussam (53) tuentes innocentis feminae.
A divo Augusto (54) tunc petiere Iudices (55),

Ut

Domitius Afer, et alii, ut ex Auctore Dialogi de Corrupt. Eloqu. c.38. Plinio Caecil. lib II. Ep. 14. patet, apud Centumviros caussas orarunt. Unde autem facta nomini origo sit explicat Festus in voc. *Centumviralia*.

(49) *Maligna*. Apposite, quum sinistre, et perverse iudicarent, et ad malum detorquerent, et maligne interpretarentur, quod ex se malum non erat. Seneca de Vit. Beat. c. 18. Malignissima *capita, et optimo cuique inimicissima*. Svetonius in Aug. c 27. *Quia factum quoddam suum maligno sermone carpsisset*. Vid. etiam Lib. I. Fab. 1. ad v. 3.

(50) *Deprimit*. Veluti humi abiicit, prosternit. Scilicet facit, ut videatur rea, sontem reddit oculis multorum, efficit ut traducatur rea tantorum facinorum. Recte autem *deprimit*. Nam inde et atroci poena et turpissima infamia, et summo dedecore premebatur, affligebatur. Cicero autem in Pison. c.18. *Vos meam fortunam* deprimitis, *vestram attollitis*. Livius lib. XXX. c.35. Deprimendi *hostis caussa*. Seneca Epist. 10. *Vide ne te illa res* deprimat.

(51) *Quod bona possideat*. Ideo scilicet plures suspicabantur Feminam ea facinora patrasse, quod domus esset opulenta, et ipsa voluisset sola omnia bona possidere, nulloque cum socio frui.

(52) *Stant Patroni*. Adstant in iudicio, praesto sunt mulieri apud Iudices. *Stant* ex solemni formula. Horatius l.Satyr.9.v.38.

. . . . *Inteream si*
Aut valeo stare, *aut novi civilia iura*.

Sic Ovidius VII. Epist. Her. v. 166. Martialis l. Epigr. 54. aliique. *Patroni* autem dicebantur qui alium in iudicio defenderent. Asconius Pedianus in Cicer. Divin. in Verr. c. 4. *Qui defendit alterum in iudicio aut* Patronus *dicitur, si Orator est, aut advocatus, si aut ius suggerit, aut praesentiam suam commendat amico*.

(53) *Caussam*. Hoc sensu Cicero pro Quint. c. 24. Caussam *perorare*. In Bruto c. 47. Caussam *orare*. II. de Orat. c. 48. Caussam *agere*. Pro Cornel. in Fragm. Caussam *defendere*.

(54) *A divo Augusto*. Ab Imperatore Octaviano Caesare, qui ramquam proprio nomine dictus *Augustus* fuit, ut notum est. *Divus* autem non dicitur, quod *Deus* et quum viveret habitus fuerit, quod perperam plures Interpretes autumant, sed quod Augustus, quum haec Phaedrus scriberet, iam defunctus fuerat, et divus apotheosi declaratus, quod nos in Dissert. de Vitâ Phaedri cap. II. §. 1. singillatim observavimus.

(55) *Iudices*. Centumviri. Ab eis enim nulla appellatio erat, et propterea, quum in eâ caussâ sententiam ferre cogerentur, ad

Ut adiuvaret iurisiurandi fidem (56),
Quando (57) ipsos error implicuisset criminis (58):
Qui (59) postquam tenebras dispulit calumniae (60),
Cer-

ad Imperatorem prudenter decucurrerunt.

(56) *Ut adiuvaret iurisiurandi fidem*. Ut ipse Augustus adiuvare vellet in ea caussa religionem iurisiurandi sui. Scilicet ut ipse auctoritate, potestate, et prudentia sua caussam cognosceret, et eo pacto se in illa implicitos et involutos a timore peierandi, et prave iudicandi liberaret. Hoc autem iusiurandum haud illud est, quo Iudices caussam *non liquere* testabantur, quod parum recte, mea sententia, Schefferus, Hoogstratanus, Brotierius, aliique non pauci Interpretes tuentur. Nam neque haec fides adiuvari poterat, alio iudicante, nec Iudicum amplius intererat fieret necne de caussâ iudicium, quum ipsi iam iurassent *non liquere*, et se ipso iudicio exsolvissent. Vid. Gellium XIV. Noct. cap. 2. Verum est iusiurandum, quod praestabant Iudices in quaque caussa, eoque pollicebantur se iuxta leges et praescripta, tum ex certa animi conscientia iudicium laturos. Quum igitur in hac caussa de more iurassent Iudices, nec iuxta fidem iurisiurandi iudicare possent, et proinde se ex iuramenti religione exsolvere et liberare nequirent, ideo rogarunt Augustum, ut sese adiuvaret, et ab ea religione exsolveret. Inde Cicero pro Coelio: *Habeo enim, Iudices, quem vos socium vestrae religionis, iurisque iurandi facile esse patiemini*. Pro Rosc. Comoed. cap. 15. Fides et Religio *Iudicis*. Valerius Max. lib. IX. c. 16. n. 5. *Violentiae pleuis iudicantium religio cessit*. Et Noster Fab. 15. v. 8.

Sed ne religio peccet imprudens mea.

(57) *Quando*. Quandoquidem, siquidem, quoniam. Quo sensu Plautus Cistell. I. 1. v. 118. Quando *ita sibi lubet, vale atque salve*. Terentius Adelph. II. 4. fin. Quando *hoc bene successit hilarem hunc sumamus diem*. Horatius II. Satyr. 7. v. 5. Quando *ita maiores voluerunt*. Vulgo *quod*. Sed lectio Perottini Codicis certe praestat, quum maiorem habeat vim. Ideoque laudandus Brotierius qui eam receperit.

(58) *Error implicuisset criminis*. Quum crimen involutum, multisque circumstantiis intricatum et obscurum ita eos impediisset, ut sese inde exsolvere nescirent. *Error* hic non est erratum, quod ignoranter et imprudenter fit; sed est circuitus quidam involutus et implexus, ambitus quidam fallax, variis flexibus et amfractibus interspersus. Ab *erro* quod est huc illuc temere incedo, vagor. Quo sensu Virgilius VI. Aen. v. 27. Ovidius VII. Met. v. 166. aliique vocem sumserunt. Qui in metaphorice, ut Auctor, Livius lib. II. c. 21. *Tanti errores implicant temporum, ut nec qui Consules, nec quid quoque anno actum sit digerere possis*.

(59) *Qui*. Augustus.

(60) *Tenebras dispulit calumniae*. Eleganter. Nam calumnia

ca

Certumque fontem (61) veritatis reperit:
Luat, inquit, poenas (62) caussa libertus mali (63):
Namque orbam nato (64), simul et privatam
viro (65),
Miserandam potius, quam damnandam existimo.
Quod si delata (66) bene scrutatus (67) crimina
Pater familias esset, si mendacium
Subtiliter limasset (68), a radicibus (69)

Non

caligo quaedam et tenebrae offunduntur veritati. Virgilius autem V. Aen. v. 839. Dispulit *umbras*. Cicero I. Tusc. c. 26. *caliginem* dispulit.

(61) *Fontem*. Originem, principium, caput. Quo sensu Cicero ad Brut. Ep. 10. dixit: Fontes *consiliorum*. Apud Lactant. III. Instit. c. 16. Fontes *virtutis et scientiae*. Plinius XVII. c. 5. Fontes *ingeniorum*. Quintilianus VI. c. 1. Fontes *eloquentiae*.

(62) *Luat, inquit, poenas*. Inquit nempe Augustus. Vid. Lib. I. Fab. 14. v. 7.

(63) *Caussa Libertus mali*. Virgilius XII. Aen. v. 600.

Se caussam *clamat, crimenque caputque malorum*.

(64) *Orbam nato*. Carentem, privatam filio. Proprie. Cicero V. Parad. c. 2. Orbus *senex*. Ovidius VI. Epist. Her. v. 156. Natis orba. Columella IV. R. R. c. 4. Orbae *suis* natis *matres*. Quin Romanis Dea erat *Orbona*, quae *orbis* praeesset. Arnobius IV. adv. Gen. p. 165. *In tutela sunt* Orbonae *orbati liberis parentes*.

(65) *Viro*. Marito. Vid. Lib. I. Fab. 14. ad v. 1.

(66) *Delata*. Quae libertus Patrifamilias detulerat. Proprie. Cicero pro Rosc. Amerin. c. 10. *Consilium ceperunt plenum sceleris, ut nomen huius de parricidio* deferrent. Nepos in Datam. c. 7. *Filius descit; ad regemque transiit; et de defectione patris* detulit. In Codic. Perott. *delatum*. Sed palam est antea fuisse scriptum *delata*, quod proinde vulgaris lectionibus *damnanda, nefanda*, aliisque huiusmodi est praeferendum.

(67) *Bene scrutatus*. Sic in Codic. Perott. Vulgo *perscrutatus*. Sed illud praetuli. Nam *bene* est probe, recte, et valde.

(68) *Si mendacium subtiliter limasset*. Si delata mendacia diligenter et subtiliter excutiendo, examinando, et veluti quadam limâ terendo, detegisset ac denudasset. Metaphora non inelegans. Nam metallum, aut aliud quidvis limâ detritum, quod vere et ex natura est apparet, fallax cortex aufertur, et intima rei natura, ut est sincera conspicitur. Quo sensu Cicero II. Offic. c. 10. *Alia est illa quum veritas ipsa* limatur.

(69) *A radicibus*. Penitus funditus. Nam et sese et filium unde tota domus pendebat perdidit. Metaphora ab arboribus sumta, quae, ubi radices derractae vel corruptae sunt omnino, et ab-

Non evertisset scelere funesto (70) Domum (71).
Nil spernat auris (72), nec tamen credat statim (73);
Quandoquidem et illi peccant, quos minime putas (74),
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus (75).
Hoc (76) admonere simplices (77) etiam potest,
Opinione alterius ne quid proderent (78):

Am-

et absolute intereunt. Ita Livius lib. IX. c. 34. *A stirpe extinguere*. Statius VII. Theb. v.207.
... Pelopisque *a stirpe nepotes*
Tardum abolere mihi.
Lucretius lib. V. *Ardor silvas exederat* ab radicibus.

(70) *Scelere funesto*. Exitiali, mortali, quo mors adlata fuerat. Quo sensu Ovidius III. Metam. v. 49. Venenum *funestum* dixit.

(71) *Domum*. Familiam suam: ut supra v. 17. Vid. et. Catullum Carm. LXVII. v. 22.

(72) *Nil spernat auris*. Egregium monitum. Audiamus lubenter quidquid de nobis, nostrisque dicitur, quidquid nostra referre potest: Ne spernantur, quae de salute nostrâ deferuntur.

(73) *Nec tamen credat statim*. Auris scilicet, ex Auctoris stilo. Lib. I. Fab. 7. v. 15. *Nulli nimium credite*. Ubi vide quae adnotavimus.

(74) *Putas*. Supple *peccare*. Quos sanctos, puros a scelere credimus. Sic Cod. Perotr. Vulgo *putes*. Illud opportunius.

(75) *Impugnantur fraudibus*. Per fraudem, per calumniam, criminum et scelerum innocentes insimulantur et arguuntur. Livius lib. V. c. 3. *Utrum enim defenditis, an impugnatis plebem?* Quintilianus II. Iustit. cap. 7. *Saepe quae in aliis litibus impugnarunt Actores caussarum eadem in aliis defendunt*.

(76) *Hoc*. Hoc exemplum, argumentum, fabella.

(77) *Simplices*. Parum prudentes, credulos, non astutos, non callidos. Hoc sensu voce usi sunt Horatius I. Satyr. 3. v.63. Ovidius Epist. Her. XVII. v.176. Statius Achill. II. v.171. etc. Vid. et. Lib. I. Fab. 9. v. 12.

(78) *Proderent*. Ne quid dicerent, facerent, proferrent ex aliorum opinione, quod alius sic arbitraretur, sic existimaret. In Remensi Codice, Gudio teste, *qui sponderet*: Sed errore manifesto. Universi fere Critici legerunt *ponderent*, quae propterea vulgatissima lectio est. Ego tamen istam lectionem genuinam et sinceram non dicerem. Nam *ponderare* est examinare, considerare diligenter; quod sententia reiicit. Tum nil umquam ponderatur ex alterius opinione. Quum ponderamus, examinamus, ponderamus ipsi, examinamus ipsi, non alius. Quin palam est hîc ex mente Auctoris ponderationem quamvis, et examen excludi. Nam de Simplicibus loquitur, qui absque examine et ponderatione aliis credunt, agunt ex aliorum opinione. Praschius porro legere maluit *ne quis pendeat*. Aliquanto quidem ad sententiam

Ambitio namque dissidens mortalium (79):
Aut gratiae subscribit, aut odio suo (80).
Erit illud notum, quod per te cognoveris (81).
Haec exsecutus sum (82) propterea pluribus,
Brevitate nimia (83) quoniam quosdam offendimus.

FA-

potius. Sed quid de syntaxi fiet, quum sit *simplices*? Tum immutatio sane insignior in versiculo inducitur. Ideo satius duximus legere *proderent*, quod partim a lectione illius Codicis distat, et commodam, ut puto, sententiam praeseferit. Nam *aliquid prodere* est aliquid extra, foras dare, aliquid dicere, agere, proferre, quod est rei congruentissimum. Quo sensu Ovidius IV. Metam. v. 654. VI. v. 80. Cicero IV. Acad. cap. 9. verbum usurparunt.

(79) *Ambitio namque dissidens mortalium*. Mortales namque commodorum suorum ambitiosi, et invicem in iis deligendis et probandis dissidentes et varii. Homines qui vehementer, quae putant bona, ambiunt, iisque avide inhiant, quum invicem et in iis optandis, et quaerendis, et aestimandis plurimum discrepent et dissideant.

(80) *Aut gratiae subscribit, aut odio suo*. Unum quod gratum est probat, unum quod odit improbat. Numquam scilicet recte iudicat: Nam vel amat, et quod amat illud sibi bonum est, illud rectum; vel odit, et quod odio prosequitur illud malum, illud iniquum, illud abominabile: Quod secus tamen et contra saepius ex rerum ipsarum natura dicendum est. Eleganter *subscribit*. Hoc sensu Ovidius I. Trist. 2. v. 3.

Neve, precor, magni subscribite Caesaris irae.

Valerius Max. IV. c. 7. num. 4. *Theseus nefandis Pirithoi amoribus* subscribens. Traianus Plinio Caecil. lib. X. Epist. huius num. 96. *Tuo desiderio* subscripsi.

(81) *Erit illud notum, quod per te cognoveris*. Illud unum habeto certum, notum, exploratum, quod tuo marte, tuo examine, rite ipse perscrutatus fueris; non quod noveris ex *opinione alterius*. Vulgo legitur.

Erit ille notus, quem per te cognoverit.

Sed parum quidem recte. Primum enim Auctor non de personis, sed ut palam est de rebus cognoscendis agit. Tum quid sibi velle potest: *cognoscere aliquem per se*? Quid? Homines per alios nosse dicimur? Praeterea aliquis alium per se cognoscere potest, et ab eo falli. Paterfamilias certe per se Libertum cognoverat, et tamen ab eo deceptus fuit. Tandem is versiculus eam sententiam claudit: nempe nil a nobis agendum esse ex aliorum opinione, quod scilicet per nos non cognoverimus. Haud temere igitur emendationem istam in Fabella induximus.

(82) *Exsecutus sum*. Narravi, exposui. Qua sententia Cicero XI. Famil. Ep. 27. Virgilius IV. Georg. v. 1. verbo usi sunt.

(83) *Brevitate nimia*. Quod passim in meis Fabellis sim brevis.

FABULA XIII.

Eunuchus, et Improbus.

Eunuchus (1) litigabat (2) cum quodam improbo,
Qui (3) super (4) obscena dicta (5), et petulans iurgium (6),
Damnum insectatus est (7) amissi corporis (8).
En,

vis. Quod est verissimum: Idque Phaedrus ipsemet vel excusar, vel laudat. V. Prol. lib.II. v. 12. lib.IV. fab.25. v.8. et lib.V. fab. 6. v. 7.

(1) *Eunuchus*. Proprie qui nascuntur appellantur *Eunuchi*, qui fiunt *spadones*. Sic Glossae veteres. Sed minime semper hoc discrimen et proprietas servata est.

(2) *Litigabat. Litigare* proprie est *litem agere*, cum aliquo in iudicio contendere. Hinc rixari, iurgare, acriter invicem contendere. Plautus Rudent. IV. 4. v. 16. *Qua de re litigatis inter vos*? Horatius Art. Poet. v. 90.

Iratusque Chremes tumido delitigat *ore*.

Ita Petronius Satur. cap. 132. Martialis XI. Epigr. 36. etc.

(3) *Qui*. Improbus.

(4) *Super*. Praeter. Hoc sensu occurrit etiam apud Livium lib. II. c. 31. Et lib. XXVIII. cap. 9. apud Virgilium lib. X. Aen. v. 897. etc.

(5) *Obscena dicta*. Turpia dicteria, impura scommata, foedos iocos. Cicero apud Macrobium II. Satur. c. 1. *Nostri quae facete et breviter et acute locuti essemus ea proprio nomine appellari* dicta *voluerunt*. II. Philipp. c. 17. *Materia facilis in te, et in tuos* dicta *dicere*. Ovidius III. Fast. v. 695.

Unde ioci veteres, obscenaque dicta *canuntur*.

(6) *Petulans iurgium*. Impudentes inhonestas contumelias. Cicero II. de Orat. c. 75. *Illud assequor, ut si quis mihi forte maledicat, petulans aut plane insanus mihi esse videatur*. Virgilius XI. Aen. v. 406.

Vel quum se pavidum contra mea iurgia *fingit*.

(7) *Damnum insectatus est*. Acribus verbis est insecutus, obiecit, exprobravit infamiam, quae ex amissione corporis traxerat. *Damnum* hic non est ipsa amissio; sed est detrimentum, incommodum, quod ex amissione oritur et toleratur. Quo etiam sensu dubio procul Martialis lib. IX. Epigr. 7. ait:

Non puer avari sectus arte mangonis,
Virilitatis damna *moeret ereptae*.

(8) *Amissi corporis*. Ereptae virilitatis, ut modo Martialis aiebat, vel *ademtae virilitatis*, ut

En, ait (9), hoc unum est, cur laborem (10) validius;
Integritati testes quia desunt meae (11):
Sed quid fortunae, stulte, delictum (12) arguis?
Id demum est homini turpe (13) quod meruit
pati (14).

FA-

ut Tacitus Ann. VI. c. 31. Totum pro parte ad honestatem. Hac sententia Horatius I. Satyr. 2. v 43. *Dedit hic pro* corpore *nummos*: ne fieret Eunuchus, ut ibi Acro etiam interpretatur. Petronius Satur. c. 13. *Curavi diligentius noxiosissimum* corpus. Ita etiam Mamertinus in Panegyr. Iulian. c. 19.

(9) *Ait*. Respondit Eunuchus ad Improbum.

(10) *Laborem*. Adlaborem, enitar, ut bonus scilicet et probus sim, et ita labem hanc, si qua est, morum integritate, et sanctitate vincam, et deleam.

(11) *Integritati testes quia desunt meae*. Quod testes tantummodo desint mihi, qui ceteroquin propter morum probitatem, et integritatem vitae, integer et absolutus haberi et dici possum. *Integer* proprie ille est, cui ex naturae praescripto nihil deest. Inde Cicero II. de Finib. c. 11. et V. c. 14. integritas *corporis*. Et propius Apuleius lib. VII. Metam. *Extremae poenae* (castrationi) *reservatus moerebam, et in novissimâ parte* corporis *totum me periturum deflebam. Inediâ denique continuâ, vel praecipiti ruinâ memet ipse quaerebam extinguere, moriturus quidem, nihilominus sed moriturus* integer. Et proinde, qui est moribus puris, integris, non corruptis et vitiosis. Horatius I. Ode 22. v. 1. Integer *vitae, scelerisque purus*. Et III. Ode 2. v. 29.

. . . *Saepe Diespiter*
Neglectus incesto addidit integrum.

Et Noster in reliq. vulg. I. Epilog. lib. IV. v. 30.

Integritatis *qui sincerae conscius*.

Vulgo legitur: *Integritatis testes quia desunt mihi*. Sed frigidâ vel potius sententiâ. Ideo lectionem Perott. Codicis praeferendam duximus.

(12) *Fortunae delictum*. Ita in Prolog. v. 19. *Fortunae crimen*. Quem locum vide. Inde autem patet eum, vel adhuc puerili aetate a scelerato homine, vel aliquo morbo, et aerumnâ Eunuchum factum fuisse fingi.

(13) *Turpe*. Probrosum, ignominiosum, pudendum.

(14) *Quod meruit pati*. Eunuchi enim saepe ex crimine et flagitio fiebant. Vid. Plautum Milit. Gl. Act. V. v. 5. Horatium I. Satyr. 2. v. 45. Martial. II. Epig. 83. III. Epigr. 85. etc.

(1) *Pul-*

FABULA XIV.

Pullus gallinaceus ad Margaritam.

In sterquilinio Pullus gallinaceus (1)
Dum quaerit escam (2), Margaritam (3) reperit:
Iaces (4) indigno quanta (5) res, inquit, loco!
Hoc (6) si quis pretii cupidus vidisset tui,
Olim (7) redisses in splendorem pristinum (8).

Ego

(1) *Pullus gallinaceus*. Verum quidem est pullos gallinarum saepe absolute et simpliciter dictos fuisse *pullos*, ut ex Horatio I. Satyr. 3. v. 192. II. Satyr. 2. v. 120. II. Epist. 2. v. 163. Seneca IV. Qu. Natur. cap. 6. atque aliis patet. Attamen quum proprie *pullus* quorumvis animantium brutorum iuvenem foetum significet, satius genus adiicitur. Unde Varro III. R. R. c. 15. pulli *glirium*. Cicero IX. Famil. Ep. 18. pulli *columbini*. Virgilius III. Georg. v. 75. *generosi pecoris* pullus. Plinius VIII. Hist. c. 44. Pulli *onagrorum*: et Livius tandem lib. XXXII. c. 1. *pulli gallinacei*.

(2) *Dum quaerit escam*. Proprie. Terentius Eun. II. 2. v. 29. *Ubi videt me esse in tanto honore, et tam facile cibum quaerere*. Horatius I. Epist. 15. v. 32.

Quidquid quaesierat *ventri donabat avaro*.

(3) *Margaritam*. Lapidem pretiosum ingentis pretii. Plinius lib. IX c. 35. *Principium culmenque omnium rerum pretii margaritae tenent*.

(4) *Iaces*. Contemta, ignota, neglecta. Verba Pulli ad margaritam. Vid. Lib. I. Fab. 13. v. 1.

(5) *Quanta*. Quanti pretii, quam ingentis aestimationis.

(6) *Hoc*. Hanc indignitatem, qua iaces: quod in tam impuro et foedo loco contaminaris, et peris. Passim in vulgatis Phaedri libris est *o* vel *te*. Sed id factum ex Criticorum licentiā. Nam *hoc*, quae genuina lectio est, tum a Codice Perottino servatur, tum a Remensi, et Pithoeano exhibitum fuit.

(7) *Olim*. Iamdudum, iam pridem. Apposite ad significandam celeritatem eius qui repperisset margaritam. Petronius Satur. cap. 22. *Syri illi stertere, tamquam* olim *dormientes*. Seneca Epist. 77. Olim *iam nec perit quidquam mihi, nec acquiritur.* Iuvenalis Satyr. VI. v. 345.

Audio quid veteres olim *moneatis amici*.

(8) *Pristinum*. Quem antea habebas, quo antea pulcherrime nitebas. Vulgo *maximum*. Sed Perott. Codicis lectio genuina est. Vid. Variant. nostr. Cicero I. Famil. Ep. 6. *Ut tuam* pristinam

Ego quod te inveni (9), cui potior multo est cibus;
Nec tibi prodesse (10), nec mihi (11) quidquam potest (12).
Hoc illis narro, qui me non intelligunt (13).

FABULA XV.

Apes, Fuci, et Vespa.

Apes in alta fecerant quercu (1) favos:
Hos Fuci inertes (2) esse dicebant suos,

Lis

nam *dignitatem et gloriam consequare*. Caesar VI. B. Gall. c.54 *In pristinum statum redire*.

(9) *Ego quod te inveni*. Nempe *quod ego inveni te*. Quod ego te repererim, ista inventio. Vulgo pro *quod* est *qui*, vel *qui*, sed parum aptâ sententiâ, illudque certe est satius, quod Codex Perott. servat. V. Var. nostr.

(10) *Nec tibi prodesse potest*. Nam quod ego te invenerim, haud proinde fit, ut conditio tua fiat melior, et splendorem pristinum recuperes; ut aliquo pacto inde ex ista inventione iuveris.

(11) *Nec mihi*. Cui potior multo est cibus. Qui non sum cupidus pretii tui, sed escam quaero.

(12) *Potest*. Sic in Codic. Perott. et recte. Nam nominativus est: *Quod ego inveni te*. Vulgo *potes*. Quod sententiam corrumpit, vel ineptam facit.

(13) *Qui me non intelligunt*. Qui ex Fabellis meis nullam utilitatem, nullum commodum trahere sciunt, suntque ut pullus ad repertam margaritam. Qui etsi me legant, opportunâ tamen occasione uti nesciunt, nec praeceptis, quae per Fabellas doceo imbuuntur, vel quae specto arripiunt.

(1) *Fecerant quercu*. Sic in Cod. Perott. Vulgo *quercu fecerant*. Sed illud numerosius.

(2) *Fuci inertes*. *Sunt autem fuci*, ait Plinius lib. XI. c.11., *veluti imperfectae apes*. Columella IX c. 15. Fuci, *quod est genus amplioris incrementi simillimum* apis. *Inertes* autem Fuci dicuntur proprie. Nam nullam artem exercent, nil agunt, saltem ut videtur: et *iners* est absque arte. Cicero II. de Fin. c. 34. *Lustremus animo has maximas artes, quibus qui carebant inertes a maioribus nuncupabantur*. Lucilius apud Servium ad Virgil. IV. Aen. v. 158.

Ut perhibetur iners, *ars in quo non erit ulla*.

Hinc Virgilius IV. Georg. v. 167. ipsos Fucos: *ignavum pecus* dixit. Et v. 244. *Immunisque sedens aliena ad pabula Fucus*.

(3) *Lis*

Lis ad forum deducta est (3), Vespa iudice,
Quae genus utrumque (4) nosset quum pulcherrime (5),
Legem (6) duabus hanc proposuit (7) partibus (8):
Non inconveniens corpus (9), et par est color,
In dubium plane res (10) ut merito venerit.
Sed ne religio peccet imprudens mea (11):
Alveos (12) accipite, et ceris (13) opus (14) infundite,

Ut

(3) *Lis ad Forum deducta est.* In iudicium, ad iudicem, ut ex lege ageretur. *Forum* a Romanis dicebatur locus, quo ius reddebatur. *Deducta est* proprie. Cicero pro Flacc. c. 4. *Qui ad hoc iudicium deducti non sunt.* Valerius Max. VI. cap. 1. §. 2. Virginius deductam *in forum puellam occidit.* Et III. cap 7. §. 1. Scipio *in forum* deductus.

(4) *Genus utrumque.* Tam Apum scilicet, quam Fucorum.

(5) *Pulcherrime.* Optime, perfectissime. Cicero IV. Famil. Ep. 5. *Secundam* pulcherrime *ferre fortunam.* II. de Nat. Deor. c. 32. *Omnia subiecta esse Naturae, et ab ea* pulcherrime *regi.*

(6) *Legem.* Conditionem, ut mox appellat. Ita Terentius Andr. I. 2. v. 28. *Ea lege atque omine.* Nepos in Timoth. c. 2. *Pacem his legibus constituerunt.* Livius lib. XXXIII. c. 30. *Pax data Philippo in has* leges *est.*

(7) *Proposuit.* Proprie. Hirtius B. Gall. lib. VIII. c. 2. Proponere *conditiones.* Cicero II. de Leg. c. 18. *Leges* proponere.

(8) *Partibus.* Fucis, et Apibus, quae quum litigarent proprie *partes* dicuntur. Quintilianus lib. V. Inst. c. 6. *Nec ex advocatis* partis *adversae Iudex eligendus*: et cap. 7. *A patronis diversae* partis *inducuntur in laqueum.* Ita Seneca in Apocolocyntosi. etc.

(9) *Non inconveniens corpus.* Corpus inter vos non est diversum: Corporis forma haud prorsus discrepat. Loquendi modus egregius, ut forma ostendatur nec plane per omnia similis, nec plane alia et dissimilis.

(10) *Res.* Quis verus scilicet esset auctor favorum: Nam videtur ab utrisque aeque potuisse componi.

(11) *Sed ne religio peccet imprudens mea.* Ex Auctoris stilo. Sed ne ego religionis rea imprudenter fiam temere judicans. Sed ne ego Iudex, quae religiose iuravi rectissime ius reddere, haud cognita bene caussa, prave ex imprudentia iudicem. *Religio* hîc est fides iurisiurandi, quod praestitisse ex praescripto fingitur, quum Iudex eius caussae esset constituta. Vid. Fabell. 12. ad v. 40.

(12) *Alveos.* Vasa nempe quibus mellificant Apes. Alii *alvos.* Utrumque multâ auctoritate defendi potest. Vid. Variantes nostras.

(13) *Ceris.* *Cerae* hîc sunt ea parva mellis receptacula, et cellulae exagonae favorum, quod re-

Ut ex sapore mellis et forma favi,
De quîs (15) nunc agitur (16), auctor (17) horum (18) appareat.
Fuci recusant (19), Apibus conditio placet.
Tunc illa (20) talem protulit sententiam (21):
Apertum est (22) quis non possit (23), et quis fecerit (24):
Quapropter Apibus fructum (25) restituo suum.

Hanc

cera constent. Sensus autem est: factis, compositis cellulis, favis, receptaculis mellis. Haud enim ponuntur factae, sed faciendae, ut ex sequenti versu patet.

(14) *Opus*. Mel scilicet. Ita Varro III. R. R. c. 16. de Apibus: *Sanitatis signa, si sunt frequentes in examine, et si nitidae, et si* opus, *quod faciunt est aequabile et leve*. Et paullo ante: *Foris pascuntur, intus opus faciunt, quod dulcissimum est, et Diis et hominibus acceptum*.

(15) *De quîs*. De quibus. Vid. Lib. I. Fab. 8. ad v. 2.

(16) *Agitur*. Ex solemni iudiciorum formula. Plinius Caecil. IV. Epist. 29. *Eia tu quum proxime res agentur quoquo modo ad iudicandum veni*. Vid. et. Brisson. de Formul.

(17) *Auctor*. Qui vere fecerit, et composuerit. Auctor dicitur quisquis aliquid facit, componit, invenit. Ita Plinius lib. XXXIV. c. 8. *Statuae* auctor. Virgilius IX. 148. *Vulneris* auctor.

(18) *Horum*. Favorum, *de quîs nunc agitur*. Nam hic est ordo verborum.

(19) *Fuci recusant*. Supple *legem, conditionem*. Nolunt proposito operi incumbere.

(20) *Illa*. Vespa scilicet.

(21) *Talem protulit sententiam*. Proprie. Nam Vespa erat Iudex. Ulpianus Dig. de Feriis et Dilation. Leg. 1. *Sed si Praetor* sententiam *dixerit praesentibus illis, et sponte litigantibus*, sententia *valebit*. *Sin vero quum abesse perseveraverint*, sententiam protulerit *etiam absentibus illis, consequens erit dicere* sententiam *nullius esse momenti*. Vid. et. Ciceron. pro Cluent. c. 26. Ovid. XV. Met. v. 41. Iuvenal. Satyr. II. v. 62. Vulgo *sustulit*. Sed iam agnoverunt Critici lectionem Codicis Perottini esse genuinam.

(22) *Apertum est*. Manifesta res est, palam est. Cicero II. de Nat. Deor. c. 2. Aperta *et perspicua res*. Nepos in Conon. c. 2. et 3. Apertum est *hoc mihi*.

(23) *Quis non possit*. *Facere* scilicet favos, et proinde non fecerit.

(24) *Et quis fecerit*. Et quis eos favos revera fecerit. Apes nempe. Vulgo pro *et*, quae lectio est Codic. Perottini legitur *aut*. Sed perperam. Nam ea conditione, eoque periculo non alterutrum evincebatur, sed utrumque: Et Fucos scilicet facere non potuisse, et Apes revera fecisse.

(25) *Fructum*. Favos, mel. Scheffero minus placebat hoc

ver-

Hanc praeterissem fabulam silentio,
Si pactam Fuci non recusassent fidem (27).

FABULA XVI.

Aesopus ludens.

Puerorum (1) in turba quidam ludentem Atticus
Aesopum nucibus (2) quum vidisset, restitit,
Et quasi delirum (3) risit: Quod sensit simul (4),
De-

verbum, unde scripsit *favum*. Sed minus recte. Nam primum versiculi metrum corrupit, trochaeum inducens. Tum Auctor de favis, non de favo loquitur. Tertio si Cicero I. de Leg. c.8. scribere potuit: *Pecudes* ad fructum *procreatae*. II. Offic. c.18. *Pecuniae* fructus *maximi*. Livius lib. XXI. cap 7. *Maritimi* fructus. Lib. XLV. c. 40. Fructus *metallorum*. Seneca Epist.9. *Artifex* fructu *artis suae fruitur*: Quidni recte mel et favi *fructus Apum* a Nostro appellentur? Quin potius egregiè. Nam nullus *fructus* habetur sine labore ac opere: fructus est laboris et operis pensatio, ex certa et explorata caussâ oritur et fertur. Auctor igitur scribens *fructum*, declaravit Apes revera favos composuisse, eosque ex omni iure sibi reddi, quod suus labor, opusque essent.

(26) *Si pactam Fuci non recusassent fidem*. Supple *praestare*. Nisi Fuci recusassent stare pactis. Nam quum elegissent Iudicem Vespam, et cum eâ pacti fuissent se staturos eius iudicio et arbitrio, quum propositam conditionem recusarunt, pactam fidem recusarunt. Per *Fucos* autem hîc dubio procul ineptos quospiam Poetas intelligit Auctor, qui Fabellas eius impudenti plagio pro suis venditarent. Sed haud opportuniori Fabella ridiculam fraudem denudare Phaedrus poterat. Circa ea autem tempora non rari erant impudentissimi quidam Plagiarii, qui editis a quopiam libellis, eos arreptos suos palam interdum dicerent, et pro suis recitarent. Vid. Virgilium apud Auctor. eius vitae. Martialem I. Epigr. 30. 54. 73. etc.

(1) *Puerorum*. Adolescentulorum. Vox et alia significat. Vid. Lib. I. Fab. 15. ad v. 23.

(2) *Nucibus*. Qui puerorum lusus est. Persius Satyr. 1. v.10.

Nucibus *facimus quaecumque relictis*.

Martialis V. Epigr. 85.

Iam tristis nucibus *puer relictis*.

(3) *Delirum*. Proprie. Nam *deliri* dicuntur praesertim senes qui ob aetatem desipiunt, insipienter et stultè agunt. Cicero II. de Orat. c. 18. *Multos se* de-

Derisorem ut potius ridendum ostenderet (5),
Arcum retensum (6) posuit in media via:
Heus, inquit, sapiens (7), expedi quid fecerim (8).
Concurrit populus; ille se torquet diu (9);
Nec

deliros senes *saepe vidisse*. II. de Divin. c. 68. *An tu censes nullam anum tam deliram futuram*. Aesopus autem senex ab Auctore perpetuo fingitur.

(4) *Quod sensit simul*. Quam irrisionem, quem derisum simul ac Aesopus sensit.

(5) *Derisorem ut potius ridendum ostenderet*. Ut ostenderet non sese irrisione dignum esse, quod luderet, sed illum potius ridendum esse, qui se propterea derideret. Sic in Cod. Perott. si levissimum illud excipias *ro ut* nempe praecedere *derisorem*. Vulgo autem:

Derisor potius, quam deridendus senex.

Sed ineptâ sententiâ, ut palam est. Ideoque haud dubito fore, quin illa lectio opportunissima et egregia passim probetur et recipiatur. Vid. etiam Variant. nostras.

(6) *Arcum retensum*. Remissum, cuius nervum relaxaverat, retenderat. Aesopus nempe arcu arrepto cum tendit, et postea retenuit, remisit. Quo sensu Ovidius II. Metam. v. 419. Et III. v. 166. Tum Statius IV. Silv. 4. v. 30. aliique vocem usurparunt.

(7) *Heus, inquit, sapiens*. Aesopus scilicet dixit ad illum Atticum: heus tu qui sapiens es. Ironicè. Nam se ille ut desipientem riserat. Simili fere pacto Terentius Phorm. II. 3. v. 34.

... Dem. *Filium narras mihi,*
Cuius de stultitia dici ut dignum est non potest,
Phorm. *At tu qui sapiens es magistratus adi*.

(8) *Expedi quid fecerim*. Explica mihi, expone, quid ego modo tendens et retendens arcum fecerim: Scilicet qua caussâ, qua ratione, quo consilio id fecerim. Ita Terentius Eun. IV. 4. v. 27. *Agedum hoc mihi expedi*. Et V. 6. v. 29. *Sed istuc, quidquid est, primum expedi*. Fraschius legere malebat *quo*, quod Sanadonus et Philippus, Brotierio teste, probarunt. Schefferus *quo id*. Alii vero *quid*, quae Codicum lectio fuit, et est modo Nostri, servant quidem, sed interpretantur *ad quid*, *ob quid*. Parum recte vero omnes. Nam *qui* vel *quô* fuisset quomodo, quo pacto, quod ad rem non est. *Ad* autem vel *ob* minime ex latinae Syntaxis regulis eo in loco intelliguntur. Quid Auctor suppressisset, si versiculus ad metrum recte eis receptis particulis procedebat? Verum *quid* proprio veroque suo sensu sumitur, veluti ex recepta formula. Nos modo quum aliquid simile facimus, non petimus cur, qua caussa, ad quid fecimus, sed absolute *quid* fecimus. Nam quum sic petimus non rem evidentem, sed absconditam petimus.

(9) *Ille se torquet diu*. Ille Atticus diu se angit, se macerat, ut propositam quaestionem so-

Nec quaestionis positae (10) caussam intelligit (11):
Novissime succumbit (12): Tum vero Senex (13):
Cito rumpes arcum semper si tensum habueris (14);
At si laxâris (15), quum voles, erit utilis (16).
Sic lusus (17) animo debet aliquando dari (18),
Ad

solveret. Cicero de Orat. c. 11. *Verbi controversia iamdiu torquet Graeculos homines*. I. de Leg. c. 10. *Opinionum vanitas imbecillitatem animorum torquet*. Plinius Caecil. IX. Ep. 21. *Ne torseris illum, ne torseris etiam te*, torqueris *enim, quum tam lenis irasceris*.

(10) *Quaestionis positae*. Propositae. Proprie. Cicero I. Tuscul. c. 4. Ponere *videbam, de quo quis audire vellet*. I. de Orat. c. 22. Et Seneca Epist. 49. Ponere *quaestiunculas*.

(11) *Caussam intelligit*. Rationem reconditam, intimum consilium. Virgilius IV. Georg. v. 396. *Ut omnem Expediat morbi* caussam. Et II. v. 490. *Felix qui potuit rerum cognoscere* caussas.

(12) *Succumbit*. Cedit: Se ea in re imparem, victum fatetur. Vox ex certaminibus desumta, in quibus victus succumbebat. Nepos autem in Eumen. c. 11. *Non enim cum quoquam arma contuli, quin is mihi* succubuerit. Livius lib. XXII. cap. 54. *Cui hic ipse Annibal* succubuit. Ita Cicero de Finib. II. c. 29.

(13) *Tum vero Senex*. Ait nempe Aesopus. In Cod. Perott. *Tum vero Aesopus*. In Remensi et Pithoeano *tum victor Aesopus*. Vulgo *tum victor sophus*. Quae autem nos ad illam lectionem recipiendam impulerint satis puto in Variant. nostris diximus.

(14) *Cito rumpes arcum semper si tensum habueris*. Praestans, et vulgatissima sententia. Ita Publius Syrus in Mimis: *Arcum intensio frangit, animum remissio*. Ovidius IV. Epist. Her. v. 91.

. . . . . *Arcus*
Si numquam cesses tendere mollis erit.

(15) *Si laxâris*. Si laxaveris, si retenderis, si remiseris. Lucanus Epist. ad Pison. v. 142.

... *Non semper Gnossius arcus*
Distinet, exemto sed laxat *cornua nervo*.

(16) *Erit utilis*. Uti eo poteris, adhibere eum potes. Hîc *utilis* primâ suâ potestate sumitur. Horatius Art. Poet. v. 164. Utilium *tardus provisor*. Seneca Epist. 87. *Canterio vehebatur hipposeris quidem impositis, ut secum* utilia *portaret*.

(17) *Lusus*. Proprie. Ovidius VIII. Metam. v. 190, de Icaro:

. . . Lusuque *suo mirabile patris*
Impediebat opus.

Valerius Max. VIII. c. 8. n. 2. de Scaevola: *Ut enim in rebus suis Scaevolam, ita et in scurrilibus* lusibus *hominem agebat*. Et Seneca II. de Irâ c. 9. *Quid si irascitur pueris.. quod ad* lusus, *et ineptos aequalium iocos spectent*. Sic in Codic. Perott. Vulgo *ludus*, sed illud praestare ostendimus in Variant. nostris.

(18) *Animo debet aliquando dari*. Ita quidem Seneca de Tran-
qu.

Ad cogitandum melior (19) ut redeat tibi (20).

FABULA XVII.

Canis, et Agnus.

Inter capellas agno balanti (1) Canis,
Stultê, inquit, erras (2) non est hic (3) mater tua;
Ovesque segregatas (4) ostendit procul.
Non illam quaero (5), quae, quum libitum est (6),
concipit:

Dein

qu. animi c. 16. *Nec in eadem intentione aequaliter retinenda mens est, sed ad iocos revocanda. Cum pueris Socrates ludere non erubescebat, et Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum, et Scipio triumphale corpus movit ad numeros.* Noster iterum Prol. lib. III. v. 13.

Animum relaxes, otium des corpori.

Hac autem de re qui plura cupit adeat Quintilianum lib. I. Inst. c. 3. Lucanum ad Pison. v. 190. et seq. Svetonium in August. c. 13.

(19) *Melior.* Fortior, paratior, reparatis iam per lusum et instauratis viribus.

(20) *Tibi.* Quidam malunt *sibi*, sed parum apte. Nam hic *animus* non est homo, qui cogitat, sed quo homo cogitat. Unde animus non cogitat *sibi*, sed homini.

(1) *Balanti.* Qui balabat inter Capellas, illam quaerens; quae lac ei praebebat. Agni quidem balatu desiderium matrum exprimunt. Non abs re Ovidius VII. Met. v. 329.

Et tener auditur medio balatus aheno,
Nec mora balatum *mirantibus exsilit agnus,*
Lascivitque fugâ, lactentiaque ubera quaerit.

(2) *Erras.* Vagaris, huc illuc discurris, quae prima vocis vis, ut etiam Fab. 12. ad v. 45. observavimus. Hoc autem sensu Cicero pro Cluent. c. 62. Ovidius II. Art. v. 463. XI. Met. v. 357. voce usi sunt.

(3) *Non est hic.* Inter Capellas, inter quas matrem tuam quaeris, ut Canis putabat. Sic recte in Cod. Perott. In Pithoeano et Remensi fuit *haec*, sed errore manifesto.

(4) *Segregatas.* Procul semotas, in alium gregem collectas, ex vocis potestate.

(5) *Non illam quaero.* Verba Agni ad Canem.

(6) *Quum libitum est.* Supple *sibi.* Quod placuit. Non intuitu mei, sed ubi libuit; quum gratum fuit sibi; non ut gigneret me. Unde illi huius rei, nempe quod me conceperit, nulla habenda est gratia.

(7) *Onus.*

Dein portat onus (7) ignotum (8) certis mensibus,
Novissime prolapsam effundit sarcinam (9):
Verum illam, quae me nutrit admoto ubere (10),
Fraudatque natos lacte (11), ne desit mihi (12).
Tamen illa potior (13), quae te peperit. Non
ita est (14).

Un-

(7) *Onus*. Foetum. Ita Ovidius II. Fast. v. 452.

Maturumque utero molliter aufer onus.

IV. Epist. Her. v. 58. *Enixa est utero* onus. Et sic saepius. Tum Noster in ceter. vulg. lib. I. fab. 18. v. 5.

Onus *naturae melius quo deponeret*.

(8) *Ignotum*. Cuius foetus naturam, personam, formam ignorat, onus latens, non visum, quod penitus ignoratur. Seneca Epist. 124. Foetum *maternorum viscerum* latens *onus* dixit. Gellius lib. XII. Noct. 1. ex Phavorino Philosopho: *Aluisse* matrem *in utero sanguine suo nescio quid, quod non videret*.

(9) *Prolapsam effundit sarcinam*. Tandem exactis mensibus foetum prolapsum in lucem emittit. *Sarcina* est *onus*, quod dixit, foetus. Sic Ovidius VI. Metam. v. 224.

. . . *Qui matri* sarcina *quondam*
Prima suae fuerat.

Et Apuleius lib. V. Metam. *Psyche gravida crescentes dies et menses exeuntes anxia numerat, et* sarcinae *nescia rudimenta miratur*. *Effundit* autem eleganter. Virgilius VIII. Aen. v. 138. de Mercurio.

. . . *Quem candida Maia*
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.

Seneca Epist. 121. *Animalia a materno utero* effusa. Ita Iuvenalis Satyr. II. v. 33. Serenus Sammon. v. 610. etc. *Prolapsus* vero hic non est lapsus ex utero, foras effusus, sed est prolabens, qui iam labi coepit, foetus vinculis ruptis in utero lapsus. Hac plane sententia etsi de alia re Livius lib. XXVII. c. 27. *Equus pilo traiectus* prolapsum *per caput regem* effudit.

(10) *Admoto ubere*. Praebens etiam sponte mihi uber, admovens, porrigens ultro, quod maximum amoris signum. Similiter vero Virgilius IV. Aen. v. 367. Admorunt ubera *tigres*. Florus lib. I. cap. 1. *Lupa* uber admovit *infantibus*.

(11) *Fraudatque natos lacte*. Ipsis ex se genitis filiis lac subducit, natos veluti fraude debito alimento privat, iisque negat, quibus ex omni iure debet. Apposite illud *fraudat*: de quo vide quae Fab. 22. ad v. 4. afferimus.

(12) *Ne desit mihi*. Supple *lac*. Ut mihi lac non deficiat, ut sit satis.

(13) *Tamen illa potior*. Canis modo ad Agnum loquitur. *Potior* hic dicitur respectu iuris. Qui prior est in iure; qui maius ius habet, cui maiora debentur, ille *potior* dicitur. Quo sensu Cicero de Amic. c. 5. *Itaque Cives* potiores, *quam peregri-*

Unde illa (15) scivit, niger an albus nascerer (16)?
Age porro (17), parere si voluisset feminam,
Quid profecisset, quum crearer masculus (18)?

Be-

grini, et propinqui quam alieni. Terentius Phorm. III. 2. fin.

. . . *Si pecuniam mihi prior*
tu attuleris, Phaedria,
Mea lege utar, ut potior *sit,*
qui prior ad dandum est.

Et Curtius lib. IV. cap. 2. *Statuunt neminem esse* potiorem (ad regnum) *quam Abdolonymum quemdam.* Canis ergo ait, maiora et graviora esse iura in filium, eius quae pepererit, quam eius quae lac praebuerit, vel educaverit. Et propterea maiorem charitatem ac pietatem a filiis matribus, quam nutricibus deberi. Vulgo *est potior.* Sed elegantius visum expuncto *est*: Quod et auctori ate Perottini Codicis fecimus. Brotierius edidit *melior*, sed imprudens, ut arbitror, versiculum ex memoria scribens. Nam nulla plane auctoritas hanc lectionem tuetur, quae nec facit ad rem.

(14) *Non ita est.* Verba Agni, qui pernegat plus deberi parentibus, quam illis, qui nos alunt, nos tuentur, nos educant.

(15) *Illa.* Mater, parens, ovis; quia procul est.

(16) *Niger an albus nascerer.* Promum esset hîc de naturali agni colore haec verba sumere. Nam agni plerumque vel albi, vel nigri sunt, et supra legimus *portat onus ignotum*: Tum Auctor ad tritissimum proverbium spectare potuit, quod Cicero II. Philipp. c. 16. Catullus Carm. 91. Apuleius in Apolog. aliique plures usurparunt. Eo enim de homine quem ignotum volebant traducere praedicabant: *Ego albus an ater homo sit nescio.* Attamen penitior Auctoris ratio videtur: eum nempe pro *albo* feminam, seu agnam, pro *nigro* marem seu agnum habuisse. Quae enim sequuntur tam in Perott. Codic. quam in vulgatis Phaedri libris etiam hanc, ni fallor, interpretationem postulant. Apud Romanos autem *alba* vel *nigra* ea quoque dicebantur, quae fausta, aut infausta, quae boni, aut mali ominis essent: quae felicia, fortunata haberentur, vel tristia, et aerumnosa. Vid. Horatium I. Ode 12. v. 27. I. Satyr. 9. v. 72. Satyr. 4. v. 85. Propertium II. Eleg. 21. v. 38. Silium XV. Punic. v. 83. Persium Satyr. 1. v. 110. Iuvenalem Satyr. XIII. v. 137. Ex foetibus autem ovium, qui mares sunt lanio et macello destinantur, qui feminae servantur diligenter ad foeturam. In his igitur mares infelices et aerumnosi, feminae felices et fortunatae. Mares ergo nigri, et feminae albae, et proinde viceversa nigri sunt mares, albi sunt feminae, ut in Auctore nostro legimus.

(17) *Age porro.* Formula concedentis, et prosequentis. Cicero II. de Invent. cap. 7. *Age porro, quid si ipsi velint Iudices adscribere?* VII. Verr. c. 22. Age porro, *tu qui te tam religiosum existimari voluisti.*

(18) *Quum crearer masculus.* Ponamus, ait Agnus, matrem

meam

Beneficium sane magnum (19) natali (20) dedit,
Ut expectarem lanium (21) in horas singulas.
Cuius potestas (22) nulla in gignendo fuit,
Cur hac (23) sit potior (24), quae iacentis (25) miserita est,

Dul-

meam non marem, sed feminam parere omni conatu cupiisse, quid inde profecisset, quodnam commodum ego percepissem, si ex rerum ordine, et necessitate naturae non femina, sed masculus gignerer? *Creare* hoc sensu rectum. Horatius IV. Od. 4. v. 29. *Fortes* creantur *fortibus et bonis*. Livius lib. I. c. 3. *Silvius Aeneam Silvium* creat. Et Noster in ceter. vulg. Lib. I. Fab. 6. v. 6. *Quid si creavit liberos?* Hic autem et superior versiculus sic in unum contracti in vulgatis Phaedri libris leguntur:

Age porro scisset, quum crearer masculus?

Sed in nostris Variant. observavimus quanto iure nova Perottini Codicis lectio esset recipienda. Hic vero Brotierii opinionem non moramur, qui putat duos illos versiculos a Perotto fuisse confictos. Nescivit enim Perottum nullum umquam versiculum iambicum rectum potuisse concinnare, quod nos Dissert. I. de Auct. Fabul. novar. ostendimus. Nec versiculos ipsos praeiudicio occupatus ad examen, ut par erat, revocavit.

(19) *Beneficium sane magnum.* Proprie. Seneca II. de Benef. c. 31. *Vis scire cum non sit magnum beneficium vitam sic dare si exposuisses.* Quintilianus Declam. 368. Beneficium *dedit*, *vitam donavit*. Sic in Cod. Perott. Vulgo *magnum sane*. Illud visum potius.

(20) *Natali.* Cum natali, cum die natalitio, me nempe in lucem edens, et si ita loqui fas est, me nasci faciens. Lucanus simili sententia VII. Phars. v. 390.

. . . Gentes Mars ipse futuras
Obruet, et populos aevi venientis in orbem
Erepto natale *feret*.

(21) *Ut expectarem lanium.* Columella VII. R. R. c. 3. *Villicus teneros agnos dum adhuc herbae sunt expertes lanio tradit*. Proprie autem *expectarem*, ut scilicet perennem et perpetuum pavorem notaret, unde eius vita tota miserrima fieret. Terentius Phorm. I. 4. v. 16.

Nescio quod magnum hoc nuntio expecto malum.

Hecyr. III. 4. v. 8.

Semper mortem expectabam *miser*.

Sic Petronius Satur. c. 125. Lucanus V. Phars. v. 671. etc.

(22) *Potestas*. Facultas faciendi vel non faciendi, et hoc vel illo pacto. Libertas agendi hoc aut illo modo.

(23) *Hâc*. Capellâ. Haec sunt adhuc Agni verba ad Canem, ut nos in nonnullos Interpretes in Variant. ostendimus.

(24) *Sit potior*. Agnus retorquet Cani verba, quae is obiecerat.

(25) *Iacentis*. Mei nempe a matre ove derelicti. Ovidius XV. Met. v. 221.

Edi-

Dulcemque(26) sponte praestat(27) benevolentiam?
Facit parentem(28) bonitas(29), non necessitas(30).
His demonstrare voluit Auctor versibus,
Obsistere homines legibus (31), meritis capi (32).

FA-

Editus in lucem iacuit sine viribus infans.

(26) *Dulcemque*. Veluti in natum suum. Vide Fab. 11. ad v. 12.

(27) *Praestat*. Re, opere. Cicero IV. Fam. Epist. 11. *Praestare benevolentiam*. Vid. Fab. 3. ad v. 16. Brotierius memoria iterum, ut puto, lapsus, vel temere Sanadonum et Philippum exscribens edidit *praebet*. Sed *praestat* lectio Codicum fuit, et Nostri ut ceterar. Edition. est, tum sententiâ et proprietate plane potius.

(28) *Parentem*. Sic in Codic. Perott. Vulgo *parentes*. Sed illud elegantius, et ex Phaedri stilo, qui saepius singulari potius numero in similibus, quam plurali utitur. Vid. in cet. vestig. Lib. I. Fab. 23. v. 1. Fab. 24. v. 1. Tum supra Fab. 3. v. 28. Fab. 5. v. 17. Fab. 15. v. 14. atque ita porro.

(29) *Bonitas*. Bonitas hîc est beneficentia, virtus, qua bona, beneficia, officia aliis praestantur, non absoluta quaedam et frigida probitas. Ita Cicero I. de Nat. Deor. c. 1. *Quid enim est melius, aut quid praestantius bonitate et beneficentia*. III. c. 34. *Ubi bonitate Deorum*.

(30) *Necessitas*. Hic *necessitas* non est naturale fatum, ordo naturae, ut tamen plures Interpretes autumant; sed necessitudo, propinquitas, sanguinis coniunctio. Nam adhuc Agnus solvit, quod Canis obiecerat, *quae te peperit*: unde nempe tu sanguinem, corpusque tuum sumsisti. Praeterea quum in parente et necessitudo sit, et bonitas requiratur, recte de utraque Auctor. Illa autem *necessitas* et fatum naturae, nescio quid abstractum, inopportunum hic et incongruens videtur. Cicero autem pro Rosc. Amer. c. 24. *Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus, maternusque sanguis*. Pro Sulla c. 1. *Si nostra accusatione suam necessitatem, familiaritatemque violasset*.

(31) *Obsistere homines legibus*. Homines reluctari, adversari, iis quae sibi necessario, ex lege, ex praecepto imponuntur. *Lex* est quodvis iussum, quaevis necessitas, qua ad agendum vel non agendum cogimur. Revera autem homines numquam fere lubenter faciunt, quae necessario facere debent, et propterea plerumque obsistunt, repugnant, vel adversum et vetitum faciunt. Nam ut recte Ovidius II. Amor. Eleg. 4. v. 17. scribebat:

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

(32) *Meritis capi*. Sed facillime capiuntur meritis, beneficiis quae ex libera voluntate procedunt. Illi eos magnopere demerentur, et sibi devinciunt, qui voluntariam, et spontaneam bonitatem praestant. Hoc sensu Cicero de Amic. c. 8. *In dandis*

FABULA XVIII.

Noctua, et Cicada.

Humanitati (1) qui se non accommodat (2),
Plerumque poenas oppetit (3) superbiae (4).
Cicada acerbum Noctuae convicium
Faciebat (5), solitae victum in tenebris quaerere (6),
Ca-

dis recipiendisque meritis. Livius lib. XXXIX. c.28. *Ille vestrum meritum habet, non vos illius*. Tum Lucretius lib. I. v. 61.

Nec bene promeritis capitur,
nec tangitur irâ.

Sed vid. Lib.I. Fab.14. ad v.22.

(1) *Humanitati*. Humanitas hîc non est proprietas, qua homines sumus, sed est urbanitas et comitas morum, quae quando cum aliis versamur praestanda est. Seneca Epist. 88. Humanitas *vetat superbum esse adversus socios, vetat avarum; verbis, rebus, affectibus comem se facilemque omnibus praestat; nullum alienum malum putat, bonum autem suum ideo maxime, quod alicui bono futurum est amat*. Unde Cicero I. Offic. cap. 40. *Et quae multum ab* humanitate *discrepant, ut si quis in foro cantet, aut si qua est alia magna perversitas, facile apparent*.

(2) *Non accommodat*. Non aptat, non comiter flectit se ad aliorum voluntatem, ut aliis sit commodo, vel ne sit incommodo. Cicero in Orat. c. 8. *Ad alicuius arbitrium et nutum totum se fingere et* accommodare.

(3) *Poenas oppetit*. Subit, luit: et proprie petit, quaerit; obviam fit poenis. Hoc sensu Vetus Poeta apud Ciceronem II. Tusc. c. 16.

Priusquam oppeto malam pestem mandatam hostili manu.

Catullus in Epith. Pelii et Thetid. v. 102.

Aut mortem oppeteret Theseus, aut praemia laudis.

Ita Seneca Herc. Fur. v. 275. etc.

(4) *Superbiae*. Scilicet ut audiebamus ex Seneca: *humanitas vetat superbum esse*. Unde Cicero I. de Orat. cap. 22. *Quod ego non* superbiâ, *neque* inhumanitate *faciebam*.

(5) *Convicium faciebat*. Magnum nempe et gravem clamorem. *Convicium* quasi *convocium*, vociferatio magna, vel pluribus revera vocibus constans, vel quae pluribus ob magnitudinem constare videretur. Quo sensu Cicero VII. Verr. c. 11. Columella lib. X. v. 12. Et Noster in cet. vulg. Lib. I. Fab. 6. v. 4. vocem sumserunt. *Faciebat* autem proprie. V. Terentium Adelph. II. 1. v. 26. et Festum in *Occentassint*. Lucanus vero ad Pison. v. 79. plane ad rem;

Cavoque ramo (7) capere somnum interdiu (8).
Rogata est (9), ut taceret : Multo validius
Clamare coepit : Rursus admota prece (10),
Accensa magis est (11). Noctua ut vidit sibi
Nullum esse auxilium (12), et verba contemni data (13),

Hac

Sic et Aëdonidâ superantur voce Cicadae,
Stridula quum rapido faciunt convicia *Sole*.

(6) *Quaerere*. Vid. Fab. 14. ad v. 2.

(7) *Cavoque ramo*. In arboris ramo cavo, excavato. Ita Virgilius Eclog. IX. v. 15. et Horatius Epod. XVI. v. 47. Cava *ilex* : et ille iterum III. Aen. v. 191. Cava *trabs*. Et iste II. Od. 19. v. 11. Cavus *truncus*.

(8) *Capere somnum interdiu*. Per diem, per spatium diei. Nam per noctem quaerebat sibi victum. Cicero VIII. ad Attic. Ep. 1. *Ego si* somnum *possem* capere. Catullus Carm. LXI. v. 3. *Somnum capiunt*.

(9) *Rogata est*. Cicada scilicet a Noctuâ. Haec enim dormire aliquantulum cupiebat.

(10) *Admota prece*. Eleganter. Ovidius III. ex Pont. 7. v. 36.
Quamvis admôrint, *non valuisse* preces.
Curtius lib. V. cap. 10. Preces *deinde* admotae. Ita Noster in ceter. vulg. lib. I. fab. 19. v. 5. et lib. IV. fab. 25. v. 20.

(11) *Accensa magis est*. Cicada nempe ad clamandum. Tacitus III. Ann. cap. 14. *Studia hominum* accensa *in Agrippinam*. II Histor. c. 66. Accensus *ad certamen*. Et Noster lib. I. fabul. 4. v. 7. *Studio* accensus; quem locum, si lubet, vide.

(12) *Sibi nullum esse auxilium*. In precibus nempe, in obsecrationibus, ut Cicadam ad tacendum induceret: Nullum amplius sibi superesse aequum et urbanum modum, quo garrulam ad silentium adduceret. Caesar III. B. Gall. c. 15. *Reperire* auxilium *alicui rei*. Livius lib. XXXVII. c. 1. *Est mihi plus* auxilii *in te, quam in illo*. Celsus Praef. lib. I. Auxilia *adversae valetudinis*. Plinius lib. XXV. c. 3. *Reperta est* auxilio *herba*.

(13) *Et verba contemni data*. Admotas nempe preces et obsecrationes. Hic *verba* sunt *preces*, et *data verba* sunt preces admotae. Ovidius VI. Metam. v. 164.
Turaque dant *sanctis*, *et verba precantia*, *flammis*.
IV. ex Pont. 9. v. 111.
His ego do toties cum tura precantia verba.
Et absolute Epist. 8. v. 36.
Quum pro concessâ verba *soluta* damus.
Pro *data* quod Perott. Codicis est, vulgo legitur *sua*. Sed ea vox si bene interpretati sumus potiorem dubio procul sententiam habet. Verum quidem est *dare verba* passim esse fallere, decipere, sed quid huiusmodi Codicis lectio recipere potest? Vid. etiam Variant. nostras.

(14) Ad-

Hac est adgressa (14) garrulam fallaciâ (15):
Dormire quia me non sinunt cantus tui (16),
Sonare citharâ quos putes Apollinem (17):
Potare est animus (18) nectar (19), quod Pallas (20) mihi

Nu-

(14) *Adgressa est*. Proprie. Nam eam fallere, et dolose occupare a Initiur. Terent. Phorm. V. 7. v. 75. *Satis astute me adgredimini*.

(15) *Dormire etc.* Verba Noctuae ad Cicadam.

(16) *Cantus tui*. Perinde ac varie, et multipliciter cantaret, pluribus numeris, et modis caneret. Virgilius VIII. Aen. v. 456. *Matutini* cantus. X. v. 162. *Movere* cantus: Tibullus III. Eleg. 4. v. 40. Cantus *dedit*.

(17) *Sonare citharâ quos putes Apollinem*. Quos cantus non a mortali edi putes, sed ab ipso Apolline, et quum citharam pulsans canit, quum cantus sui citharae sono concordant. *Sonare citharâ*, non est pulsare citharam, sed cantare citharâ, canere aliquid concordi citharae sono, *quum digiti cum voce loquuntur*, ut Tibulli dicto utar. III. Eleg. 4. v. 41. Horatius II. Ode 13. v. 26.

Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro, *dura navis,*
Dura fugae mala, *dura belli.*

Epod. XVII. v. 39. *Sive mendaci* lyra *voles* sonari. Virgilius I. Aen. v. 740.

. . . Citharâ *crinitus Iöpas*
Personat *aurata*, *docuit quae maximus Atlas*.

Apollo autem Musicae Deus habebatur, et qui propterea omnium suavissime et voce et fidibus caneret. Tum cithara ei sacra erat: Unde Valerius Flaccus lib. V. v. 693. Citharae *pulsator Apollo*. *Putes* vero haud recta Cicadam spectat, sed ex vulgato est loquendi modo, pro quisque putaret, omnes existimarent. Ita Ovidius III. Art. v. 288. *Eam flere* putes. XI. Metam. v. 113. *Hesperidas donasse* putes. Et I. v. 242. *In facinus iurasse* putes. Alias autem huius versiculi lectiones, quas Critici procuderunt, praeterimus. Nam haec genuina est et sincera. Vid. Burmann. in Comm. novo.

(18) *Est animus*. Est voluntas, est volupe. Vid. Fab. 10. ad v. 25.

(19) *Nectar*. Potus Deorum. Cicero I. Tusc. c. 26. *Non enim ambrosiâ suâ Deos, aut* nectare, *aut Iuventute pocula ministrante laetari arbitror*. Martialis XI. Epigr. 58.

Iupiter ambrosia satur est, et nectare *vivit*.

Verum quidem est, *nectar* dictum etiam Deorum cibum a Graecis, ut Athenaeus II. Deipnos. cap. 2. probat. Sed verum etiam longe saepius potum fuisse. Unde per translationem Virgilius IV. Georg. v. 164. Mel, *nectar* dixit. Ovidius XV. Met. v. 116. *Lac*. Statius II. Silv. 2. v. 99. *Vinum*.

(20) *Pallas*. Scilicet. Nam Noctua Palladi sacra erat. Ovidius II. Fast. v. 89. *Palladis*

ali-

Nuper donavit, si non fastidis (21), veni;
Unâ bibamus (22): Illa, quae arebat siti (23),
Simul gaudebat (24) vocem laudari suam,
Cupidè advolavit (25). Noctua egressa e cavo (26),
Trepidantem (27) consectata est, et letho dedit (28).
Sic viva quod negârat (29, tribuit mortua.

FA-

alitem vocat. Fulgentius I. Mythol. c. 2. *In huius* (Minervae) *tutela Noctuam volunt*.

(21) *Si non fastidis*. Apposite ad urbanitatem et humanitatem. Petronius Satur. c. 127. Si non fastidis *feminam ornatam*, *concilio tibi sororem*.

(22) *Unâ bibamus*. Simul. Horatius II. Satyr. 5. v. 48. *Ludos spectaverat* unâ. Cicero VI. ad Attic. Ep. 10. Unâ *erimus*.

(23) *Arebat siti*. Proprie. Ovidius VI. Met. v. 355. *Et fauces* arent. Seneca de Benef. III. cap. 8. *Beneficium est* arentibus *siti*, *et vix spiritum per siccas fauces ducentibus monstrare fontem*. Vulgo *ardebat siti*. Sed certe lectio Codicis Perott. potior est Vid. et. Variant. nostr.

(24 *Gaudebat*. Vulgo *cognovit*. Sed lectio Codicis Perott. genuina est. Vid. Variantes nostras.

(25) *Cupide advolavit*. Ad Noctuam, ad cavum ramum, quo Noctua se per diem recipiebat. Cicero II. de Nat. Deor. c. 49. *Avis* advolans *ad aves*.

(26) *Noctua egressa e cavo*. E cavo ramo, ut Cicadam unguibus rostroque adgrederetur, et necaret. *Cavum* substantive sumtum latinissimum est. Cato R. R. c. 128. *Neque mures* cava *facient*. Varro III. R. R. c. 15. Glires *faciunt* cavum, *ubi cibum constituant*. Horat. I. Ep. 7. v. 33.

Macra cavum *repetes arctum*,
quem macra subisti.

Et Noster in cet. vulg. lib. IV. fab. 5. v. 3. *Et arctos circum trepidarent* cavos. Salmasius et Gudius legere malebant *ingressam*, vel *egressam cavum*, verba ad Cicadam referentes, quod Noctua non lateret in cavo, sed somnum tantum ibi caperet. Sed nonne hic tantorum virorum iudicium omnino desideras? Ubinam ergo erat tum Noctua nisi in cavo? Si tum captabat dormire, ubi nam collocabimus? Si vocat ad nectar Cicadam, ubinam eam ponemus cum nectare? Tum *egressam trepidantem* quis feret in Phaedro, et quomodo *egressa* si iam advolârat? Unam ergo Pithoeani et Remensis Codicis lectio a Perottino MS. firmata, genuina est et probata.

(27 *Trepidantem*. Huc illuc trepide ob pavorem et metum discurrentem. Vid. Lib. I. Fab. 15. ad v. 19.

(28) *Letho dedit*. Occidit, necavit. Eleganter. Ita Noster et in cet. vulg. lib. I. fab. 22. v. 9. *Improbam* leto dedit. Virgilius V. Aen. v. 806. *Millia multa* daret letho. XI. v. 172. *Quos* dat *tua dextera* letho. Et XII. v. 328. Dat *fortia corpora* letho. Vid. Dissert. de Phaedr. vit. c. IV. §. 11.

(29) *Quod negârat*. Silentium, quietem, urbanitatem.

(1) *In*

FABULA XIX.

Dii legentes Arbores, quae essent in sua tutela.

Olim, quas vellent esse in tutelâ suâ (1),
Divi legerunt (2) Arbores: Quercus Iovi (3);
Et Myrtus Veneri (4) placuit, Phoebo Laurea (5);
Pinus Cybebae (6), Populus celsa Herculi (7).

Mi-

(1) *In tutelâ suâ*. In suo patrocinio, quae sibi peculiariter sacrae essent. Ita Cicero II. de Nat. Deor. c. 22. *Apollo cuius in* tutelâ *Athenas antiqui Historici esse voluerunt*. Propertius III. Eleg. 11. v. 41.

Dique Deaeque omnes quibus est tutela *per agros*.

Ita Ovidius I. Trist. IX. v. 1. etc.

(2) *Legerunt*. Elegerunt, selegerunt. Recte. Hac potestate quae prior fuit Cicero V. Philipp. c. 6. Virgilius VIII. Aen. v. 79. Ovidius XIII. Met. v. 242. vocem sumserunt.

(3) *Quercus Iovi*. Nempe *placuit*, ut mox Iupiter elegit sibi quercum, constituit quercum in arborem sibi peculiariter sacram. Ideo Virgilius III. Georg. v. 333. *Magna* Iovis quercus. III. Aen. v. 680. Quercus ... *sylva alta* Iovis. Ovidius VII. Met. v. 622. *Sacra* Iovi quercus.

(4) *Myrtus Veneri*. Myrtum Veneri sacram putabant Veteres. Vid. Virgilium VII. Eclog. v. 61. V. Aen. v. 72. etc. Hinc Veneri sacrum nomen *Myrteae*. Plinius lib. XV. c. 29. *Quin et ara Romae vetus fuit Veneri* Myrteae, *quam nunc* Murtiam *vocant*.

(5) *Phoebo laurea*. Laurus Apollini, qui et Phoebus. Virgilius Eclog. cit. v. 62. *Gratissima sua* laurea Phoebo. Vid. etiam Eclog. III. v. 63. Horatium IV. Od. 2. v. 9. etc.

(6) *Pinus Cybebae*. Nempe *Cybele*. Nam utroque modo recte scribitur, ut media syllaba producenda est, vel corripienda. Qua de re plura Gudius et Burmannus ad hunc locum, et Broickhusius in Tibullum. Eam dicebant esse Deorum matrem, eique sacram esse Pinum. Vide Ovidium X. Metam. v. 103. Senecam in Troad. v. 70. Martialem XIII. Epigr. 25. In Cod. Perott. *Pinus Neptuno*: De qua lectione, ut de vulgata plura diximus tum in Variant., tum Dissert. I. in Codicem §. X.

(7) *Populus celsa Herculi*. Supple *placuit*. Virgilius Eclog. cit. v. 61. Populus Alcidae *gratissima*. Vid. et. II. Georg. v. 66. Ovidium IX. Epist. Her. v. 64. Plinius autem lib. XI. c. 1. superiora etiam illustrans: *Arborum genera*, ait, *Numinibus suis dicata perpetuo servantur: ut*

In-

Minerva admirans quare steriles sumerent (8);
Interrogavit caussam (9) : Dixit Iupiter (10):
Honorem fructu ne videamur vendere (11).
At me hercules narret quod quisque voluerit (12),
Oli-

Iovi aesculus, *Apollini laurus*, *Minervae olea*, *Herculi populus*.

(8) *Quare steriles sumerent*. Qua de re, qua de caussa, cur non fecundas, sed infructuosas arbores Dii eligerent. Verum quidem est quercum, myrtum, laurum, pinum, populum vel glandes, vel quasdam baccas, et nescio quid fructus ferre; Sed iis haud magnopere iuvamur: et propterea *steriles* arbores absolute dici possunt. Simili pacto Virgilius V. Eclog. v. 37. *Avenam* dixit *sterilem*. II. Georg. v. 70. *Platanos steriles*. Et v. 111. *Ornos steriles*. *Sumo* autem recte ad hanc sententiam. Sallustius B. Iugurth. c. 10. *Ne ego meliores liberos sumsisse videar, quam genuisse*. Nepos in Miltiad. c. 1. *Ut Miltiadem sibi Imperatorem* sumerent.

(9) *Interrogavit caussam*. Qua nempe id fecerint. Caesar I. B. Gall. c. 32. *Eius rei quae caussa esset miratus, ex ipsis* quaesivit. Et Noster in ceter. vulg. lib. I. fab. 6. v. 5. Quaerit *Iupiter* Caussam *querelae*. Lib. IV. fab. 11. v. 6. Caussam quaesivit *Pater*. Et fab. 18. v. 5.

Hanc alia quum rogaret caussam *facinoris*.

(10) *Dixit Iupiter*. Respondit, caussam expedivit, explicavit. Frontinus Stratag. III. c. 1. *Victoribus deinde suis caussam tam facilis eventus requirentibus* dixit: *tunc illos victoriam adeptos etc*. In eos autem qui hos duos Phaedri versiculos aliter interpungunt, inter quos est etiam Brotierius, abunde in Variant. nostris diximus.

(11) *Honorem fructu ne videamur vendere*. Sensus est. Ideo nos non elegimus arbores fructuosas, sed steriles, ne videremur vendere quodammodo eis honorem tutelae nostrae pro fructu suo. Si elegissemus fecundas arbores tum et ceteris Diis, et hominibus videri poterat nos patrocinium nostrum sordida spe ducti eis vendidisse. Nam eorum fructus nobis sacri, nostri iuris fuissent. Sed quum steriles sumimus honorem tutelae non vendimus, sed donamus, non mercamur, sed largimur.

(12) *At me hercules narret quod quisque voluerit*. Verba Minervae ad Iovem. Sed dicat quisque quod vult: Iudicet de nobis, ut lubet. Iactet nos fructus honore emere, garriat nos vendere tutelam fructu: Id sane nostra non interest. Nam Minerva fructiferam oleam elegerat, et Iupiter, quum dixisset fructiferos arbores ideo non sumsisse, ne viderentur vendere et mercari, insectatus quodammodo fuerat electionem Minervae, vel saltem inde fiebat de ea male praedicandum esse apud Deos et homines. Minime autem mirum Minervam hic iurare per Herculem. Nam ex iugi et perenni usu aetate Phaedri iamdiu factum fuerat, ut iuramentorum for-

Oliva (13) nobis (14) propter fructum est gratior.
Tum (15) sic Deorum genitor atque hominum
sator (16): O Na-

formulae primam et veterem potestatem amitterent, nec amplius aliud ferme retinerent, quam quamdam vim affirmandi. Ideo apud Plautum Amph. I. 3. v. 18. et 22. III. 2. v. 33. per Pollucem Iupiter et Mercurius iurant. Et III. 4. v. 3. Is etiam per Herculem, qui tum adhuc non natus fingitur. Quidni igitur id recte faciet Minerva? Addit quidem insuper Gellius lib. IX. Noct. c. 6. In veteribus scriptis non inveniri feminas per herculem iurasse, sed viros. At primum hîc agitur de Dea et quidem virilis animi, et habitus, quae bellis et literis praeesset. Tum Gellius scripta vetera singillatim memorans recentiora exclusit, ea nempe omnia, quae a Varronis aetate emissa fuissent in lucem. Haec autem sin minus apud Gellium, apud nos tamen ingentis sunt auctoritatis. Tandem ne de ipsis quidem antiquis Scriptoribus stricte id dixit Gellius. Nam Plautus Trucul. II. 1. v. 1. Ancillam sic loquentem inducit: *ha ha he hercle quievi*. Versiculus autem de quo agimus sic vulgo legitur:

At mehercule narrabit quod quis voluerit.

Sed nemo ullus fere Interpretum et Criticorum totum, ut est, et integrum probavit, et praeter cetera omnes fere pro *narrabit* legerunt *narret*. Et iure quidem. Nam sententiâ, et latinae linguae ingenio spectato hoc tempus non illud requiritur. Quin ipsum *narra* parum opportunum hic videri posset, et potius quodpiam *garrias* requiri, quod parum revera a *narret* distat, quum Minerva ex adagio, et quodammodo indignata loquens inducatur. In Perottino Codice legitur:

At mehercules inquit quod quisque voluerit.

Quod lenissima emendatione ad iustos numeros redditur, scribendo:

At mehercule inquiat quod quisque voluerit.

Ubi *inquiat* esset dicat, iactet: Quae lectio quum simplicior certe et opportunior sit, eam proinde proponere in Variant. nostris non dubitavimus. Et quamvis *inquam* ista syntaxi nobis non occurrerit, inclinat tamen adhuc ad eam animus; vellemque ut docti Viri id singillatim expendant.

(13) *Oliva*. Arbor, quae et *olea* dicitur. Attamen *oliva* hoc sensu probatissimum est. Vid. Virgilium VIII. Eclog. v. 16. VIII. Aen. v. 118. et II. Georg. v. 424. Ovidium VIII. Met. v. 295. Ciceronem II. de Nat. Deor. cap. 8. aliosque plures.

(14) *Nobis*. Mihi, nempe ad maiestatem. Olivam autem sibi elegerat: Unde per excellentiam a Virgilio VII. Aen. v. 154. II. Georg. v. 181. Ovidio VI. Met. v. 335. Silio Ital. I. Pun. v. 238. et III. v. 405. tum a Martiali I. Epigr. 77. aliisque passim *oliva* dicta est *arbor Palladis*, vel *Palladii rami*.

(15) *Tum*. Ut in Cod. Perot.

(16) *Deorum genitor atque hominum sator*. Nempe Iupiter

Exo-

O Nata (17) merito sapiens dicere (18) omnibus:
Nisi utile est (19), quod facimus, stulta est gloria (20).
Nihil agere (21) quod non prosit (22) Fabella admonet.

FABULA XX.

Pavo, et Iuno.

Pavo ad Iunonem venit, indigne ferens (1),
Cantus Luscinii (2) quod sibi non tribuerit (3):
Il-

Deorum et hominum pater, ut passim Veteres sumto ab Homero initio appellant. Virgilius I. Aen. v. 258. et XI. v. 725. *Hominum sator atque Deorum*. Vide, si lubet, quae in lection. nostr. ad Fabell. novas fab. 4. ad v. 1. adnotavimus.

(17) *O nata*. Minerva enim filia Iovis habebatur, et quidem absque matre edita. Vid. Ovidius V. Fast. v. 231. et Senecam Agamemn. v. 356.

(18) *Sapiens dicere*. Diceris, vocaris sapiens. Habebatur enim Minerva etiam Dea sapientiae. Unde Cicero in Arateis v. 302. *doctissimam* dicit. *Minerva*, ait Paullus ex Festo, *dicta quod bene moneat. Hanc enim Pagani pro Sapientia ponebant*. Burmannus, Cuningamius, aliique legere malunt *dicère*, vocaberis, appellaberis, perinde ac tantum sapientiae nomen ex olivae electione proveniendum ei erat. Parum apte profecto.

(19) *Nisi utile est*. Nisi nos iuvat, nisi in usus nostros verti potest. Non abs re Petronius Satur. c. 1. *Et ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, qui nihil ex iis quae in usu habemus aut audiunt, aut vident*.

(20) *Stulta est gloria*. Inepta, vana, inanis. Nam non prodest, non iuvat.

(21) *Nihil agere*. Supple *oportere*. Scilicet, nil agendum faciendumve esse.

(22) *Nobis*. Nobis ipsis qui facimus.

(1) *Indignè ferens*. Quia iniquo animo ferret, quia se indigne habitum existimaret. Eleganter. Vid. Nepotem in Eumen. c.1. Svetonium in Domit. c. 12. etc.

(2) *Cantus Luscinii*. Tam suaves, tam gratos et multiplices. Latini quidem non raro *cantus* plurali numero, pro eo, quem nos vulgo *cantum* dicimus sumserunt; sed plerumque eo numero et varietatem modorum, et multiplicem modulationem notarunt, quod supra Fab. 18. ad v. 11. observavimus. Ad rem Plinius de ipso Luscinio loquens lib. X. c. 29. *Breviterque omnia tam parvulis in faucibus sunt, quae*

Illum esse cunctis avibus admirabilem (4),
Se derideri, simul ac vocem miserit (5).
Tunc, consolandi gratiâ (6), dixit Dea:
Sed formâ vincis (7), vincis magnitudine;
Nitor smaragdi (8) collo praefulget tuo (9),

Pi-

quae tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit. *Ac ne quis dubitet artis esse plures, singulis sunt* cantus, *nec iidem omnibus, sed sui cuique*. Passim penes Scriptores *luscinia* non *luscinius* usurpatur. Verum nemo nescit non pauca nomina Epiceni, quod vocant generis, modo in uno, modo in altero genere sumi. Tum Seneca Phaedri coaevus Epist. 76. *Homo habet vocem, sed quanto clariorem canes, acutiorem aquilae; graviorem tauri, dulciorem mobilioremque* Luscinii.

(3) *Sibi non tribuerit*. Iuno nempe. Nam Pavo in Iunonis tutela et patrocinio esse putabatur, ferebatque tot illos oculos Argi custodis Vaccae Iûs in caudam sui Pavonis translatos a Iunone fuisse: Ut Ovidius I. Met. v. 720. fabulatur. Unde Ovidius ipse I. Art. v. 627. Iuvenalis Satyr. VII. v. 32. Statius II. Silv. 4. v. 26., aliique eum *Iunoniam* avem appellarunt.

(4) *Cunctis avibus admirabilem*. Quod nempe eum ceterae omnes aves ob dulcedinem cantus admirarentur, eum magnopere suspicerent. Hoc sensu Valer. Maximus lib. II. cap. 10. n. 7. *Catonem admiratio fortis et sincerae vitae adeo* admirabilem *Senatui fecit*. Ita autem in Cod. Perott. ut antea in quibusdam veteribus Phaedri editionibus legebatur. Deinceps vero, Auctore Gudio, passim cunctis *auribus* editum est. Sed cunctis *avibus* est lectio genuina. Ut in Variant. nostris observavimus. Nec *e cunctis avibus*, quod Cuningamius et Sanadonius maluerunt, ad rem est. Corrumpit enim sententiam, quum Lucinius non hominibus, sed *avibus* admirabilis dicatur. Tum *avibus* dativus est non ablativus, ipsaque syntaxis est, ac Val. Maximus loc. cit. usurpavit.

(5) *Simul ac vocem miserit*. Vix voce emissa, vix aperto ad cantum ore. Eleganter. Ita Cicero pro Coel. cap. 22. Et pro Cluent. c. 88. Lucretius lib. III. v. 944. Et Noster in cet. vulg. lib. IV. fab. 10. v. 4.

(6) *Consolandi gratiâ*. Ut Pavonem solaretur Iuno dixit.

(7) *Sed formâ vincis*. Sed tu pulchritudine superas Luscinium, tu formâ multum Luscinio praestas. Seneca Epist. 77. *Valet, et Leones; formosus est, et Pavones*. V. Pavonis elogium apud Libanium Tom. II. Oper. p. 713. Edit. Motell.

(8) *Nitor Smaragdi*. Nitidus nempe et splendidus Smaragdi color, pulcherrimus color qualis in smaragdo nitet. *Smaragdus* lapis est pretiosus coloris viridissimi. *Smaragdos vero*, ait Plinius lib. XXXVII. cap. 5., *tanto libentius spectamus, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret*. Apposite

vero

Pictisque plumis (10) gemmeam caudam (11) explicas.
Mihi cur species, inquit (12), si vincor sono (13)?

10 Fa-

vero *nitor*. Nam gemmae et lapides pretiosi tamquam propriè *nitere* dicuntur. Mecaenas in Fragm. *Berylli* nitentes. Auctor Rhet. ad Herenn. lib. IV. c. 50. *Gemmae* nitore. Seneca Medea v. 573. *Gemmarum* nitor. Manilius lib. V. v. 404. *Lapidumque* nitore.

(9) *Collo praefulget tuo*. Clare fulget, splendide enitet. Virgilius VIII. Aen. v. 552.

... Quem fulva Leonis
Pellis obit totum, praefulgens unguibus aureis.

Gellius lib. V. cap. 5. *Inducebat Rex equitatum frenis, ephippiis, monilibus, phaleris* praefulgentem.

(10) *Pictisque plumis*. Cuius caudae pictae sunt plumae, explicas pictas plumas gemmeae caudae. *Pictus* hic est variis et pulcherrimis coloribus notatus interstinctus; Quo sensu Virgilius III. Georg. v. 246. *Volucres pictae*. Petronius Satur. c. 93. *Et* pictis *anas enotata* pennis. Et Horatius II. Satyr. 2. v. 26. de ipso Pavone:

Rara avis, et pictâ pandat spectacula caudâ.

Uti Ovidius II. Metam. v. 533. etc.

(11) *Gemmeam caudam*. Veluti geminis et pretiosis lapidibus interstinctam, inter cuius floridos et vividos colores tamquam pretiosissimi lapides interspersi nitent. Hac sententiâ Virgilius in Culic. v. 69. Manilius lib. V. v. 256. Plinius Caecil. I. Epist. 3. vocem usurparunt: Et de ipso Pavone Plinius alter lib. X. c. 20. Gemmantes *laudatus pavo expandit colores adverso maxime Sole, quia sic fulgentius radiant*. Similia Statius Silv. II. Carm. 4. v. 26. Et Martialis lib. XIII. Epigr. 70.

(12) *Mihi cur species, inquit*. Ad quid, cui bono data est mihi species? Vulgo legitur: *Quo mi, inquit, mutam speciem*. At *τὸ mutam* omnino spurium videtur, quod iam animadverterunt Critici doctissimi, ut in Variant. nostr. diximus. Nec *mi* pro *mihi* est ex Phaedri stilo. Ideo Perott. Codicis lectionem numeris tamen suis restitutam, quum perspicuitate, et simplicitate magis commendetur praetulimus. Brotierius pro vulgata lectione stare maluit: animadvertens Ovidium de Medic. Fac. scripsisse de ipso Pavone *formâ muta superbit avis*. Sed quid haec ad rem nostram? Aliud est *muta avis*, aliud *muta forma*. Tum ponamus *mutam formam* recte dici. Quid porro in Nostro *si vincor sono*? Nonne ineptâ prorsus ταυτολογια.

(13) *Si vincor sono*. Vocis nempe, cantus, si superor quoad cantum et vocem. Cicero in Somn. Scip. cap. 5. *Quis hic, inquam, quis est, qui complet aures meas tantus, et tam dulcis* sonus? II. de Nat. Deor. cap. 58. *Varietas* sonorum *intibiarum, nervorumque cantibus*.

(14) Fa-

Fatorum arbitrio (14) partes (15) sunt vobis (16) datae:
Tibi forma, vires aquilae (17), Luscinio melos (18);
Augurium corvo (19), laeva cornici omina (20):
Omnesque (21) propriis sunt contentae dotibus (22).
Noli

(14) *Fatorum arbitrio*. Ex praescripto Fatorum, ex placito et voluntate Fatorum, quae inexorabilia sunt, et mutare decreta nequeunt. Vid. Lib. I. Fab. 2. ad v. 1. et 13. Haec autem et sequentia Iuno ad Pavonem.

(15) *Partes*. Dotes, munera. Metaphora ab Histrionibus sumta, qui *partes* vocant, quae ipsi singillatim in Scena agunt, ubi huic patris, isti filii, illi mulieris, alteri servi partes tribuuntur. Quo sensu Cicero I. Offic. c. 28. *Nobis autem quum a natura constantiae, moderationis, temperantiae, verecundiae* partes *datae sint*. Pro Murena cap. 3. *Ego has* partes *lenitatis et misericordiae, quas me natura ipsa docuit semper egi libenter*.

(16) *Vobis*. Nempe avibus. Unde iterum fit supra v. 3. *avibus* esse lectionem genuinam.

(17) *Vires aquilae*. Ita quidem. Nam Aquila avium fortissima perhibetur. Plinius lib. X. Hist. c. 3. *Ex his* avibus, *quas novimus* aquilae *maximus honos, maxima et vis*.

(18) *Melos*. Cantus suavissimus et iucundissimus. Horatius III. Ode 4. v. 1.

. . . *Dic, age, tibiâ*
Regina longum, Calliope, melos.

Persius in Prolog. Satyr. v. 14.

Cantare credas Pegaseium melos.

(19) *Augurium corvo*. Corvus inter auspicatissimas aves habebatur a Romanis. Plinius lib. X. Hist. c. 12. *Corvi in auspiciis soli videntur intellectum habere significationum suarum*. Vid. et. Ciceronem II. de Div. cap. 5. Horatium III. Od. 27. v. 11. etc.

(20) *Laeva cornici omina*. Quod scilicet Cornix, avis ceterum inauspicata, ut Plinius loc. cit., appellat, si a laeva parte apparuisset, et significationes dedisset, eas fore ratas autumabant. Cicero I. de Div. cap. 39. *Cur a dextera corvus, a sinistra cornix faciat ratum*. Virgilius IX. Ecl. v. 15.

Ante sinistra *cava monuisset ab ilice* cornix.

Vid. et. Plautum Asin. II. 1. v. 12.

(21) *Omnesque*. Hae nempe aves. Ita in Cod. Perott. Vulgo *omnes quae*, et perperam.

(22) *Dotibus*. Muneribus, partibus, quae singulis a Fatis adsignatae fuerunt. Omnes sorte sua contentae sunt. Ita Codex Perott. Vulgo *vocibus*, quod ineptum. Et nescio quomodo Burmannus, qui in Comm. novo hanc lectionem tueri conatus est non viderit Auctorem partes seu dotes ipsas antea dictas hoc versiculo spectasse: et sententiam tum superiorum tum sequentium versiculorum unum *dotibus*, non *vocibus* suscipere.

(23) No-

Noli adfectare (23),quod tibi non est datum (24);
Delusa ne spes ad querelam recidat (25).

FABULA XXI.

Aesopus, et Garrulus.

Aesopus domino quum esset solus familia (1),
Parare cenam iussus est maturius (2):

Ignem

(23) *Noli adfectare*. Ne sollicite cupias, ne te angas expetendo, desiderando. *Affectare* est cum affectu cupere, ardenter captare. Ita Auctor Rhet. ad Heren. IV. cap. 31. Nepos in Attic. c.13. Virgilius IV. Georg. v. 561.

(24) *Non est datum*. A Fatis, a Naturâ.

(25) *Delusa ne spes ad querelam recidat*. Ex Auctoris stilo. Ne tu vana spe delusus iterum ad querelas revertatis. Ne tu audacter sperare pergens posse negata assequi, ad me iterum decurras, et ad questus et querelas recidas.

(1) *Quum esset solus familia*. Ut in MS. Perotr. Quum solus faceret totam familiam domini sui, quum tota domini familia uno eo servo constaret. *Familia* hîc, ut supra fab. 3. v. 26. est servorum coetus. Verum quidem est *familiam* unum servulum non facere, quemadmodum singillatim Cicero pro Caecin. c. 19. et Ulpianus Dig. L. Tit.16. Leg. 40. monuerunt: sed proinde loquendi modus argutior est et venustior, quum potissimum incredibilis ea aetate esset servorum numerus, ut vel tenuiores passim plures servos haberent. Simili pacto Propertius I. Eleg. 2. v. 23.

Tu mihi sola domus, *tu Cynthia sola* parentes.

Ovidius I. Metam. v. 355. *Nos duo* turba *sumus*. Et VIII. v.635.

Tota domus *duo sunt*.

Martialis lib. XII. Epigr. 89.

Qui (servus) solus *inopi praestat*, *et* facit turbam.

(2) *Maturius*. Tempestivius, aliquanto ante quam ceteri solerent. Nam quum solus esset ad parandam cenam, longioris temporis spatium ei opus erat. *Maturè*, unde *maturius*, proprie *fuit*, *quod neque citius est*, *neque serius*, *sed medium quiddam et temperatum est*: ut ait Nigidius apud Gellium lib.X. Noct. c. 11. Verum lapsu temporis significavit propere et cito. *Nunc*, inquit Gellius loc. cit., *significat* propere *et* cito . . . *et non iam quod non segnius*, *sed quod festinatius fit id fieri* mature *dicitur*. Quo sensu Cornelius Nepos in Attic. c. 1. Caesar IV. Bel. Gall. cap. 6. Svetonius in Aug. cap. 32. etc. vocem sumserunt.

(3) *Ignem*.

Ignem ergo quaerens (3), aliquot lustravit (4) domos,
Tandemque invenit, ubi lucernam (5) accenderet.
5 Tum circumeunti (6) fuerat quod iter longius,
Effecit brevius (7): Namque rectâ (8) per Forum (9),
Coepit redire (10). Quidam (11) e turba (12) garrulus:

Aeso-

(3) *Ignem ergo quaerens*. Ad parandam cenam, ad coquenda opsonia: Quod nempe domi extinctus esset. Unde Cicero I. Offic. cap. 18. *Ex quo sunt illa communia non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere*. Vid. et. Plautum Aulul. I. 2. v. 12.

(4) *Lustravit*. Circuivit. Proprie de eo qui aliquid petit, et quaerit. Quo sensu Petronius Satur. c. 11. *Postquam* lustravi *oculis totam Urbem*. Ovidius in Ibin v. 113.

Exul inops erres, alienaque limina lustres.

(5) *Lucernam*. *Lucernas* Romani appellabant vascula quaedam, ut plurimum fictilia, quibus infuso oleo, accensoque ellychnio lumen habebant, servabantque. Nomen hoc ipsâ potestate apud nos manet. Unde Petronius Satur. c. 22. Lucernae *humore defectae*. Plinius lib. XXXI. cap. 3. Lucerna *defectu olei restincta*. Haec autem satis in eos Interpretes, qui putant hic Phaedrum de cereis candelis, seu aliis huiusmodi loqui.

(6) *Circumeunti*. Qui huc illuc, quaerens ignem, circumiens sat longo intervallo ab aedibus domini recesserat.

(7) *Effecit brevius*. Nempe iter. Sat longum iter, quod fecerat, per viarum compendia brevius reddidit. Ita autem Caesar III. B. Civ. c. 102. V. B. Gall. c. 19. Ovidius VI. Met. v. 519.

(8) *Rectâ*. Recto tramite, rectâ viâ. Plautus Pseud. IV. 7. v. 37. *Hic quidem ad me* rectâ *habet* rectam viam. Cicero VIII. Verr. c. 61. *Sibi* rectâ *iter esse Romam*. Horatius I. Satyr. 5. v. 71. *Tendimus hinc* rectâ *Beneventum*.

(9) *Per forum*. Quia scilicet via compendiaria, quae ad aedes domini ferebat, per ipsum forum transibat. *Forus* autem hîc est publicus locus, quo Cives passim coeunt, vel ad negotia sua expedienda, vel oblectandi animi ergo, fabulandi, otiandi.

(10) *Coepit redire*. Recte *coepit*. Nam iter haud statim confectum est, et eo medio nonnulla fiunt, quibus interrumpitur. Hoc autem ideo animadvertendum, quod Hoogstratanus id dictum putaverit ex formula Phaedro familiarissima, de qua et nos diximus Lib. I. Fab. 23. ad v. 2. Quum hîc proprie et stricte sumatur.

(11) *Quidam*. Ut in Cod. Perott. Vulgo *et quidam*. Sed quid quaeso *τo et*? quae coniungit, quae copulat? Quin nihil est hic copulandum et coniungendum.

(12) *E turba*. Nempe otiosorum et garrulorum, qui in Foro tempus inepte terunt. Unde

Aesope, medio Sole (13), quid cum lumine (14)?
Hominem, inquit, quaero (15), et abiit festinans domum.
Hoc (16) si molestus ille (17) ad animum retulit (18),
Sensit profecto se hominem non visum (19)
Seni (20):
Intempestive (21) qui occupato (22) adluserit (23).

FA-

de proprie *turba*. Ita Seneca Ep. 82. *Unus e turba*. Svetonius in Caes. cap. 79. *Quidam e turba*.

(13) *Medio Sole*. Medio die, quum Sol medium orbem suum percucurrisset. Latine. Horatius lib. I. Ep. 5. v. 3. dixit *supremum solem*. Valer. Flaccus III. Arg. v. 482. *Phoebum medium*: et II. v. 75. *primum Phoebum*. Tum Martialis III. Epigr. 44.

Non dipsas medio *perusta* Sole.

Tum scilicet quum Aesopus revertebatur ad parandam cenam erat meridies. Quod est apposite fictum. Nam Veteres, ut plurimum, circa nonam decimamque diei horam cenabant: tribus nempe fere vel quatuor horis post meridiem. Cicero IX. Fam. Ep. 26. *Adcubueram* hora nona, *quum id literarum exemplum in codicillis exaravi*. Auctor Rhet. ad Heren. *Visit Triclinium stratum, vos huc* decima *venitote*. V. et. Martialem lib. IV. Ep. 8. de horis diei. Ergo tribus saltem vel quatuor horis ante tempus cenae parandus erat, et componendus cibus.

(14) *Quid cum lumine*. Quid *quaeris*, quod sumitur ex proximo. *Lumen* est lucerna accensa. Quo sensu Cicero de Senect. c. 11. I. de Div. c. 36. Ovidius XIX. Epist. Her. v. 151. vocem sumunt.

(15) *Hominem, inquit, quaero*. Nempe Aesopus. Diogenes Laertius in vit. Philosoph. lib. VI. de Diogene Cynico loquens ex versione Ambrosii Camaldulensis: *Lucernam*, ait, *interdiu accendens*, hominem, *aiebat*, quaero.

(16) *Hoc*. Hoc dictum, hoc effatum: *Quaero* nempe *hominem*.

(17) *Molestus ille*. Ille garrulus, qui aliis molestiam creabat.

(18) *Ad animum retulit*. In mentem, in examen revocavit, si vim et potestatem eius dicti ponderavit, examinavit.

(19) *Se hominem non visum*. Ita quidem. Nam si eum hominem putasset Aesopus, minime adhuc dixisset *hominem quaero*.

(20) *Seni*. Aesopo. Vid. Lib. I. Fab. 8. ad v. 3.

(21) *Intempestive*. Innopportune, extra tempus. Tum iocandi tempus non erat.

(22) *Occupato*. Nempe Aesopo. *Occupatus* hoc sensu dicitur, qui alicui operi intentus est, qui quidpiam intente agit, tamquam eum opus occupasset et comprehendisset. Catullus Carm. XV. v. 6.

. . . Nihil veremur
Istos qui in platea modo huc modo illuc

In

FABULA XXII.

Vulpes, et Draco (*).

In Avarum.

Abiturus (1) illuc (2), quo priores (3) abierunt;
Quid (4) mente caeca (5) miserum torques spiritum (6)?
Tibi

In re praetereunt sua occupati.
Ita Cicero l. Tusc. c. 3. X. ad Attic. Ep. 9.

(2) *Adluserit.* Iocari, ludere cum eo voluerit. Iocum, dictum in eum iacere. Hoc sensu Terentius Eun. III. 1. v. 34.

Forte habui scortum, coepit ad id alludere,
Et me irridere.

Virgilius VII. Aen. v. 116.

Heu etiam mensas consumimus, inquit, Iülus,
Nec plura adludens.

V. et. Gellium lib. XIX. Noct. cap. 8.

(*) Fabellam hanc in omnibus editis Phaedri libris in duas partes distractam et inversam, Perottini Codicis fidem secuti, ordine suo dispositam hîc exhibemus. Nec id facere temere visum est. Vide quae hac de re in Variant. innuimus, et uberius Dissertat. I. in Codicem §. XI. diximus.

(1) *Abiturus.* Mox abiturus, iam iam abiturus. Futurum quod vocant proximum. Secus versiculi sententia inepta est, perinde ac et ipse Phaedrus, et ceteri omnes eodem pacto non fuissent abituri. Vid. Lib. I. Fab. 4. ad v. 6.

(2) *Illuc.* In eum locum. Nempe ad Inferos, ad Orcum, ut putabant. Quo plane sensu Plautus Casin. Prolog. v. 19. dixit:

Qui nunc abierunt hinc in communem locum.

Et Catullus Carm. III. v. 11.

Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, *unde negant redire quemquam.*

(3) *Priores.* Maiores nostri, qui ante nos vixerunt, qui prius fuerunt, et extincti sunt. Hoc sensu Plinius lib. VIII. Hist. c. 45. lib. XVIII. c. 28. Ovidius X. Met. v. 218. Plinius alter III. Epist. 4. Valerius Flaccus IV. Arg. 351. vocem sumserunt.

(4) *Quid.* Ad quid, cur, cui bono.

(5) *Mente caeca.* Mente sordido affectu obcoecatâ, qui tua vera commoda non vides, nec genuina bona discernis. Demens, stultus: Ut Horatius ait II. Satyr. 3. v. 157. *Quid avarus? stultus et insanus*: et v. 106. *delirus et amens.* V. et. Iuvenalem Satyr. 12. v. 50.

(6) *Miserum torques spiritum.* Miserrime angis, excrucias tuum animum, et ipsum intimum vitae fontem, quo spiras et vivis, quodammodo corrumpis. Vide su-

Tibi dico (7), Avare, gaudium heredis tui (8),
Qui ture Superos (9), ipsum te fraudas cibo (10),
Qui tristis (11) audis musicum citharae sonum (12),
Quem

supra Fab. 3. ad v. 7. et Fab. 16. ad v. 7.

(7) *Tibi dico*. Elegans indignationis formula, qua utimur ubi in aliquem invehimur, ut diligentius verbis, minisque nostris attendat. Terentius Andr. IV. 5. v. 23. Tibi *ego* dico, *an non?* Et I. 2. v. 25. *Irrides? nil me fallis*: dico tibi. *Ne temere facias*. Tum Ovidius XX. Epist. Her. v. 153.

Alterius thalamo tibi nos tibi dicimus *exi*.

(8) *Gaudium heredis tui*. Ita quidem. Non abs re Horatius II. Satyr. 2. v. 142.

Pauper (hic avarus) *Opimius argenti positi intus et auri,*
Qui Veientanum festis potare diebus
Campanâ solitus trullâ, vappamque profestis,
Quondam lethargo grandi est oppressus, ut heres
Iam circum loculos et claves laetus ovansque
Curreret.

(9) *Qui ture Superos*. Fraudas. Qui eo devenis ut impius in Deos ob tenuissimum sumtum fias, quumque iis omnia debeantur, tu vel pauculorum turis granorum honore defraudas. In colendis quidem ture diis, minimus plane erat sumtus. et satis erant paucula turis grana, quae duobus tribusque digitis caperentur. Vid. Ovidium Fast. II. v. 573. Lactantium lib. IV. Instr. cap. 19. Et S. Hieronymum Epist. ad Heliod. Praeterea nulla erat tum erga Deos ceremonia, nullum officium, quod turis honore careret. Ideoque qui tus Diis negabat, omnem eis pietatem et religionem negabat. Arnobius lib. VII. p. 291. *Sine ture religionis officium claudicat, necessariaque vis eius est, quae propitios faciat, mitesque hominibus Deos*.

(10) *Ipsum te fraudas cibo*. Nec te debito cibo exples, ipsi tibi denegas, subtrahis opportunum cibum. Apposite *fraudas*. Sic Fab. 17. v. 8. *Fraudatque natos lacte*. Plautus Aulul. IV. 9. v. 15.

. . . *Egomet me* defraudavi,
Animumque meum, geniumque meum.

Vid. et. Terent. Phorm. I. 1. v. 9. Livium lib. II. c. 10. Iuvenal. Satyr. XV. v. 125. et Horat. Satyr. cit. v. 152. Hoogstratanus, Brotierius, aliique non pauci pro *ipsum te*, quae Pithoeani, Remensis, et Perottini Codicis lectio est, ediderunt *ipse te*: Clamante illo hoc esse venustius, et ex Tulliana elegantia. Sed hoc falsum est. Nam neque venustum et elegans *ipsum te*. Quin hic *qui ipsum te* certe est satius, quam *qui ipse te*. Tum quod *ipse* referretur inepte ad *qui*, perinde ac sententia esset: qui idem, qui etiam. Tum opportunius est hic maiori cum evidentia, qui patitur, quam qui agit significare.

(11) *Tristis*. Moestus, tristi animo. Nam quum sordido lucro perpetuo sis intentus, numquam

Quem tibiarum macerat (13) iucunditas (14);
Opsoniorum pretia (15) cui gemitum exprimunt (16):
Qui dum quadrante adaugeas patrimonia (17),
Coe-

quam hilaritati vacas, numquam usque ad te iucunditas penetrat, et ipsos suavissimos cantus moerenti corde et superciliis contractis audis. Hoogstratanus interpretatur: Qui doles citharae sonis aliquid impendi. Perperam. Nam nulla umquam necessitas fuit impendendi in citharoedos. Et certe qui fraudat Deos ture, se cibo, multo citius citharae sono se fraudat, etsi quodammodo necessario. Sed Auctor de quopiam citharae sono loquitur, quem Avarus, vel nullo sumtu suo, exaudiret, quod magis etiam appositum est et argutum.

(12) *Musicum*. Per peritos musicorum artifices pulsatum, ex musices regulis redditum: et proinde egregium, suavem, iucundum.

(13) *Macerat*. Macrum et macilentum reddit: non quod in tibicines aliquid impendendum ei erat, ut iterum hic autumat Hoogstratanus, sed quod ei in negotiis intento ingratus esset ille sonus, importunus, odiosus, proinde tristior eo fiebat, et macilentior. Plautus Capt. III. 4. v. 22.

Ne vereri, multos iste morbus homines macerat.

(14) *Iucunditas*. Nempe soni. Quintilianus Proem. lib.VI. *Vocis iucunditas et claritas*.

(15) *Opsoniorum pretia*. Quia omnia cara putat, et pretii enormis et maximi. Similia Avarus apud Plautum Aulul. II. 5. v.3. quem locum ad Fab. 7. v. 2. adduximus.

(16) *Gemitum exprimunt*. Prae dolore et angore. Lucretius III. v. 494. Exprimitur *porro gemitus*. Plinius Caecil. IV. Epist.7. *Risum magis* exprimunt, *quam* gemitum.

(17) *Qui dum quadrante adaugeas patrimonia*. Qui dummodo vel uno quadrante augere possis ampla patrimonia tua, qui dum ingentibus tuis opibus vel minutum unum quadrantem adiicias. Apposite *quadrante* singulari numero, quo extrema avaritia notaretur. Vid. Horatium II. Satyr. 3. v. 92. et Martialem X. Epigr. 82. Tum *patrimonia* apposite, quod plurali numero. Nam *patrimonium* simpliciter fortunae sunt a patre relictae, quae tenues esse possunt: et ideo Avarus quodammodo ignoscendus videretur. Sed *patrimonia* sunt ingentes divitiae. Quo sensu Iuvenalis Satyr. I. v. 38. Et X. v. 13. aliique vocem usurparunt. *Adaugeas* pro *augeas* Perott. Cod. rectum. Plautus Stich. II. 2. v. 62. *Hercules decumam esse adauctam tibi, quam vovi, gratulor*. Vulgo legitur:

Qui dum quadrantes aggeras patrimonio.

Sed nemo, ut puto, hunc versiculum, versiculo a nobis ex MS. proposito praeferet. Ille enim ex tritissimo adagio fit, ut res postulabat, ille sententiam prorsus opportunam, et ceteris omnibus congruentiorem: Iste vero frigidam et minus opportunam. Quis enim post ea omnia, quae tam hyperbolice in Avarum congessit

16 Au-

Coelum fatigas sordido periurio (18):
Qui circumcidis omnem impensam (19) funeri (20),
Libitina (21) ne quid de tuo (22) faciat lucri (23):

Fa-

Auctor ab eo scriptum putaverit, quod Avarus peieret, ut patrimonium suum forte tenue et leve pluribus nummis adaugeat? Vid. et. Var. nostras.

(18) *Coelum fatigas sordido periurio*. Sensus est. Tu tot periuria in Deos ingeris, toties periuriis Deos petis, et oneras, ut eorum periuriorum numero, gravitate, et veluti pondere Coelum quodammodo premas et obruas. Simili fere pacto Virgilius IX. Aen. v. 24. dixit onerare *votis* aethera. *Fatigare* autem saepe est opprimere, obruere, et pondere premere, ut apud Horatium IV. Ode 14. v. 18. Ovidium V. Met. v. 485. etc. Interpretes passim *fatigare* accipiunt hic pro commovere, sollicitare in poenam et vindictam. Sed quid hic ista sententia? Ut congruit, ut convenit? Et quid erat amplius quo Dii Avarum punirent, quum tanta eum pati sinerent, et tam miserabili avaritia torqueri? Praeterea ut *fatigare Coelum* nostro sensu proprie dicitur, ita isto improprie. *Coelum* quidem hic sunt ipsi Dii, ut apud Petronium Satur. c. 44. *Nemo coelum coelum putat . . . nemo Iovem pili facit*, et apud alios plures. Verum et spectat quodammodo Deorum sedem et domicilium, et Deorum multitudinem et societatem veluti domo una manentem. Periurium porro hic dicitur sordidum, quod ob avaritiam, et sordidissimum lucrum fieret. Quo sensu Cicero I. Offic. c. 42. II. c. 6. voce usus est. Temere ergo Critici huius versiculi lectionem sollicitarunt. Vide Variant. nostras.

(19) *Circumcidis omnem impensam*. Qui quidquid aliquo pacto sumtuosum vides removes, impensam avarissime examinando semper minorem facis, eamque per omnes veluti angulos et latera inspiciendo, circumeundo quodammodo caedis et resecas. Livius lib. XXXII. c. 27. *Sumtus circumcisi et sublati*. Seneca Cons. ad Helv. c. XII. Circumcisae *sunt peregrinantium sarcinae*. Plinius Caec. I. Ep. 20. *Orationes* circumcisae *et breves*.

(20) *Funeri*. Ut in Cod. Petron. Ipsi nempe tuo funeri, vel quum iam mortuus es, videri non vis liberalis. Vulgo *funeris*. Sed illud genuinum.

(21) *Libitina*. *Libitina* proprie Romanis erat Dea quae morientibus, et funeribus praeesset. Sed quoniam in eius templo omnia quae ad funus faciebant venalia prostabant, et magnus inde quaestus ministris seu libitinariis parabatur, cuius pars forte ipsi Libitinae adtribuebatur. Ideo qui moriebantur dicebantur facere quaestum lucrumque *Libitinae*. Unde Horatius II. Satyr. 6. v. 19. Libitinae *quaestus acerbae*. Idque ea etiam de caussa quod ipsa Libitinariorum societas et corpus absolute *Libitina* appellabatur. Livius lib. XL. c. 19. *Pestilentia in Urbe tanta erat, ut Libitina vix sufficeret*. Svetonius in Neron. c. 39. *Pesti-*

Fabellae nostrae paullum aures accommoda (24).
Vulpes cubile (25) fodiens, dum terram eruit (26),
Agitque plures altius cuniculos (27),
Pervenit ad Draconis (28) speluncam intimam (29),
Custodiebat qui thesauros abditos (30).

Hunc

stilentiâ unius autumni triginta funerum millia in rationem Libitinae *venerunt*.

(22) *De tuo*. Vid. Lib. I. Fab. 29. ad v. 10.

(23) *Lucri*. Quid lucri, aliquod lucrum. Eleganter. Sic Terentius Phorm. I. 2. v. 11. *Quid mihi* lucri *est te fallere?* Vulgo *lucrum*. Sed lectio Cod. Perotr. genuina est.

(24) *Fabellae nostrae paullum aures accommoda*. In Cod. Perotrino pro *paullum* est *parum*. Quod metrum non servat. Quam facile autem alterum in alterum immutari potuisset, nemo non videt. Versiculus vero totus in vulgatis Phaedri libris non apparet, sed ex abruptâ, et inversâ Fabellâ nullo negotio excidere potuit. Certe quidem ordine et iuncturâ Fabulae spectato non opportunus modo videtur, sed plane necessarius. Tum cui rei tota ista in Avarum apostrophe inniteretur? Quid toties eum vocaret Auctor, nisi, ut ad Fabellam suam audiendam invitaret. Tandem versiculus egregius est, et Phaedro dignissimus.

(25) *Cubile*. Suum, fodiens sibi cubile. Vide supra Fab. 5. ad v. 11.

(26) *Terram eruit*. Proprie. Ovidius IV. Fast. v. 404.

Tum primum soles eruta *vidit humus*.

Seneca II. Quaest. nat. c. 20. *Eruentibus* terram *occurrit humor*.

(27) *Cuniculos*. *Cuniculi* sunt profundae quaedam foveae, quae sub terra latenter aguntur: Dictos putant a cuniculis animalibus, quae subterraneas quasdam foveas sibi parant. Martialis XIII. Epigr. 60.

Gaudet in effossis habitare cuniculus *antris*,
Monstravit tacitas hostibus ille vias.

Ita etiam Vegetius lib. IV. c. 24. et Festus in voce. *Cuniculi* autem propriê *agi* dicuntur: ut ex Cicerone III. Offic. c. 23. Caesare III. B. Gall. c. 21. Livio V. c. 19. etc. patet.

(28) *Draconis*. *Dracones* dicuntur magni et alati serpentes.

(29) *Speluncam intimam*. Intime positam, quae in intimis terrae visceribus esset. Nam plures et altos cuniculos vulpes egerat. Ita Cicero VI. Verr. c. 45. *In eo sacrario* intimo *fuit signum Cereris perantiquum*. Haec autem lectio est Codicis Perott. Vulgo *ultimam*, quod minus elegans est, et hic minus probatum.

(30) *Custodiebat, qui thesauros abditos*. Qui Draco magnam argenti, auri, et pretiosarum rerum vim ne quis sumeret tuebarur. Veteres, ut modo apud nos rudes et imperiti, credebant multum auri et argenti, multasque res pretiosas latere sub terra, quae tamen in magnorum Draconum custodiâ es-

sent

Hunc simul (31) adspexit: Oro (32), ut imprudentiae (33)
Des primum veniam, deinde si pulchrê vides (34),
Quam (35) non conveniens aurum sit vitae meae (36),
Respondeas clementer (37): Quem fructum capis (38)
Hoc ex labore, quodve tantum est praemium (39),
Ut

pent posita. Nec Graeci aliâ ex caussa *dracones* sic appellasse visi sunt, nisi quod putarent eos in thesauris tuendis perpetuo vigilare. Unde Ovid. VII. Met. v. 149. Valer. Flacc. lib. VII. Arg. v. 535. et alii ex Latinis Scriptoribus *pervigiles* eos dixerunt. V. et. Macrob. I. Sat. c. 20. *Dracones*, ait Festus, *dicti ἀπὸ τοῦ δρακεῖν, quod est videre: clarissimam enim dicuntur habere oculorum aciem: qua de caussa incubantes eos thesauris custodiae caussa finxerunt Antiqui*.

(31) *Hunc simul*. Hunc Draconem simul ac vidit, conspicata est Vulpes.

(32) *Oro*. Apposite. Nam ab eo magnopere timebat. *Oro* autem est plusquam *rogo*, et est fere obtestor, obsecro. Haud abs re Terentius Heaut. IV. 1. v. 20. *Primum te hoc oro, ne quid credas me adversus edictum tuum facere ausam*.

(33) *Imprudentiae*. Quod nempe non datâ operâ, non certo animi consilio, sed inconsiderante, imprudenter in eius speluncam penetrârit. *Imprudentiae partes*, ait Cicero I. de Invent. c. 27., *sunt inscientia, casus, necessitas*. Vid. et. de Harusp. Resp. c. 17.

(34) *Si pulchrê vides*. Probe, bene intelligis. Sic in cet. vulg. lib. V. fab. 10. v. 10. *Hoc cur, Philete, scripserim pulchrê vides*: et ita saepe. Hic autem plane apposite, ut benevolum sibi Draconem redderet.

(35) *Quam*. Quantum.

(36) *Vitae meae*. *Vita* hîc est modus, ratio vivendi, cuiusque naturae conveniens. Cicero pro Rosc. Amer. c. 17. *Vita rustica honestissima, atque suavissima*. Et cap. 23. *Serpit enim nescio quomodo per omnium* vitas *amicitia*. Sensus autem est. Tu siquidem egregiè vides me non egere isto auro, istisque gazis, quibus incubas, eaque vitae meae minime convenire. Ideoque intelligis me non posse interrogare te, ut aliquid de istis petam et sumam.

(37) *Respondeas clementer*. Benigne, absque irâ, comiter interrogationi meae responde.

(38) *Quem fructum capis*. Quam utilitatem, quod emolumentum, quae commoda. Nepos in Eumen. c. 11. *Qui propter odium fructum oculis capere vellent*. Cicero de Senect. c. 18. *Honeste acta superior aetas fructus capit utilitatis extremos*. Pro Coelio fin. Fructus *uberes et diuturnos* capere.

(39) *Praemium*. Quod nempe
tibi

Ut careas somno (40), et aevum (41) in tenebris exigas (42)?
Nullum, inquit ille (43): Verum hoc (44) a summo mihi
Iove (45) attributum est (46). Ergo nec sumis tibi (47),
Nec ulli donas quidquam? Sic Fatis placet (48).
Nolo irascaris (49) libere si dixero:
Dis est iratis natus (50), qui est similis tibi (51).

FA-

tibi tribuatur ob tam grave et molestum officium. Proprie. Nam praemium merces est, quae illi soli datur, qui aliquam magnam et difficilem operam praestitit.

(40) *Ut careas somno.* Scilicet. Nam custodia certe a dormientibus non praestatur.

(41) *Aevum.* Aetatem tuam, totam vitam tuam. Apposite. Nam *aevum* est aetas longa, vel etiam aeternitas. *Aevum*, ait Varro VII. L. L. c. 2., *ab aetate omnium annorum.* Servius ad Virgil. VI. Aen. v. 764. Aevum *propriè aeternitatis est.* Vide et. Censorin. de Die natal. cap. XVI. Horatium I. Epist. 18. v. 97.

(42) *Exigas.* Degas, consumas. Eleganter. Vid. Terentium Heaut. II. 3. v. 39. Virgilium VIII. Aen. v. 776. Ovidium XII. Met. v. 208.

(43) *Nullum, inquit, ille.* Nullum praemium, nullum commodum inde capio, dixit Draco.

(44) *Hoc.* Ex Phaedri stilo. Hic labor, haec custodia, haec cura.

(45) *A summo Iove.* Maximo. Sic et in cet. vulg. IV. fab. 17. v. 21. Ut Virgilius I. Aen. v. 669. V. v. 553. aliique.

(46) *Attributum est.* Assignatum, impositum, tamquam proprium mihi munus. Hoc sensu Caesar VII. B. Gall. c. 81. *Cuique erat locus* attributus. Livius XXVI. c. 49. Attribuere *alicui curam alicuius rei.*

(47) *Ergo nec sumis tibi.* Verba Vulpis ad Draconem. Ergo ex tantis istis gazis nil plane sumis, accipis in usus tuos, ut eo utaris? *Sumo* hoc sensu usurpatur etiam à Terentio Phorm. IV. 3. v. 74. Adelph. V. 9. v. 20. etc.

(48) *Sic Fatis placet.* Verba Draconis ad Vulpem. Haec est voluntas Fatorum. Vid. Fab. 20. v. 10.

(49) *Nolo irascaris.* Haec Vulpes ad Draconem. Formula excusationis, qua comiter et urbane petimus, ut quae dicenda liberius a nobis sunt, aequi bonique consulantur. Similiter fere Svetonius in Tiber. cap. 29. *Ignoscas, rogo, si quid adversum te liberius, sicut Senator, dixero.*

(50) *Dis est iratis natus.* Diis inimicis, indignatis ille in lucem emissus est. Dicendi formula, qua alicuius miseriam et infelicitatem significabant. Nam ut bona vel adversa fortuna ex favore vel odio Deorum pende-

re

FABULA XXIII.

Auctor in Lividos et Detractores.

Quid iudicare cogitet (1) Livor (2) modo (3),
Licet dissimulet, pulchre tamen intelligo:
Quidquid putabit esse (4) dignum memoriâ (5),

Aeso-

re putabant: Sic qui natus fuerat diis iratis, malo fato, quod dicebant, natus fuerat, et ad perpetuam quamdam miseriam destinatus. Vid. Nostrum in ceter. vulg. lib. III. fab. 20. Horatius autem II. Satyr. 3. v. 8. *Iratis natus paries dis*. Seneca in Apocol. *Videte corpus eius* Diis iratis natum. Similia Iuvenalis Satyr. X. v. 129. Et Noster hic in Prolog. v. 16.

(51) *Qui est similis tibi*: Avarus scilicet, de quo paullo superius locutus est, et cui Fabellam aptat Auctor eum Draconi comparans. Simili pacto Martialis XII. Epigr. 53. etiam in Avarum:

Nummi quum tibi sint opesque tantae,
Quantas civis habet, paterve rarus
Largiris nihil incubasque gazae,
Ut magnus Draco, quem canunt Poetae
Custodem Scythici fuisse luci:

Aurei nempe velleris, quod in eo luco custodiri ferebant. Inde autem etiam fit hunc non vulgatum esse genuinum Fabellae ordinem. Tum enim nullo pacto agnosceretur, quem Auctor hic spectaverit, nisi apostrophe in Avarum praecesserit.

(1) *Iudicare cogitet*. De Fabellis nempe meis, de meo Fabularum opere. *Iudicare*, iudicium ferre, quid de eis sentiant prodere.

(2) *Livor*. Ex Auctoris stilo. Lividi homines, invidi. Vid. Prolog. v. 10.

(3) *Modo*. Nunc, praesenti tempore cogitet. Interpretes passim vocem hanc non τῳ *cogitet*, sed τῳ *dissimulet* copulant. Sed nulla ratione. Nam et cogitatio et dissimulatio eodem fiunt tempore. Et propterea quum *cogitet* praecedat, et secus versiculus parum numerose abrumpatur, potior est interpunctio quam nos recepimus.

(4) *Putabit esse*. In nostris Fabellarum libellis.

(5) *Dignum memoriâ*. Dignum, quo homines meminerint, eorum et posterorum memoriâ dignum. Ita Nepos in Timoth. c. 4. *Dignius* memoriâ. In Epamin. c. 1. *Res* dignae memoriâ. Et Noster in ceter. vulg. Prolog. lib. V. v. 19.

Dignumque *longa iudicatis* memoriâ.

Vulgo *dignum memoriae*. Sed Perottini Codicis lectio ex Phaedri stilo est. Vide Variant. nostras.

(6) *Aso-*

Aesopi dicet (6), si quid minus adriserit (7);
A me contendet fictum (8) quovis pignore (9).
Quem (10) volo refelli iam nunc (11) responso meo:
Sive hoc ineptum (12), sive laudandum est opus (13);
Invenit ille (14), nostra perfecit manus (15).
Sed exsequamur (16) coeptum propositi ordinem (17).

FA-

(6) *Aesopi dicet*. Aesopi nempe opus.

(7) *Si quid minus adriserit*. Minus placuerit, minus gratum erit. Cicero XIII. ad Attic. Epist. 21. *Illud valde* mihi adriserat. Sic Horatius I. Satyr. 10. v. 86. etc.

(8) *A me fictum*. Non ab Aesopo, sed a me compositum, inventum, conscriptum.

(9) *Contendet quovis pignore*. Omni animi studio, obstinatissime affirmabit, aliisque persuadere obfirmate conabitur. Ex vulgato adagio. Ita Catullus Carm. 44 Quovis *Sabinum* pignore *esse* contendunt.

(10) *Quem*. Livorem, quos invidos homines.

(11) *Iam nunc*. Ab isto tempore, antequam iudicet, et sententiam suam proferat. Cicero I. Verr. c. 13. *Quae quum cogito* iam nunc *timeo*. Et paullo post: Iam nunc *mente et cogitatione perspicio, quae tum studia hominum, qui concursus futuri sunt*.

(12) *Ineptum*. Futile, malum, nullius pretii, et utilitatis.

(13) *Opus*. Fabellarum et Apologorum, quos scribo et edo.

(14) *Invenit ille*. Aesopus, ut putat Phaedrus, invenit primus materiam Fabellarum.

(15) *Nostra perfecit manus*. Nos vero Fabellarum opus adhuc rude et imperfectum absolvimus, nos perfecimus et consummavimus. Ita et Prolog. lib. I. v. 1.

Aesopus Auctor quam materiam reperit,
Hanc ego polivi versibus senariis.

Metaphora autem ex opificibus desumta est, qui *manu* opera sua faciunt. Vid. Virgilium I. Aen. v. 459. Petronium Satur. c. 83. Martialem IV. Epigr. 39. Statium I. Silv. 3. v. 47.

(6) *Exsequamur*. Perficiamus, absolvamus. Cicero pro Rabir. Posth. c. 2. *Id est difficile, quod quum macra spe sit ingressus, id non* exsequi *usque ad extremum*. Livius XXX. c. 4. *Incoepta* exsequi.

(17) *Coeptum propositi ordinem*. Exsequamur nempe ordine ex ordine, coeptum a nobis propositum. Absolvamus Aesopias Fabellas, ut nobis propositum ab initio fuit.

(1) Il-

FABULA XXIV.

Simonides naufragus.

Homo doctus (1) secum (2) semper divitias habet.
Simonides, qui scripsit egregium melos (3),
Quo

(1) *Homo doctus.* Homo literatus, literis instructus, multa scientia praeditus. Quo sensu Cicero I. de Orat. c. 22. *Graeculus otiosus et loquax, et fortasse* doctus *et eruditus.* Et de Clar. Orat. c. 30. Doctus *vir et graecis literis eruditus.*

(2) *Secum.* Vulgo in Phaedri libris legitur *in se.* Quae vero nos ad hanc levem emendationem inducendam impulerint haec sunt. Primum quod *divitiae* etiam ad bona animi, et scientiarum referantur, ideoque *habere in se divitias* ambiguitatem quamdam parere posset. Hîc autem sunt opes, facultates, fortunae. Secundo divitiae et opes non in nobis, sed nobiscum sunt; et nemo ullus dicere potest habere eas *in se*, sed omnino *secum.* Nec graecum illud dictum: nempe ο σοφος εν αυτω περιφερει την ουσιαν: obiici potest. Nam εν saepe est *cum*, quam potestatem certiorem etiam hîc facit τό περιφερει. Neque illud Plauti in Amph. II. 2. v. 21. *Virtus omnia in se habet.* Nam totus locus huiusmodi est:

... Virtus praemium est optimum:
Virtus omnibus rebus anteit profecto.
Libertas, salus, vita, res, parentes,
Patria, et prognati tutantur servantur.
Virtus omnia in se habet; omnia adsunt bona, quem penes est virtus.

Quin τo *penes* est ipsum *secum.* Tertio quum Auctor in Fabellâ veluti ex receptâ formulâ v. 14. dixerit: Mecum *mea sunt cuncta*: et v. 27. *Mea* mecum *esse cuncta*: perspicue colligitur superius non *in se*, sed *secum* scriptum fuisse. Quarto, quum ea quae in nobis sunt semper habeamus, quae vero nobiscum non semper, ideoque parum apte scribatur quidpiam aliquem *semper in se* habere, iure colligitur Auctorem non *in se semper*, sed *secum semper* scripsisse. Tandem Perottus, qui aliquando in argumentis verba Phaedri omnino exscripsit haec in Indice suo prodidit: *Homo doctrinae praeditus omnia* secum *habet.*

(3) *Simonides qui scripsit egregium melos.* Ille nempe Simonides, qui conscripsit egregias Odas, eximia Lyrica carmina. Nam *mele* dicebant proprie Graeci carmen lyricum. Unde Horatius in Lyricis III. Od. 4. v. 1. *Dic, Calliope melos.* Fuerunt aq-

Quo paupertatem sustineret facilius (4);
Circumire coepit urbes Asiae (5) nobiles (6),
Mercede accepta (7), laudem Victorum canens (8).
Hoc

autem plures Simonides, ut ex Suida, atque aliis patet. Unde Auctor Simonidem suum ex qualitate carminum, et ex peculiari professione distinguere debuit. Revera autem is suavissimus fuit Poeta Lyricus, ut ex Catullo Carm. XXXVIII. v. 8. Horatio II. Od. 1. v. 38. IV. Od. 9. v. 6. Quintiliano lib. X. c. 1. Ausonio Carm. XIV. in Profess. aliisque pluribus constat: dictus *Melicus*, ut Plinius lib. VII. c. 24. et 56. tradit, et *μελοποιὸς* graece, ut apud Suidam, Stobaeum Serm. 2. Themistium Orat. I. atque alios legitur. Quo *melos* illud Auctoris spectat.

(4) *Quo paupertatem sustineret facilius*. Ut paupertatis mala aequiori modo ferret: ut aliquo pacto paupertatem suam levaret. Apposite Horatius de se II. Epist. 2. v. 49.

Unde simul primum me dimisere Philippi,
Decisis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris et fundi, paupertas *impulit audax*
Ut versus facerem.

(5) *Asiae*. Minoris nempe, quam modo dicimus. Haec Regio magna ex parte Graecis hominibus repleta erat, vel qui graecos mores, vel saltem Graecas literas susceperant. Absolute autem *Asia* diutissime appellata est: Nam ea primum vera Asia fuit.

(7) *Mercede acceptâ*. Non gratis, non laudis et gloriae gratia, sed mercedem et pretium accipiens: pro mercede, pro pretio. Ita omnino Sallustius in B. Iugurth. c. 85. *Quae ante vestro beneficio* gratuito *faciebam, ea uti* acceptâ mercede *deseram non est consilium*. Interpretes, veluti Schefferus, Rigaltius, Burmannus, Desbillonius autumant *acceptâ mercede*, non esse *accipiens mercedem*, sed mercede accepta antequam caneret laudem, priusquam carmen conscripsisset. Sed parum recte. Id enim nullo pacto sententia postulat, ut palam est. Nec si id fecisset Simonides erat hic memorandi locus. Sed quis dixerit fecisse, etsi eum vulgo ut avarum insimulent? Pauper et inops qui patriam suam et domum data opera relinquebat, ut victum sibi pararet, poteratne imponere tam duram conditionem Victoribus, vel hi tam facile recipere poterant? Quin ex alia Fabella, quae mox sequitur num. 26. apparet fraudatum etiam aliquando a Victoribus fuisse, quod nempe, ut semper penes omnes factum est, post opus mercedem peteret. Sed nec adhuc *τὸ acceptâ* placebat. Heinsius legere maluit *pacta*, et Hoogstratanus, et alii plures sic ediderunt. Temere. Nam nec id iterum sententia postulat. Simonides non circuibat, ut mercedem pacisceretur, sed ut mercedem acciperet, et certe absque pactis et conventis plura saepe habuit, ut ex Aeliano lib. IX. de Var. Histor. c. 1. patet. Igitur *acceptâ mercede*, quod omnium Codicum est,

Hoc genere quaestus (9) postquam locuples factus est,
Redire (10) in patriam voluit cursu pelagio (11):
[Erat autem natus, ut aiunt, in Cea Insula (12)].
Ascendit navem (13), quam tempestas horrida (14),
Simul et vetustas (15) medio dissolvit (16) mari.
Hi (17) zonas (18), illi res pretiosas (19) colligunt,
Sub-

est, genuina dubio procul est lectio.

(8) *Laudem Victorum canens*. Ut componeret, ut conscriberet laudationem eorum, qui in ludis solemnibus Victores evaserant. Proprie *canens*, et apposite. Nam de carminibus agitur, et notum est *canere* poetarum esse veluti peculiare. *Laus* hic est laudatio, carmen laudativum, quod Graeci εγκωμιον dicerent. Quo sensu Cicero pro Muren. c. 16. *Celebratus* laude *illustri*. Statius VIII. Theb. v. 552. *Canendus longa* laude. Ita Quintilianus III. c. 4. et 7. II. c. 4. et 15. *Victores* autem sunt per excellentiam Victores Graecorum certaminum in ludis Olympicis, Pythiis, Isthmiis, Nemeis. Vid. Lib. I. Fab. 12. ad v. 1.

(9) *Hoc genere quaestus*. Canendo nempe pretio et mercede laudes Victorum.

(10) *Redire*. Proprie. Vulgo *venire*. Impropriè. Unde illud, quod Codex Perott. servat est genuinum.

(11) *Cursu pelagio*. Maritimo, aequoreo. *Pelagius* a *pelagus*. Unde Petronio Satur. cap. 109. *Aves* pelagiae. Publio Syro apud eumdem Petronium c. 55. *Phalerae* pelagiae. Plinio lib. IX. c. 35. *Conchae* pelagiae. *Cursu* vero proprie. Virgilius III. Aen. v. 146. *Quo vertere* cursus. Ovidius XI. Met. v. 446. *Pelagi cursus*. Valerius Flaccus I. Arg. v. 483. *Aequorei cursus*.

(12) *In Ceâ Insulâ*. Ita quidem, et alii tradunt. Vid. Horatium II. Ode 1. v. 38. et IV. Carm. IX. v. 6. Ausonium Carm. XIV.

(13) *Adscendit navem*. Proprie. Ita Terentius Adelph. IV. 5. v. 69. Plautus Merc. II. 1. v. 35. Nepos in Themist. c. 8.

(14) *Tempestas horrida*. Horrenda procella. Horatius Epod. XIII. v. 1.

Horrida tempestas *Coelum contraxit et imbres*.

(15) *Simul et vetustas*. Et pariter ipsius navis vetustas, antiquitas. Quod iam vetustate navis corrupta et exesa, fragilis et debilis facta fuisset. V. Ovidium XV. Metam. v. 872. IV. Trist. 6. v. 17.

(16) *Dissolvit*. Solvit. Proprie. Nam naves pluribus tabulis, asseribus, lignisque constant invicem commissis et colligatis. Naufragio autem haec ut plurimum dissolvuntur tantummodo. Ita Ovidius IV. Trist. 8. v. 18.

(17) *Hi*. Nempe ex nauticis, qui erant in navi, quae dissolvebatur.

(18) *Zonas*. *Zonae* hic sunt fasciae, quibus Veteres pecuniam

Subsidium vitae (20). Quidam curiosior (21):
Simonide, tu ex opibus (22) nil sumis tuis?
Mecum, inquit; mea sunt cuncta (23). Tum
pauci enatant (24),
Quia (25) plures onere (26) degravati (27) perierunt (28).

Prae-

niam ferebant: Sacculi nummorum pleni; ita tamen consuti, ut iis praecingerentur. Quo sensu Plautus Poenul. V. 2. v. 48. Horatius II. Epist. 2. v. 40. C. Gracchus apud Gellium XV. Noct. c. 12. Svetonius in Vitell. c. 16. voce usi sunt. Et propius proposito nostro Iuvenalis Satyr. XIV. v. 295.

. . . Infelix hac forsitan ipsa
Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, et zonam *laeva morsuque tenebit.*

(19) *Res pretiosas.* Alia quaecumque pretiosiora, quae quis habebat. Aurum et argentum factum, et scite elaboratum, gemmas, pretiosos lapides, atque alia huiusmodi.

(20) *Subsidium vitae.* In subsidium vitae, quo naufragi quum enatassent tolerare aliquamdiu vitam possent. Cicero I. ad Attic. Ep. 8. et I. de Orat. c. 60. subsidium *senectuti*. Tacitus XV. Ann. c. 63. Subsidium *rei familiari*. Svetonius in Othon. c. 5. *Servo Caesaris decies sestertium expresserat, hoc* subsidium *tanti coepti fuit.*

(21) *Quidam curiosior. Curiosus* est qui aliena *curat*, aliorum negotia et facta vult nosse. Plautus Stich. II. 1. v. 44.

Sed curiosi *sunt hic quam plures mali,*
Alienas res, qui curant *studio maximo,*
Quibus ipsis nulla est res, quam procurent, sua.

Cicero II. de Fin. c. 29. *Reperiam multos vel innumerabiles potius, nec tam* curiosos, *nec tam molestos, quam vos estis.*

(22) *Ex opibus.* Nam locuples factus fuerat.

(23) *Mecum, inquit, mea sunt cuncta.* Nempe Simonides. Ex dicto vetere. Cicero Parad. I. cap. 2. *Quum patriam Biantis Prienem cepisset hostis, ceterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent, quum esset admonitus a quodam, ut idem ipse faceret: Ego vero, inquit, facio. Nam omnia mea* mecum *porto.* Et Valerius Max. VII. c. 2. num. 3. ext. De eodem Biante: *Ego vero, inquit, bona mea* mecum *porto.*

(24) *Enatant.* Natando ad litus perveniunt, natando ex mari evadunt. Proprie. Hirtius B. Alex. c. 18. *Se in mare praecipitaverunt, et octingentorum passuum intervallum ad oppidum* enataverunt. Horatius Art. Poet. v. 20. *Si fractis* enatat *exspes, Navibus.* Et Seneca Epist. 22. *Nemo cum sarcinis* enatat.

(25). *Nam.* Ex Cod. Perott. Vulgo *quia*.

(26) *Onere.* Zonarum, et rerum pretiosarum quibus sese oneraverant.

(27) *Degravati.* Gravitate oneris deorsum pressi, in profundum tracti. Columella I. R. R. c. 5.

Praedones adsunt (29), rapiunt quod quisque extulit (30),
Nudos relinquunt (31). Forte Clazomenae (32) prope (33)
Antiqua fuit urbs, quam petierunt (34) naufragi.
Hic (35) literarum quidam studio deditus (36),
Simonidis qui saepe versus legerat,
Eratque absentis (37) admirator maximus,
Sermone ab ipso (38) cognitum cupidissime
Ad se recepit (39); veste, nummis, familia
Hominem exornavit (40). Ceteri tabulam suam

Por-

c. 5. *Paullatim* degravatum *pondere suo praeceps attrahitur*, Et Livius lib. IV. c. 33. *Etiam peritos nandi lassitudo et vulnera, et pavor* degravant.

(28) *Perierunt*. Ut habet Codex Perottinus, et maluerunt legere Salmasius, Heinsius, Guyetus, Burmannus. Vulgo *perierant*.

(29) *Praedones adsunt*. Incurrunt in eos, advolant ad eos spoliandos.

(30) *Extulit*. Nempe ex naufraga navi, ex mari, e naufragio liberavit. Plautus Amph. II. 1, v. 82. *Ex navi* efferantur, *quae imperavi*.

(31) *Nudos relinquunt*. Omnibus plane eos spoliant. Vid. Lib. I. Fab. 29. ad v. 12.

(32) *Clazomenae*. Urbs Asiae minoris in Ionia ad mare posita.

(33) *Prope*. Iuxta, apud. Absolute. Vid. Lib. I. Fab. 24. ad v. 3.

(34) *Quam petierunt*. Ad quam Urbem se contulerunt miseri isti naufragi et nudi. Eleganter. V. Ciceronem pro Planc. c. 41. XIV. Epist. Fam. 4. Valerium Flaccum I. Arg. v. 91.

(35) *Hic*. Hac in Urbe, Clazomenis.

(36) *Literarum studio deditus*. Qui operam dabat studiis literarum, qui literis vacabat. Ita Cicero I. Famil. Epist. 7. Pro Archia c. 2. De Harusp. resp. cap. 9.

(37) *Absentis*. Ignoti, quem de facie non noverat, quum a se abesset, et longe viveret ab eo.

(38) *Sermone ab ipso*. Ab ipso loquendi modo, ex dialecto, et familiaribus Poetae dicendi modis. Ita Caesar I. B. Gall. c. 22. *Aliquem* ab armis *cognoscere*.

(39) *Ad se recepit*. Apud se, domum suam. *Recepit*. Proprie. Cicero pro Archia c. 3. *Luculli eum* domum suam receperunt. Livius lib. XXVII. c. 25. *Eum ne quis urbe, tecto, mensa, lare* reciperet.

(40) *Veste, nummis, familia hominem exornavit*. Vestibus, pecunia, servis Simonidem donavit. Eleganter vero *exornavit*. Vid. Terentium Eun. II. 4. v. 16. Ciceronem in Caton. Plinium lib. XXX. c. 1. Curtium lib. VIII. c. 13. Vitruvium Proem. ad lib. VI.

Portant (41) rogantes victum (42), quos casu obvios (43)
Simonides ut vidit: Dixi, inquit (44), mea
Mecum esse cuncta? Vos quod rapuistis (45) perit.

FABULA XXV.

Musca, et Formica.

Formica et Musca contendebant acriter (1),
Quae pluris esset (2). Musca sic coepit (3) prior:
Con-

VI. Architect. ubi historiolam de Aristippo Philosopho narrat isti Simonideae similem.

(41) *Tabulam suam portant*. Mos erat Veteribus, ut, ubi naufragium passi fuissent, in parvis tabulis naufragium ipsum et casum suum pingere facerent, potissimum ut hominum misericordiam in se excitarent, et eo pacto, vitam, rogantes victum, tolerarent. Qua de re vide Horatium I. Od. 5. v. 13. Ovidium I. Trist. Eleg. 5. v. 8. Persium Satyr. I. v. 89. Et Satyr. VI. v. 32. Iuvenalem Sat. XIV. v. 301.

(42) *Rogantes victum*. Aliquid rogantes in victum, quo vitam sustinere possent.

(43) *Obvios*. Nempe sibi. Svetonius in Caes. c. 81. *Libellus insidiarum index ab* obvio *quodam porrectus*. Vulgo *obvius*. Sed lectio Codicis Perottini genuina est.

(44) *Dixi, inquit*, etc. Simonides scilicet. Multae vis est illud *dixi*, qua voce utimur, quum aliquid vel a nobis recte factum dictumque, vel ab aliis perverse, quod antea monuerimus exprobramus. Ita Terentius Andr. III. 5. v. 15. *Annon* dixi *hoc esse futurum*? Adelph. I. 2. v. 3. Dixin' *hoc fore*? Ita Propertius I. Eleg. 9. v. 1. Ovidius I. Am. 14. v. 1. Seneca Apocol.

(45) *Rapuistis*. Tanta festinatione, tanta sollicitudine collegistis. *Rapio* eleganter hac potestate sumitur. Ita Ennius apud Ciceronem III. de Orat. c. 40.

... Vive, Ulixes, dum licet,
Oculis postremum hoc lumen radiatum rape.

Petronius Satur. c. 114. *Et ultimum hoc gaudium fatis properantibus* rape.

(1) *Acriter*. Magno ardore et pertinacia.

(2) *Quae pluris esset*. Maioris nempe pretii, utra pluribus et potioribus dotibus, utra insignioribus muneribus, et maiori virtute esset instructa. Cicero XII. ad Attic. Ep. 28. *Mea mihi conscientia* pluris *est, quam hominum*. VI. Philipp. c. 4. *Hic* pluris *est, quam alius*.

(3) *Coepit*. Supple *loqui*. Ita Vir-

Conferre (4) nostris tu (5) potes te laudibus (6)?
Ubi immolatur (7), exta praegusto Deûm (8),
Moror inter aras (9), templa perlustro omnia (10),
In

Virgilius I. Aen. v. 525. VI. v. 372. etc.

(4) *Conferre te*. Comparare te, aequare. Nam comparatio sine collatione haberi non potest. Cicero autem pro Rosc. Comoed. c. 7. *Vitam inter se utriusque* conferte. Ovidius I. ex Pont. 1. v. 25.

Nec me nominibus *furiosus*
confero *tantis*.

Ita II. Am. 17. v. 13. etc.

(5) *Tu*. Contemnentis et spernentis est. Virgilius Eclog. III. v. 25.

Cantando tu *illum*?

(6) *Nostris laudibus*. Nobis scilicet, ob praestantes dotes laudatissimis, mihi tot laudibus clarae. Quam apposite, perinde ac Musca tota laus, tota gloria esset. Simili pacto supra Ovidius *tantis nominibus*. Tum recte etiam *nostris*, nam superbe et insolenter musca loquitur.

(7) *Ubi immolatur*. Ubi sacrificatur: Ubi victimae Diis offeruntur. Proprie *immolare* est *molâ* aspergere, quae far erat tostum, et molâ tritum, sale immixto. Sed quoniam nulla erat hostia, quae sacrificari Diis posset, nisi prius istâ molâ aspergeretur, et proprie *immolaretur*, ideo *immolo*, ut hic fuit omnino sacrificare, hostiam offerre; Quo sensu Varro IV. L. L. c. 7. Cicero II. de Divin. c. 17. etc. voce usi sunt.

(8) *Exta praegusto Deûm*. *Exta Deûm* sive Deorum, sunt exta hostiarum cor nempe, pulmo, hepar, lien, et alia viscera, iam Diis sacra, quae in Deorum honorem comburebantur, et quorum nidorem Dii gustare, et eo suaviter frui putabant: Ut Homerus potissimum est testis, et Lucianus. Tum *exta* in hostiis proprie Deorum esse existimabantur, et ea maxime religioso ritu Diis offerebantur. Sic vetus formula apud Macrobium III. Satur. c. 2. Exta *porriciunto Diis, danto in altaria, aramve focumque, eove quo exta dari debeant.* Vid. et. Plautum Pseud. I. 3. v. 31. Virgilium II. Georg. v. 193. Martialem XI. Epigr. 58. *Praegustare* autem est gustationem cibi antea facere, praelibare, aliquid antea cibi potusve ex maiore copia sumere. Musca vero eo sensu id dixisse fingitur, ut se Deorum convivam ostenderet, et non gustare tantum Deorum cibos, sed etiam *praegustare*. Ovidius I. Am. 4. v. 33.

Si tibi forte dabit quos prae-
gustaverit *ipse*,
Reiice libatos illius ore cibos.

(9) *Moror inter aras*. In locis nempe sacris, purissimis, ceteris omnibus potioribus. *Moror* hic ad lubitum maneo, habito, vivo. Quo sensu Horatius II. Od. 3. v. 23. Ovidius II. ex Pont. 8. v. 12. Seneca Epist. 32. voce usi sunt.

(10) *Templa perlustro omnia*. Nullum templum mihi praeclusum est, singula templa circumlustro. Ad rem Plautus Mercat. II. 3. v. 26.

Mu-

In capite regis (11) sedeo (12), quum visum est mihi,
Et Matronarum (13) casta delibo oscula (14):
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor (15).
Quid horum simile tibi contingit (16) rustica (17)?
Est gloriosus (18) sane convictus Deum (19).
Sed

Musca est meus pater, nihil potest clam illam haberi,
Nec sacrum, nec tam profanum quidquam est quin ibi illico adsit.

Butmannus, Cuningamius, aliique non pauci interpungere malunt *templa*, *perlustro omnia*. Sed parum apte. Nam το *omnia*, et cloachas et universa loca immunda complectitur. Verum hac de re abunde diximus in Variant. nostris.

(11) *Regis*. Maximae nempe et augustae personae, ad quam ceteri omnes paventes tantummodo accedunt.

(12) *Sedeo*. Apposite. Nam de honestissimo loco agitur. Vide vero etiam Lib. I. Fab. 25. ad v. 1.

(13) *Matronarum*. *Matronas* appellabant Romani matresfamilias nobilitate generis et morum integritate praestantes. Plautus Cistell. I. 1. v. 26. *Ubi istas videas summo genere natas summatis* matronas. Ita Horatius I. Satyr. 2. v. 63. Cicero pro Coelio c. 13.

(14) *Casta delibo oscula*. Casta ora carpo, castum os matronarum libo. *Osculum* proprie est parvum os, elegans, pulcrum. *Delibo* vero est leniter et suaviter tango, delicate carpo. Virgilius I. Aen. v. 26. Oscula libavit *natae*. Et lib. XII. v. 434. *delibans oscula*. Verum quidem in his Virgilii locis *libare oscula* esse osculari: Sed hac sententia non dixerim apud Nostrum sumi. Nam secus non fuissent *casta*. Sed ob dignitatem, elegantiam, et pulchritudinem hoc loco dictum puto: Perinde ac scripsisset ego per delicata et pulchra ora Matronarum versor, mororque.

(15) *Optimis rebus fruor*. Sine ullo meo labore, curis omnibus vacua exquisitissimis cibis fruor. *Bonae, et optimae res*, delicati et lauti cibi a Romanis dicebantur. Quo sensu Publius Syrus in Sentent.

Bonarum rerum *consuetudo pessima*.

Vid. et. Nepotem in Attic. c. 13. Et in Agesilao c. 8. Horatium II. Satyr. 6. v. 110.

(16) *Contingit*. Proprie, veluti de rebus maxime prosperis, felicibus agatur. Plautus Cistell. II. 1. v. 21. *Quodcumque optas velim tibi* contingere. Ita Horatius I. Epist. 4. v. 9.

(17) *Rustica*. Agrestis, quae per rura et agros vivis, quae numquam urbanam vitam novisti, numquam delicias, et commoda urbium gustasti. Apposite. Haud alia forte voce de formica plane triumphare musca videri poterat.

(18) *Est gloriosus*. Verba Formicae. Gloriam adfert, multae laudi vertitur.

(19) *Con-*

Sed illi qui invitatur, non qui invisus est (20):
Reges (21) commemoras, et matronarum oscula (22):
Ego granum (23) in hiemem (24) quum studiose congero (25),
Te circa murum (26) pasci video (27) stercore.
Aras frequentas (28), nempe abigeris (29) quo venis (30):
Nihil laboras, atque ideo tu nil habes (31).

Su-

(19) *Convictus Deûm*. Convivari nempe cum Diis, unâ cum Diis cibum et victum sumere. Velleius lib. II. c. 33. *Profusa luxuria in* convictibus. Tacitus Ann. XIV. c. 4. *Tracto in longum* convictu. Plinius lib. XIV. c. 14. *Tanta vero vino Graeco gratia erat, ut singulae potiones in* convictu *darentur*.

(20) *Invisus*. Odiosus, abominatus, ut tu. Virgil. IX. Aen. v. 495

Invisum *hoc detrude caput sub Tartara telo*.

(21) *Regis*. Iam dixerat musca se in regum capitibus insidere. Quod interpretationem nostram probat.

(22) *Matronarum oscula*. Ora, faciem, vultum, quia circa ea se versari, et commorari iactasset.

(23) *Granum*. Frumenti grana. Varro I. R. R. c. 48. *Spica ea quae mutilata non est in hordeo et tritico habet continentia* granum, *glumen*, *aristam*. Quintilianus II. Inst. c. 20. *Inserere* grana *in acum*.

(24) *In hiemem*. Quo in hieme fruar, quo per hiemem utar. Simili syntaxi Terentius Andr. II. 2. v. 32. *Ferre in* coenam. Et Adelph. III. 3. v. 16. *Dare in* sumtum.

(25) *Congero*. Pron[...]
I. de Div. cap. [...]

Phrygio, quum puer esset, dormienti formicae in os tritici grana congesserunt. Symposius Aenygm. 22. *de* ipsis formicis.

Non gero *multa simul*, *sed* congero *multa vicissim*.

(26) *Circa murum*. Non circa reges, non circa matronas, sed circa immundos, et foedos muros.

(27) *Pasci video*. Vesci, satiari. Vulgo *video pasci*. Illud est ex Cod. Perott.

(28) *Aras frequentas*. Frequens es ad aras, saepius ad aras advolas. Cicero V. Famil. Epist. ult. *Qui* frequentant *domum meam*. Tacitus II. Hist. c. 16. *Qui Pacarium* frequentabant.

(29) *Abigeris*. Expelleris, eiiceris. Sed illud proprie. Plautus Amph. Prolog. v. 149 Abigam *iam ego illum advenientem ab aedibus*. Trucul. II. 1. v. 41. Abige *anseres de frumento*. Cicero II. de Orat. c. 60. *Abige muscas*.

(30) *Quo venis*. In quemcumque locum tu veneris, inde statim abigeris. Schefferus legere malebat *quum*. Sed nulla ratione. *Quo* genuinum est. Nempe *ex quo*, *statim ac*.

[...] *nil habes*.
[...]us plane rei
[...] prorsus es
[...] Pl

Super etiam(32)iactas tegere quod debet pudor(33)?
Aestate me lacessis, cur brumâ siles (34)?
Mori contractam (35) quum te cogunt frigora;
Me copiosa (36) recipit incolumem (37) domus.
Satis profecto retudi (38) superbiam (39).

Fa-

Rud. V. 2. v. 34. *Miserum istuc verbum et pessimum est habuisse, et* nihil habere. Terentius Adelph. IV. 7. v. 7. *Virgo* nihil habet. Martialis XI. Epigr. 33.

Non est paupertas, Nestor, habere nihil.

Vulgo legitur: *ideo quum opus est nil habes*. Sed quid illud *quum opus est*? Musca numquam possidet quidquam, et semper contra alienarum rerum opus habet. Nec hiemis tempora spectantur: Nam vel tum ut in aestate vivit, vel frigore contracta moritur. Propterea lectio Codicis Perottini *ideoque nihil habes* a nobis eo pacto emendata, quum sententiam egregiam et opportunissimam praeseferat, potior et verisimilior visa est.

(32) *Super etiam*. Insuper, praeter haec: quo sensu Lib. I. Fab. 19. v. 13. vox sumitur. Vulgo legitur *superba*. Sed id edidit arbitrio suo Pithoeus. Nam tum suus, tum Remensis Codex, ut Noster modo habet, *super etiam* exhibuerunt.

(33) *Tegere quod debet pudor.* Quod prae pudore reticere deberes; quod prae verecundiâ silentio obruendum esset: Te scilicet optimis rebus frui, quum nil labores. Nam hoc pacto te f rari, te ra[illegible] raptoque sua- [illegible] et l[illegible] impuden- [illegible]m est, pu- [illegible]s

haec ad oscula matronarum referunt. Sed perperam. Nam primum, ut vidimus, ea minime ad libidinem et impudicitiam dicuntur, sed potius ad elegantiam et dignitatem. Nam dicuntur *casta*. Tum si Auctor his verbis matronas spectasset, eo loco collocasset, quo de matronis locutus est. Quin palam est eas spectare non voluisse. Nam est *super etiam*. Sed hac de re abunde in Variant. nostris.

(34) *Cur brumâ siles*. Per brumam, per hiemem. Vulgo *quum bruma est siles*. Sed lectio Perott. Codicis venustior est, et argutior.

(35) *Contractam*. Proprie. Manilius II. v. 252.

Tuque tuo, Capricorne, gelu contractus *in astris*.

Columella VI. c. 16. *Vermes si mane perfundantur aqua frigida rigore* contracti *decidunt*. Ita et IX. c. 13. Tum Seneca de Irâ II. c. 9. Svetonius in Aug. c. 80.

(36) *Copiosa*. Copiis abundans, omnibus bonis rebus instructa. Cicero V. ad Attic. Ep. 18. *Locus* copiosus *a frumento*. Gellius VII. cap. 1. *Oppidum re etiam cibaria* copiosum.

(37) *Incolumem*. Sanam, valentem, cui frigora non nocent.

(38) *Retudi*. Depressi. Eleganter. Livius lib. XXXIII. c. 32. *Linguam et sermones quorumdam* retundere. Atticus ad Cicer. in lib. XVI. Epist. hu-

ius

Fabella talis hominum discernit notas (40),
Eorum qui se falsis (41) ornant laudibus (42),
Et quorum virtus exhibet solidum decus (43).

FABULA XXVI.

Simonides a Diis servatus (*).

Quantum valerent (1) inter homines literae,
Dixi superius (2): Quantus nunc illis (3) honos

A Su-

ius n. 5. *Praesentiâ belle iste puer* retundit *Antonium*. Cicero XII. Famil. Epist. 14. *Improbitatem* retundere.

(39) *Superbiam*. Muscae inepte gloriosae. Haec etiam Formica, ut patet. Burmannus aliter legere malebat: Sed temere, nam nec ulla Codicum auctoritas, nec sententia pro eo sunt. Vid. Variant. nostras.

(40) *Discernit notas*. Distinguit peculiares characteres, discernere facit inter se homines, manifestum facit, quae eorum notae sint, et veri characteres. Translatio sumta ex doliis et amphoris vinariis, quibus *notae* quaedam adiiciebantur, ut vina invicem discernerentur. Hoc sensu Cicero VII. Famil. Ep. 29. *Nos de meliore notâ*. Catullus Carm. LXVIII. v. 28. *Quisquis de meliore notâ*. Seneca Ep. 52. *Nos ex illa prima notâ non sumus*.

(41) *Falsis*. Quae falso, futili, inani fundamento innituntur: ut musca.

(42) *Ornant laudibus*. Eleganter. Cicero II. Philipp. c. 11. *Qui me non solum meis laudibus ornaret, sed onoraret alienis*.

(43) *Solidum decus*. Gloriam veram, solidam, decus sincerum, egregiis dotibus debitum. Cicero III. Tusc. c. 2. *Est enim gloria solida quaedam res et expressa, non adumbrata*. Philipp. V. c. 18. *Quid enim stultius quam inutilem potentiam, invidiosas opes, cupiditatem dominandi praecipitem et lubricam anteferre verae, gravi*, solidae gloriae. Et in Vatin. c. 3. *Homo* solidae laudis, *veraeque gloriae*.

(*) Hanc historiolam praeter Nostrum narrant pariter vel attingunt Cicero II. de Orat. c. 86. Val. Maximus lib. I. c. 8. ex. 7. Quintilianus lib. XI. c. 2. Callimachus in Fragm. a Bentleio Collect. n. LXXI. Suidas in Σιμωνίδης etc.

(1) *Quantum valerent*. Quanti valoris essent, quanti pretii, quam utiles.

(2) *Superius*. Paullo supra, paullo ante: Fabula nempe XXIV. ut hic numeramus. Quo sensu Hirtius B. Hispan. c. 28. *Namque ut* superius *demonstravi-*

A Superis (4) sit tributus (5) tradam memoriae (6).
Simonides idem ille, de quo retuli (7),
Victori (8) laudem (9) cuidam Pyctae (10) ut scriberet (11),
Certo conduxit pretio (12): Secretum petît (13).
Exi-

vimus loca excellentia tumulus continet. Et cap. 34. *Quas circummunitas superius demonstravimus*. Valerius Max. III. c. 2. n. 19. *Sed ut superius armorum et togae, ita nunc et siderum clarum decus divum Iulium repraesentemus*. Ita et apud alios Scriptores. Haec autem satis in Desbillonium, qui autumabat *superius* parum Latinum esse.

(3) *Illis*. Literis.

(4) *A Superis*. Ab ipsis Diis, qui suo favore, honore, tutela literas sunt prosecuti.

(5) *Tributus*. Proprie. Cicero III. Fin. cap. paenult. Tributus *idem est* honos. Et Noster in cet. vulg. lib. I. fab. 7. v. 3. *Quibus* honorem *et gloriam Fortuna* tribuit.

(6) *Tradam memoriae*. Scribam, literis tradam, posteritati committam. Cicero Paradox. III. cap. 2. *Bene hercle narras. Nam istum doctum et sapientem virum fuisse* memoriae traditum est.

(7) *Retuli*. Historiolam scilicet, rem quamdam gestam. Vide Lib. I. Fab. 19. ad v. 17.

(8) *Victori*. Ex Cod. Perott. Vulgo *Victoris*. Sed illud genuinum esse iam plures Critici agnoverant. Vid. Variant. nostras. Quamobrem mirari subit quomodo Brotierius pro vetere lectione stare voluerit, nec viderit hîc dativum casum longe satius ad sententiam et syntaxin facere, quam genitivum.

(9) *Laudem*. Laudationem, ἐγκώμιον: Quo sensu sumitur supra Fab. 24. v. 5. quem locum adi.

(10) *Pyctae*. Scilicet pugili. Graeca vox, sed latinis Scriptoribus passim usurpata. Columella VIII. R. R. c. 2. *Gallinaceus* pyctes. Seneca Rhetor. I. Controv. 3. *Hoc male mihi faciet ille, qui aut* Athleta, *aut* Pyctes *est*. Alter Seneca Quaest. nat. IV. c. 1. *Apollonius* pycta. Plinius lib. VIII. Hist. c. 47. *Euthymus* pycta *semper Olympiae victor*.

(11) *Ut scriberet*. Ut componeret, conscriberet. Quintilianus lib. XI. c. 2. *Quum pugili*, ait, *coronato carmen quale componi Victoribus solet, mercede pactâ*, scripsisset.

(12) *Certo conduxit pretio*. Certâ, constitutâ, determinatâ mercede carmen in Pyctam sumsit conscribendum. *Conduxit* hic est ex solemni formula, qua artifex pollicebatur se facturum opus pacto pretio. Quo sensu Cicero II. de Div. c. 21. *Columnam* conduxerat *faciendam*. Ulpianus Dig. XIX. Tit. 2. Leg. 13. Conducere *columnam*, *tignum transportandum*. Festus: *Redemtores proprie atque antiqua consuetudine dicebantur, qui quum quid publice faciendum aut praebendum* conduxerant *effecerantque, tum demum pecunias accipiebant*. In multis Phaedri libris Meur-

Exigua (14) quum frenaret (15) materia impetum (16),
Usus Poetae more (17) est, et licentiâ (18),
Atque interposuit (19) gemina Ledae sidera (20),
Auctores apte similis referens gloriae (21).

Opus

Meursio et Scaligero auctoribus irrepsit *condixit*, sed contra omnium Codicum auctoritatem, et genuinam verbi sententiam ac proprietatem.

(13) *Secretum petit*. Concessit in locum secretum, ut carmen diligentius conscriberet, ut illi poëmati totus vacaret. Plinius Caecil. I. Ep. 5. *Regulus illuc me persecutus* secretum petit. *Secretum* autem veluti proprium Poetarum semper fuit. Vid. Ovidium I. Trist. Eleg. 1. v. 41. Horatium Art. Poet. v. 255. Auctorem Dialog. de Corr. Eloqu. c. XII. Quintilianum lib. X. c. 3.

(14) *Exigua materia*. Levis, tenuis materia eius victoriae, et quam generatim Pyctae Persona suppeditare poterat.

(15) *Frenaret*. Cohiberet, coerceret ne spiritus ad sublimia et nobilia attolleretur. Tenuitas materiae prohibebat, quo minus egregium carmen conscriberetur.

(16) *Impetum*. Oestrum quo Poetae rapiuntur: Sublimem illum spiritum, quo Lytici potissimum impleri, moveri, et agitari debent. Quo sensu Ovidius VI. Fast. v. 5. Et IV. ex Pont. 2. v. 26. Tacitus XIV. Ann. c. 16. aliique vocem sumserunt.

(17) *Usus Poetae more*. More Poetarum, more a Poetis usurpato. Cicero hanc ipsam historiolam narrans loc. cit. *In quo carmine multa ornandi caussâ*, Poetarum more, *in Castorem scripta et Pollucem fuissent*. Tum Quintilianus: More Poetis *frequentissimo digressus in laudes Castoris et Pollucis exierat*.

(18) *Et licentiâ*. Qua Poetae multa sibi permittunt, indulgentque. Nam ut ait Horatius in Art. Poet. v. 9.

. . . *Pictoribus atque Poetis*
Quidlibet audendi semper fuit
aequa potestas.

Tum Cicero III. de Orat. c. 38. *Verba prisca, quae sunt Poetarum licentiâ liberiora, quam nostra*. Vid. vero Var. nostras.

(19) *Interposuit*. Quod absolute ad argumentum suum non facerent: Quod victoriam Pyctae necessario non spectarent. Vid. Prolog. lib. II. v. 9. Et Prolog. lib. V. v. 1.

(20) *Gemina Ledae sidera*. Laudem nempe Castoris et Pollucis filiorum Iovis et Ledae uxoris Tyndari: Unde et *Dioscuri* graeca voce, seu Iovis filii, et *Tyndaridae* quoque vocabantur. Putabant Veteres conversos fuisse in sidera. Vid. Horatium I. Ode 3. v. 2. Senecam Hercul. Fur. v. 13. etc.

(21) *Auctores apte similis referens gloriae*. Idonee canens, opportune laudans eos, qui vel primi eius gloriae auctores fuerant, vel eam late auxerant, celebraverant, et valde insignem fecerant. Vid. Horatium I. Ode 12. v. 25. Et II. Satyr. 1. v. 26. Ovidium V. Fast. v. 700. Senecam

Opus adprobavit (22): Sed mercedis (23) tertiam
Accepit partem: Quum reliqüas (24) posceret:
Illi, inquit (25), reddent (26), quorum sunt
laudis duae (27):

Ve-

cam Medea v. 88. etc. Tum Statium VI. Theb. v. 740. et v. 819. Et Theocritum in Idyll. XXIII. quod totum de Dioscuris est. Vulgo legitur: *Auctoritatem similis referens gloriae*. Sed quid sibi vult *referens auctoritatem*? Si *refero* est *narro*, haud perspicue intelligitur quid sit *narrans auctoritatem*, nec videtur plane latinum. Si est *adduco*, ut *referens auctoritatem similis gloriae*, sit adducens ad rem suam similis gloriae pondus, veluti ad quamdam similitudinem et comparationem, quod tamen nec omnes concessetint facile: et tum non intelligitur quomodo Simonides duas fere solidas partes laudis in quamdam similitudinem insumeret, nec quomodo victoriam Pyctae Deorum victoriis opponere quodammodo et comparare ausus fuisset. Nam *similis gloriae* hac lectione esset similis victoriae, similis pugnae, ut Interpretes revera explicant. Potior ergo videtur Perott. Cod. lectio, a nobis proposita, et iam a Burmanno emendata, quum in MS. sit *aptae*.

(22) *Opus adprobavit*. Simonides scilicet adprobavit carmen suum Pyctae: Vel ut nos modo loquimur Pycta probavit carmen, quod in eum Simonides conscripserat. *Adprobavit* ex solemni formula. Quum redemtor absolverat et perfecerat opus quod conduxerat, obtuleratque Conductori; Si is fatebatur eo opere contentum esse, recte, et bene factum, tum redemtor dicebatur *adprobasse opus* suum. Vitruvius lib. IX. c. 3. *Hiero coronam immani pretio locavit faciendam, et aurum ad sacoma* (pondus) *rependit redemtori. Is ad tempus opus manufactum subtiliter Regi* adprobavit. Vid. et. Brisson. de Formul.

(23) *Mercedis*. Quamvis iam pactae, iam constitutae.

(24) *Reliquas*. Nempe partes mercedis, duas mercedis partes, quae supererant. In multis Phaedri editionibus, ut in Perott. Codice est *reliquum*. In Pithoeano et Remensi fuit *reliquam*. In aliis Editionibus *reliqua*, vel *reliquas* legitur. Nobis hoc postremum praeferendum esse visum fuit. Nam primum *το tertiam partem* satius ad syntaxim excipit *reliquas* nempe *partes*, quam *reliquum*. Praeterea quum legis *reliquum*, unde tu sumes *partes*, quod *το duae* requirunt? Sed optime *reliquas* et *duae* sibi respondent. Nec verum est quod aiebat Iuvenatius, cuius verba in Variant. nostris adtulimus illud *tertiam partem* suspendere orationem, et Lectorem expectare cogere dum cetera quibus respondent reddantur. Nam rectissime ibi finiri sermo potest, nec ea necessario ad alia respondent. Tum *reliquum* institutam syntaxin abrumpit.

(25) *Inquit*. Pycta.

(26) *Reddent*. Solvent tibi reli-

Verum ut sine ira te dimissum sentiant (28),
Ad cenam mihi promitte (29), cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi (30).
Fraudatus (31) quamvis, et dolens iniuriâ,
Ne male Dîs missam gratiam corrumperet (32),
Pro-

liquas duas partes mercedis. Proprie *reddent* veluti ex debito, ex iure. Vid. Senecam III. de Benef. c. 14. Epist. 18. Petronium in Satur. c. 57.

(27) *Laudis duae*. Duae nempe *partes* laudis, duae *partes* carminis. Simonides duas ferme partes totius in Pyctam carminis in laudandis Dioscuris insumserat. Vid. Variant. nostras.

(28) *Verum ut sine ira te dimissum sentiant*. Sensus est: Verum ut Castor et Pollux potentes et magni Dii sine ira in me, erga me boni, faciles, placidi, sentiant te fuisse dimissum. Ne Castores in me irascantur, quod ita dimissus fueris. Pycta putabat quidem nil plane amplius Simonidi deberi: Sed quoniam mercedem pactam ideo illi non solvebat, quod Dioscuros laudaverat merito vereri debebat, hos ideo sibi irasci, fierique adversos. Quamobrem Deorum pacem optans eorum gratiâ et intuitu Simonidem ad cenam vocat. Vulgo aliter atque aliter Critici legunt et interpretantur, Sed mendose dubio procul et perperam. Nec dubitari potest quin Perottini Codicis lectio, quam protulimus vel genuina plane sit, vel omnium saltem verisimillima. Vid. Variant. nostras.

(29) *Ad cenam mihi promitte*. Promitte mihi te venturum esse ad cenam meam. Ex receptâ formulâ. Vid. Plautum Menech. V. 2. v. 42. In Stich. IV. 2. v. 16. Petronium Satur. c. 10. Plinium Caecil. l. Epist. 15.

(30) *Quorum es in numero mihi*. Habeo nempe te ut cognatum meum, ut unum de cognatis meis. Urbanitatis et humanitatis formula. Non dissimili pacto Terentius Phorm. III. 2. v. 11. Horatius l. Epist. 6. v. 54. Livius II. c. 38.

(31) *Fraudatus*. Mercede. Cui, quod debitum erat, negatum fuerat per fraudem. Debebatur enim ex pacto. Apud Ciceron. III. Offic. c. 17. ex veteri formula: *Uti ne propter te fidemque tuam captus*, fraudatusve *siem*. Svetonius in Calig. c. 48. Fraudatus *triumpho*.

(32) *Ne male Dîs missam gratiam corrumperet*. Simonides ne male et inepte corrumperet gratiam Dioscuris missam. *Gratia* dicitur quod gratum et acceptum facit, munus etiam, officium. Unde et Diis aliqua gratia fieri potest. Cicero I. de Nat. Deor. c. ult. *Deinde si maxime talis est Deus, ut nulla* gratiâ, *nulla hominum charitate teneatur*, *valeat*. Vid. et. Platon. in Euthiphron. *Missus* hîc est tributus, attributus, relatus, nuncupatus: et quo sensu Nepos in Pausan. 2. Catullus Carm. XII. v. 15. Virgilius Eclog. IX. v. 6. Ovidius V. Trist. 13. v. 1. dixerunt *mittere donum*, *munus*. *Corrumpere*

Promisit; rediit horâ dictâ (33), recubuit (34): 20 Splen-

ret vero est perderet, amitteret, sibi irritam et inutilem faceret. Quo sensu Ovidius II. Am. 19. v. 18.

Corrumpis *vitio gaudia nostra tuo*.

Tacitus XV. Ann. 71. *Veniam quam ab imperatore acceperat, vanitate exitus* corrupit. Seneca de Benef. lib. I. c. 1. *Ita* gratiam *omnem* corrumpimus, *non tantum postquam dedimus beneficia, sed dum damus*. Et Cicero II. Famil. Ep. 16. *Ut me existimares tam inconstantem, ut collectam* gratiam *florentissimi hominis effunderem*. Sensus est ergo: Quum Simonides putaret se eo carmine iisque laudibus gratam rem Dioscuris fecisse: ne eam *gratiam* perderet et amitteret, promisit ad cenam. Etenim si officium hoc repudiabat, si recusabat, Deorum gratiam corrumpere verebatur, quum eorum intuitu vocatus esset, et ea recusatione ostenderet, se minime sincero animo et eorum ratione laudem illam conscripsisse. Quam varie autem is versiculus in MSS. Codicibus, et vulgatis Phaedri libris legatur diximus in Variant. nostris. Nulla autem lectio ex illis est, quae probabilis dici possit. Omnes enim *το gratiam* ad Pyctam et Simonidem referunt, quod est omnino falsum. Etenim nec ulla gratia corrumpi potest, nisi iam inita et parata, nec Pycta cum Simonide gratiam inierat, quum indigne eum fraudasset, nec Simonides cum Pyctâ, quod Dioscuros potius, quam eum laudasset, unde fraudatus in mercede fuerat. Sed omnino *gratia* Deos spectat. Quamobrem nos Gudii coniectionem praetulimus, et pro *dimissam*, quod Codicum est, scripsimus *Dis missam*, quae certe lectio omnibus est verisimilior. Verum neque hanc esse verisimillimam ego contenderim, nec genuinam. Etenim nescio an *mittere gratiam* rectissime et perspicue eo sensu dici possit. Quamobrem ego potius mihi legerem:

Ne male Divorum gratiam corrumperet:

Quod certe opportunissimam sententiam praesefert. Ne scilicet perderet gratiam quam cum Dioscuris inierat eos tam scite laudando. Nec difficile fuit pro *Divorum*, irrepere *dimissam*, quod paullo ante *dimissum* lectum fuerat. Tum si *dimissam* Codicum Heinsius, Gudius, Burmannus in *dimissus* converterunt, Gronovius in *commissam*, Burmannus iterum in *divisam*, haud puto audacissimum esse in tam incerto loco legere *Divorum*. Quin notum est Franciscum Harium veterum lectionum alioquin tenacem non dubitasse hic legere, quamvis parum apte: *Ne male dimissus se aegre ferre ostenderet*, vel etiam: *negando et initam gratiam corrumperet*, quae immanius quantum a Codicum fide discrepant.

(33) *Rediit horâ dictâ*. Hora statuta, constituta rediit ad Pyctam. In Lib. I. Fab. 15. v. 3. *dictus dies*. Quem locum adi.

(34) *Recubuit*. Ad mensam. Nam cubantes vescebantur, ut loc. cit. ad v. 25. observavimus. Vid.

Hoc genere quaestus (9) postquam locuples factus est,
Redire (10) in patriam voluit cursu pelagio (11):
[Erat autem natus, ut aiunt, in Cea Insula (12)].
Ascendit navem (13), quam tempestas horrida (14),
Simul et vetustas (15) medio dissolvit (16) mari.
Hi (17) zonas (18), illi res pretiosas (19) colligunt,
Sub-

est, genuina dubio procul est lectio.

(8) *Laudem Victorum canens*. Ut componeret, ut conscriberet laudationem eorum, qui in ludis solemnibus Victores evaserant. Proprie *canens*, et apposite. Nam de carminibus agitur, et notum est *canere* poetarum esse veluti peculiare. *Laus* hic est laudatio, carmen laudativum, quod Graeci *εγκωμιον* dicerent. Quo sensu Cicero pro Muren. c. 16. *Celebratus* laude *illustri*. Statius VIII. Theb. v. 552. *Canendus longa* laude. Ita Quintilianus III. c. 4. et 7. II. c. 4. et 15. *Victores* autem sunt per excellentiam Victores Graecorum certaminum in ludis Olympicis, Pythiis, Isthmiis, Nemeis. Vid. Lib. I. Fab. 12. ad v. 1.

(9) *Hoc genere quaestus*. Canendo nempe pretio et mercede laudes Victorum.

(10) *Redire*. Proprie. Vulgo *venire*. Improprie. Unde illud, quod Codex Perott. servat est genuinum.

(11) *Cursu pelagio*. Maritimo, aequoreo. *Pelagius* a *pelagus*. Unde Petronio Satur. cap. 109. *Aves* pelagiae. Publio Syro apud eumdem Petronium c. 55. *Phalerae* pelagiae. Plinio lib. IX. c. 35. *Conchae* pelagiae. *Cursu* vero proprie. Virgilius III. Aen. v. 146. *Quo vertere* cursus. Ovidius XI. Met. v. 446. *Pelagi cursus*. Valerius Flaccus I. Arg. v. 483. *Aequorei cursus*.

(12) *In Cea Insulâ*. Ita quidem, et alii tradunt. Vid. Horatium II. Ode 1. v. 38. et IV. Carm. IX. v. 6. Ausonium Carm. XIV.

(13) *Adscendit navem*. Proprie. Ita Terentius Adelph. IV. 5. v. 69. Plautus Merc. II. 1. v. 35. Nepos in Themist. c. 8.

(14) *Tempestas horrida*. Horrenda procella. Horatius Epod. XIII. v. 1.

Horrida tempestas *Coelum contraxit, et imbres*.

(15) *Simul et vetustas*. Et pariter ipsius navis vetustas, antiquitas. Quod iam vetustate navis corrupta et exesa, fragilis et debilis facta fuisset. V. Ovidium XV. Metam. v. 872. IV. Trist. 6. v. 17.

(16) *Dissolvit*. Solvit. Proprie. Nam naves pluribus tabulis, asseribus, lignisque constant invicem commissis et colligatis. Naufragio autem haec ut plurimum dissolvuntur tantummodo. Ita Ovidius IV. Trist. 8. v. 18.

(17) *Hi*. Nempe ex nauticis, qui erant in navi, quae dissolvebatur.

(18) *Zonas*. *Zonae* hic sunt fasciae, quibus Veteres pecuniam

Subsidium vitae (20). Quidam curiosior (21):
Simonide, tu ex opibus (22) nil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea sunt cuncta (23). Tum
pauci enatant (24),
Quia (25) plures onere (26) degravati (27) perierunt (28).
Prae-

niam ferebant: Sacculi nummorum pleni, ita tamen consuti, ut iis praecingerentur. Quo sensu Plautus Poenul. V. 2. v. 48. Horatius II. Epist. 2. v. 40. C. Gracchus apud Gellium XV. Noct. c. 12. Svetonius in Vitell. c. 16. voce usi sunt. Et propius proposito nostro Iuvenalis Satyr. XIV. v. 295.

. . . Infelix hac forsitan ipsa
Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, et zonam *laeva morsuque tenebit.*

(19) *Res pretiosas*. Alia quaecumque pretiosiora, quae quis habebat. Aurum et argentum factum, et scite elaboratum, gemmas, pretiosos lapides, atque alia huiusmodi.

(20) *Subsidium vitae*. In subsidium vitae, quo naufragi quum enatassent tolerare aliquamdiu vitam possent. Cicero I. ad Attic. Ep. 8. et I. de Orat. c. 60. subsidium *senectuti*. Tacitus XV. Ann. c. 63. Subsidium *rei familiari*. Svetonius in Othon. c. 5. *Servo Caesaris decies sestertium expresserat, hoc* subsidium *tanti coepti fuit*.

(21) *Quidam curiosior*. *Curiosus* est qui aliena *curat*, aliorum negotia et facta vult nosse: Plautus Stich. II. 1. v. 44.

Sed curiosi *sunt hic quam plures mali,*
Alienas res, qui curant *studio maximo,*
Quibus ipsis nulla est res, quam procurent, sua.

Cicero II. de Fin. c. 29. *Reperiam multos vel innumerabiles potius, nec tam* curiosos, *nec tam molestos, quam vos estis*.

(22) *Ex opibus*. Nam locuples factus fuerat.

(23) *Mecum, inquit, mea sunt cuncta*. Nempe Simonides. Ex dicto vetere. Cicero Parad. I. cap. 2. *Quum patriam Biantis Prienem cepisset hostis, ceterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent, quum esset admonitus a quodam, ut idem ipse faceret: Ego vero, inquit, facio. Nam omnia mea* mecum *porto*. Et Valerius Max. VII. c. 2. num. 3. ext. De eodem Biante: *Ego vero, inquit, bona mea* mecum *porto*.

(24) *Enatant*. Natando ad litus perveniunt, natando ex mari evadunt. Proprie. Hirtius B. Alex. c. 18. *Se in mare praecipitaverunt, et octingentorum passuum intervallum ad oppidum* enataverunt. Horatius Art. Poet. v. 20. *Si fractis* enatat *exspes, Navibus*. Et Seneca Epist. 22. *Nemo cum sarcinis* enatat.

(25). *Nam*. Ex Cod. Perott. Vulgo *quia*.

(26) *Onere*. Zonarum, et rerum pretiosarum quibus sese oneraverant.

(27) *Degravati*. Gravitate oneris deorsum pressi, in profundum tracti. Columella I. R. R. c. 5.

Praedones adsunt (29), rapiunt quod quisque extulit (30),
Nudos relinquunt (31). Forte Clazomenae (32) prope (33)
Antiqua fuit urbs, quam petierunt (34) naufragi.
Hic (35) literarum quidam studio deditus (36),
Simonidis qui saepe versus legerat,
Eratque absentis (37) admirator maximus,
Sermone ab ipso (38) cognitum cupidissime
Ad se recepit (39); veste, nummis, familia
Hominem exornavit (40). Ceteri tabulam suam

Por-

c. 5. *Paullatim degravatum pondere suo praeceps attrahitur*, Et Livius lib. IV. c. 33. *Etiam peritos nandi lassitudo et vulnera, et pavor* degravant.

(28) *Perierunt*. Ut habet Codex Perottinus, et maluerunt legere Salmasius, Heinsius, Guyetus, Burmannus. Vulgo *perierant*.

(29) *Praedones adsunt*. Incurrunt in eos, advolant ad eos spoliandos.

(30) *Extulit*. Nempe ex naufraga navi, ex mari, e naufragio liberavit. Plautus Amph. II. 1. v. 82. *Ex navi* efferantur, *quae imperavi*.

(31) *Nudos relinquunt*. Omnibus plane eos spoliant. Vid. Lib. I. Fab. 29. ad v. 12.

(32) *Clazomenae*. Urbs Asiae minoris in Ionia ad mare posita.

(33) *Prope*. Iuxta, apud. Absolute. Vid. Lib. I. Fab. 24. ad v. 3.

(34) *Quam petierunt*. Ad quam Urbem se contulerunt miseri isti naufragi et nudi. Eleganter. V. Ciceronem pro Planc. c. 41. XIV. Epist. Fam. 4. Valerium Flaccum I. Arg. v. 91.

(35) *Hic*. Hac in Urbe, Clazomenis.

(36) *Literarum studio deditus*. Qui operam dabat studiis literarum, qui literis vacabat. Ita Cicero I. Famil. Epist. 7. Pro Archia c. 2. De Harusp. resp. cap. 9.

(37) *Absentis*. Ignoti, quem de facie non noverat, quum a se abesset, et longe viveret ab eo.

(38) *Sermone ab ipso*. Ab ipso loquendi modo, ex dialecto, et familiaribus Poetae dicendi modis. Ita Caesar I. B. Gall. c. 22. *Aliquem* ab armis *cognoscere*.

(39) *Ad se recepit*. Apud se, domum suam. *Recepit*. Proprie. Cicero pro Archia c. 3. *Luculli eum* domum suam receperint. Livius lib. XXVII. c. 25. *Eum ne quis urbe, tecto, mensa, lare* reciperet.

(40) *Veste, nummis, familia hominem exornavit*. Vestibus, pecunia, servis Simonidem donavit. Eleganter vero *exornavit*. Vid. Terentium Eun. II. 4. v. 16. Ciceronem in Caton. Plinium lib. XXX. c. 1. Curtium lib. VIII. c. 13. Vitruvium Proem. ad lib. VI.

Portant (41) rogantes victum (42), quos casu obvios (43)
Simonides ut vidit: Dixi, inquit (44), mea
Mecum esse cuncta? Vos quod rapuistis (45) perît.

FABULA XXV.

Musca, et Formica.

Formica et Musca contendebant acriter (1);
Quae pluris esset (2). Musca sic coepit (3) prior:
Con-

VI. Architect. ubi hisrotiolam de Aristippo Philosopho narrat isti Simonideae similem.

(41) *Tabulam suam portant.* Mos erat Veteribus, ut, ubi naufragium passi fuissent, in parvis tabulis naufragium ipsum et casum suum pingere facerent, potissimum ut hominum misericordiam in se excitarent, et eo pacto, vitam, rogantes victum, tolerarent. Qua de re vide Horatium I. Od. 5. v. 13. Ovidium I. Trist. Eleg. 5. v. 8. Persium Satyr. I. v. 89. Et Satyr. VI. v. 32. Iuvenalem Sat. XIV. v. 301.

(42) *Rogantes victum.* Aliquid rogantes in victum, quo vitam sustinere possent.

(43) *Obvios.* Nempe sibi. Svetonius in Caes. c. 81. *Libellus insidiarum index ab* obvio *quodam porrectus.* Vulgo *obvius.* Sed lectio Codicis Perottini genuina est.

(44) *Dixi, inquit,* etc. Simonides scilicet. Multae vis est illud *dixi*, qua voce utimur, quum aliquid vel a nobis recte factum dictumque, vel ab aliis perverse, quod antea monuerimus exprobramus. Ita Terentius Andr. III. 5. v. 15. *Annon* dixi *hoc esse futurum?* Adelph. I. 2. v. 3. Dixin' *hoc fore?* Ita Propertius I. Eleg. 9. v. 1. Ovidius I. Am. 14. v. 1. Seneca Apocol.

(45) *Rapuistis.* Tanta festinatione, tanta sollicitudine collegistis. *Rapio* eleganter hac potestate sumitur. Ita Ennius apud Ciceronem III. de Orat. c. 40.

. . . Vive, Ulixes, dum licet,
Oculis postremum hoc lumen
radiatum rape.

Petronius Satur. c. 114. *Et ultimum hoc gaudium fatis properantibus rape.*

(1) *Acriter.* Magno ardore et pertinacia.

(2) *Quae pluris esset.* Maioris nempe pretii, utra pluribus et potioribus dotibus, utra insignioribus muneribus, et maiori virtute esset instructa. Cicero XII. ad Attic. Ep. 28. *Mea mihi conscientia* pluris *est, quam hominum.* VI. Philipp. c. 4. *Hic* pluris *est, quam alius.*

(3) *Coepit.* Supple *loqui.* Ita Vir-

Conferre (4) nostris tu (5) potes te laudibus (6)?
Ubi immolatur (7), exta praegusto Deûm (8),
Moror inter aras (9), templa perlustro omnia (10),
In

Virgilius I. Aen. v. 525. VI. v. 372. etc.

(4) *Conferre te*. Comparare te, aequare. Nam comparatio sine collatione haberi non potest. Cicero autem pro Rosc. Comoed. c. 7. *Vitam inter se utriusque* conferte. Ovidius I. ex Pont. 1. v. 25.

Nec me nominibus *furiosus*
confero *tantis*.

Ita II. Am. 17. v. 13. etc.

(5) *Tu*. Contemnentis et spernentis est. Virgilius Eclog. III. v. 25.

Cantando tu *illum*?

(6) *Nostris laudibus*. Nobis scilicet, ob praestantes dotes laudatissimis, mihi tot laudibus claræ. Quam apposite, perinde ac Musca tota laus, tota gloria esset. Simili pacto supra Ovidius *tantis nominibus*. Tum recte etiam *nostris*, nam superbe et insolenter musca loquitur.

(7) *Ubi immolatur*. Ubi sacrificatur: Ubi victimae Diis offeruntur. Proprie *immolare* est *molâ* aspergere, quae far erat tostum, et molâ tritum, sale immixto. Sed quoniam nulla erat hostia, quae sacrificari Diis posset, nisi prius istâ molâ aspergeretur, et proprie *immolaretur*, ideo *immolo*, ut hîc fuit omnino sacrificare, hostiam offerre: Quo sensu Varro IV. L. L. c. 7. Cicero II. de Divin. c. 17. etc. voce usi sunt.

(8) *Exta praegusto Deûm*. *Exta Deûm* sive Deorum, sunt exta hostiarum cor nempe, pulmo, hepar, lien, et alia viscera, iam Diis sacra, quae in Deorum honore comburebantur, et quorum nidorem Dii gustare, et eo suaviter frui putabant: Ut Homerus potissimum est testis, et Lucianus. Tum *exta* in hostiis proprie Deorum esse existimabantur, et ea maxime religioso ritu Diis offerebantur. Sic vetus formula apud Macrobium III. Satur. c. 2. Exta *porriciunto Diis, danto in altaria, aranive focumque, eove quo exta dari debeant*. Vid. et. Plautum Pseud. I. 3. v. 31. Virgilium II. Georg. v. 193. Martialem XI. Epigr. 58. *Praegustare* autem est gustationem cibi antea facere, praelibare, aliquid antea cibi potusve ex maiore copia sumere. Musca vero eo sensu id dixisse fingitur, ut se Deorum convivam ostenderet, et non gustare tantum Deorum cibos, sed etiam *praegustare*. Ovidius I. Am. 4. v. 33.

Si tibi forte dabit quos prae-
gustaverit ipse,
Reiice libatos illius ore ci-
bos.

(9) *Moror inter aras*. In locis nempe sacris, purissimis, ceteris omnibus potioribus. *Moror* hic ad lubitum maneo, habito, vivo. Quo sensu Horatius II. Od. 3. v. 23. Ovidius II. ex Pont. 8. v. 12. Seneca Epist. 32. voce usi sunt.

(10) *Templa perlustro omnia*. Nullum templum mihi praeclusum est, singula templa circumlustro. Ad rem Plautus Mercat. II. 3. v. 26.

Mu-

In capite regis (11) sedeo (12), quum visum est mihi,
Et Matronarum (13) casta delibo oscula (14):
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor (15).
Quid horum simile tibi contingit (16) rustica (17)?
Est gloriosus (18) sane convictus Deum (19).
Sed

Musca est meus pater, nihil potest clam illam haberi;
Nec sacrum, nec tam profanum quidquam est quin ibi illico adsit.

Burmannus, Cuningamius, aliique non pauci interpungere malunt *templa*, *perlustro omnia*. Sed parum apte. Nam *τὸ omnia*, et cloachas et universa loca immunda complectitur. Verum hac de re abunde diximus in Variant. nostris.

(11) *Regis*. Maximae nempe et augustae personae, ad quam ceteri omnes paventes tantummodo accedunt.

(13) *Sedeo*. Apposite. Nam de honestissimo loco agitur. Vide vero etiam Lib. I. Fab. 25. ad v. 1.

(13) *Matronarum*. *Matronas* appellabant Romani matresfamilias nobilitate generis et morum integritate praestantes. Plautus Cistell. I. 1. v. 26. *Ubi istas videas summo genere natas, summatis* matronas. Ita Horatius I. Satyr. 2. v. 63. Cicero pro Coelio c. 13.

(14) *Casta delibo oscula*. Casta ora carpo, castum os matronarum libo. *Osculum* proprie est parvum os, elegans, pulcrum. *Delibo* vero est leniter et suaviter tango, delicate carpo. Virgilius I. Aen. v. 26. Oscula libavit *natae*. Et lib. XII. v. 434. *delibans oscula*. Verum quidem in his Virgilii locis *libare oscula* esse osculari: Sed hac sententia non dixerim apud Nostrum sumi. Nam secus non fuissent *casta*. Sed ob dignitatem, elegantiam, et pulchritudinem hoc loco dictum puto: Perinde ac scripsisset ego per delicata et pulchra ora Matronarum versor, mororque.

(15) *Optimis rebus fruor*. Sine ullo meo labore, curis omnibus vacua exquisitissimis cibis fruor. *Bonae, et optimae res*, delicati et lauti cibi a Romanis dicebantur. Quo sensu Publius Syrus in Sentent.

Bonarum rerum *consuetudo pessima*.

Vid. et. Nepotem in Attic. c. 13. Et in Agesilao c. 8. Horatium II. Satyr. 6. v. 110.

(16) *Contingit*. Proprie, veluti de rebus maxime prosperis, felicibus agatur. Plautus Cistell. II. 1. v. 21. *Quodcumque optas velim tibi* contingere. Ita Horatius I. Epist. 4. v. 9.

(17) *Rustica*. Agrestis, quae per rura et agros vivis, quae numquam urbanam vitam novisti, numquam delicias, et commoda urbium gustasti. Apposite. Haud alia forte voce de formica plane triumphare musca videri poterat.

(18) *Est gloriosus*. Verba Formicae. Gloriam adfert, multae laudi vertitur.

(19) *Con-*

Sed illi qui invitatur, non qui invisus est (20):
Reges (21) commemoras, et matronarum oscula (22):
Ego granum (23) in hiemem (24) quum studiose congero (25),
Te circa murum (26) pasci video (27) stercore.
Aras frequentas (28), nempe abigeris (29) quo venis (30):
Nihil laboras, atque ideo tu nil habes (31).

Su-

(19) *Convictus Deûm*. Convivari nempe cum Diis, unâ cum Diis cibum et victum sumere. Velleius lib. II. c. 33. *Profusa luxuria in* convictibus. Tacitus Ann. XIV. c. 4. *Tracto in longum* convictu. Plinius lib. XIV. c. 14. *Tanta vero vino Graeco gratia erat, ut singulae potiones in* convictu *darentur*.

(20) *Invisus*. Odiosus, abominatus, ut tu. Virgil. IX. Aen. v. 495

Invisum *hoc detrude caput sub Tartara telo*.

(21) *Regis*. Iam dixerat musca se in regum capitibus insidere. Quod interpretationem nostram probat.

(22) *Matronarum oscula*. Ora, faciem, vultum, quia circa ea se versari, et commorari iactasset.

(23) *Granum*. Frumenti grana. Varro I. R. R. c. 48. *Spica ea quae mutilata non est in hordeo et tritico habet continentia* granum, *glumen*, *aristam*. Quintilianus II. Inst. c. 20. *Inserere* grana *in acum*.

(24) *In hiemem*. Quo in hieme fruar, quo per hiemem utar. Simili syntaxi Terentius Andr. II. 2. v. 32. *Ferre in* coenam. Et Adelph. III. 3. v. 16. *Dare in* sumtum.

(25) *Congero*. Proprie. Cicero I. de Div. cap. 36. *Midae illi Phrygio, quum puer esset, dormienti formicae in os tritici grana* congesserunt. Symposius Aenygm. 22. *de* ipsis formicis.

Non gero *multa simul, sed* congero *multa vicissim*.

(26) *Circa murum*. Non circa reges, non circa matronas, sed circa immundos, et foedos muros.

(27) *Pasci video*. Vesci, satiari. Vulgo *video pasci*. Illud est ex Cod. Perott.

(28) *Aras frequentas*. Frequens es ad aras, saepius ad aras advolas. Cicero V. Famil. Epist. ult. *Qui* freq. entant *domum meam*. Tacitus II. Hist. c. 16. *Qui Pacarium* frequentabant.

(29) *Abigeris*. Expelleris, eiiceris. Sed illud proprie. Plautus Amph. Prolog. v. 149 Abigam *iam ego illum advenientem ab aedibus*. Trucul. II. 1. v. 41. Abige *anseres de frumento*. Cicero II. de Orat. c. 60. *Abige muscas*.

(30) *Quo venis*. In quemcumque locum tu veneris, inde statim abigeris. Schefferus legere malebat *quum*. Sed nulla ratione. *Quo* genuinum est. Nempe *ex quo*, *statim ac*.

(31) *Atque ideo tu nil habes*. Nil possides, nullius plane rei domina es, omnium prorsus es indiga et inops. Ita Plautus Rud.

Super etiam(32)iactas tegere quod debet pudor(33)?
Aestate me lacessis, cur brumâ siles (34)?
Mori contractam (35) quum te cogunt frigora;
Me copiosa (36) recipit incolumem (37) domus.
Satis profecto retudi (38) superbiam (39).

Fa-

Rud. V. 2. v. 34. *Miserum istuc verbum et pessimum est habuisse, et* nihil habere. Terentius Adelph. IV. 7. v. 7. *Virgo* nihil habet. Martialis XI. Epigr. 33.

Non est paupertas, Nestor,
habere nihil.

Vulgo legitur: *ideo quum opus est nil habes*. Sed quid illud *quum opus est?* Musca numquam possidet quidquam, et semper contra alienarum rerum opus habet. Nec hiemis tempora spectantur: Nam vel tum ut in aestate vivit, vel frigore contracta moritur. Propterea lectio Codicis Perottini *ideoque nihil habes* a nobis eo pacto emendata, quum sententiam egregiam et opportunissimam praeseferat, potior et verisimilior visa est.

(32) *Super etiam*. Insuper, praeter haec: quo sensu Lib. I. Fab. 19. v. 13. vox sumitur. Vulgo legitur *superba*. Sed id elidit arbitrio suo Pithoeus. Nam tum suus, tum Remensis Codex, ut Noster modo habet, *super etiam* exhibuerunt.

(33) *Tegere quod debet pudor*. Quod prae pudore reticere deberes; quod prae verecundiâ silentio obruendum esset: Te scilicet optimis rebus frui, quum nil labores. Nam hoc pacto te f rari, te rapere, raptoque suaviter et laute vivere impudentissime prodis. Quid autem est, cuius quemvis vehementius pudere deberet? Passim Interpretes haec ad oscula matronarum referunt. Sed perperam. Nam primum, ut vidimus, ea minime ad libidinem et impudicitiam dicuntur, sed potius ad elegantiam et dignitatem. Nam dicuntur *casta*. Tum si Auctor his verbis matronas spectasset, eo loco collocasset, quo de matronis locutus est. Quin palam est eas spectare non voluisse. Nam est *super etiam*. Sed hac de re abunde in Variant. nostris.

(34) *Cur brumâ siles*. Per brumam, per hiemem. Vulgo *quum bruma est siles*. Sed lectio Perott. Codicis venustior est, et argutior.

(35) *Contractam*. Proprie. Manilius II. v. 252.

Tuque tuo, Capricorne, gelu
contractus *in astris*.

Columella VI. c. 16. *Vermes si mane perfundantur aqua frigida rigore* contracti *decidunt*. Ita et IX. c. 13. Tum Seneca de Irâ II. c. 9. Svetonius in Aug. c. 80.

(36) *Copiosa*. Copiis abundans, omnibus bonis rebus instructa. Cicero V. ad Attic. Ep. 18. *Locus* copiosus *a frumento*. Gellius VII. cap. 1. *Oppidum re etiam cibaria* copiosum.

(37) *Incolumem*. Sanam, valentem, cui frigora non nocent.

(38) *Retudi*. Depressi. Eleganter. Livius lib. XXXIII. c. 32. *Linguam et sermones quorumdam* retundere. Atticus ad Cicer. in lib. XVI. Epist. hu-

17 ius

Fabella talis hominum discernit notas (40),
Eorum qui se falsis (41) ornant laudibus (42),
Et quorum virtus exhibet solidum decus. (43).

FABULA XXVI.

Simonides a Diis servatus (*).

Quantum valerent (1) inter homines literae,
Dixi superius (2): Quantus nunc illis (3) honos
A Su-

ius n. 5. *Praesentiâ belle iste puer retundit Antonium.* Cicero XII. Famil. Epist. 14. *Improbitatem retundere.*

(39) *Superbiam.* Muscae inepte gloriosae. Haec etiam Formica, ut patet. Burmannus aliter legere malebat: Sed temere, nam nec ulla Codicum auctoritas, nec sententia pro eo sunt. Vid. Variant. nostras.

(40) *Discernit notas.* Distinguit peculiares characteres, discernere facit inter se homines, manifestum facit, quae eorum notae sint, et veri characteres. Translatio sumta ex doliis et amphoris vinariis, quibus *notae* quaedam adiiciebantur, ut vina invicem discernerentur. Hoc sensu Cicero VII. Famil. Ep. 29. *Nos de meliore notâ.* Catullus Carm. LXVIII. v. 28. *Quisquis de meliore notâ.* Seneca Ep. 52. *Nos ex illa prima notâ non sumus.*

(41) *Falsis.* Quae falso, futili, inani fundamento innituntur: ut musca.

(42) *Ornant laudibus.* Eleganter. Cicero II. Philipp. c. 11. *Qui me non solum meis laudibus ornaret, sed oneraret alienis.*

(43) *Solidum decus.* Gloriam veram, solidam, decus sincerum, egregiis dotibus debitum. Cicero III. Tusc. c. 2. *Est enim gloria solida quaedam res et expressa, non adumbrata.* Philipp. V. c. 18. *Quid enim stultius quam inutilem potentiam, invidiosas opes, cupiditatem dominandi praecipitem et lubricam anteferre verae, gravi, solidae gloriae.* Et in Vatin. c. 3. *Homo* solidae laudis, *veraeque gloriae.*

(*) Hanc historiolam praeter Nostrum narrant pariter vel attingunt Cicero II. de Orat. c. 86. Val. Maximus lib. I. c. 8. ex. 7. Quintilianus lib. XI. c. 2. Callimachus in Fragm. a Bentleio Collect. n. LXXI. Suidas in Σιμωνίδης etc.

(1) *Quantum valerent.* Quanti valoris essent, quanti pretii, quam utiles.

(2) *Superius.* Paullo supra, paullo ante: Fabula nempe XXIV. ut hic numeramus. Quo sensu Hirtius B. Hispan. c. 28. *Namque ut superius demonstravi-*

A Superis (4) sit tributus (5) tradam memoriae (6).
Simonides idem ille, de quo retuli (7),
Victori (8) laudem (9) cuidam Pyctae (10) ut scriberet (11),
Certo conduxit pretio (12): Secretum petît (13).
Exi-

vimus loca excellentia tumulus continet. Et cap. 34. *Quas circummunitas* superius *demonstravimus*. Valerius Max. III. c.2. n. 19. *Sed ut* superius *armorum et togae, ita nunc et siderum clarum decus divum Iulium repraesentemus*. Ita et apud alios Scriptores. Haec autem satis in Desbillonium, qui autumabat *superius* parum Latinum esse.

(3) *Illis*. Literis.

(4) *A Superis*. Ab ipsis Diis, qui suo favore, honore, tutela literas sunt prosecuti.

(5) *Tributus*. Proprie. Cicero III. Fin. cap. paenult. Tributus *idem est* honos. Et Noster in cet. vulg. lib. I. fab. 7. v. 3. *Quibus* honorem *et gloriam Fortuna* tribuit.

(6) *Tradam memoriae*. Scribam, literis tradam, posteritati committam. Cicero Paradox. III. cap. 2. *Bene hercle narras. Nam istum doctum et sapientem virum fuisse* memoriae traditum est.

(7) *Retuli*. Historiolam scilicet, rem quamdam gestam. Vide Lib. I. Fab. 19. ad v. 17.

(8) *Victori*. Ex Cod. Perott. Vulgo *Victoris*. Sed illud genuinum esse iam plures Critici agnoverant. Vid. Variant. nostras. Quamobrem mirari subit quomodo Brotierius pro vetere lectione stare voluerit, nec viderit hic dativum casum longe satius ad sententiam et syntaxin facere, quam genitivum.

(9) *Laudem*. Laudationem, ἐγκώμιον: Quo sensu sumitur supra Fab. 24. v. 5. quem locum adi.

(10) *Pyctae*. Scilicet pugili. Graeca vox, sed latinis Scriptoribus passim usurpata. Columella VIII. R. R. c. 2. *Gallinaceus* pyctes. Seneca Rhetor. I. Controv. 3. *Hoc male mihi faciet iste, qui aut* Athleta, *aut* Pyctes *est*. Alter Seneca Quaest. nat. IV. c. 1. *Apollonius* pycta. Plinius lib. VIII. Hist. c. 47. *Euthymus* pycta *semper Olympiae victor*.

(11) *Ut scriberet*. Ut componeret, conscriberet. Quintilianus lib. XI. c. 2. *Quum pugili*, ait, *coronato carmen quale componi Victoribus solet, mercede pactâ*, scripsisset.

(12) *Certo conduxit pretio*. Certâ, constitutâ, determinatâ mercede carmen in Pyctam sumsit conscribendum. *Conduxit* hic est ex solemni formula, qua artifex pollicebatur se facturum opus pacto pretio. Quo sensu Cicero II. de Div. c. 21. *Columnam* conduxerat *faciendam*. Ulpianus Dig. XIX. Tit. 2. Leg. 13. Conducere *columnam, tignum transportandum*. Festus: *Redemtores proprie atque antiqua consuetudine dicebantur, qui quum quid publice faciendum aut praebendum* conduxerant *effecerantque, tum demum pecunias accipiebant*. In multis Phaedri libris

Meur-

Exigua (14) quum frenaret (15) materia impetum (16),
Usus Poetae more (17) est, et licentiâ (18),
Atque interposuit (19) gemina Ledae sidera (20),
Auctores apte similis referens gloriae (21).

Opus

Meursio et Scaligero auctoribus irrepsit *condixit*, sed contra omnium Codicum auctoritatem, et genuinam verbi sententiam ac proprietatem.

(13) *Secretum petit*. Concessit in locum secretum, ut carmen diligentius conscriberet, ut illi poëmari totus vacaret. Plinius Caecil. I. Ep. 5. *Regulus illuc me persecutus* secretum petit. *Secretum* autem veluti proprium Poetarum semper fuit. Vid. Ovidium I. Trist. Eleg. 1. v. 41. Horatium Art. Poet. v.255. Auctorem Dialog. de Corr. Eloqu. c.XII. Quintilianum lib. X. c.3.

(14) *Exigua materia*. Levis, tenuis materia eius victoriae, et quam generatim Pyctae Persona suppeditare poterat.

(15) *Frenaret*. Cohiberet, coerceret ne spiritus ad sublimia et nobilia attolleretur. Tenuitas materiae prohibebat, quo minus egregium carmen conscriberetur.

(16) *Impetum*. Oestrum quo Poetae rapiuntur: Sublimem illum spiritum, quo Lyrici potissimum impleri, moveri, et agitari debent. Quo sensu Ovidius VI. Fast. v. 5. Et IV. ex Pont. 2. v. 26. Tacitus XIV. Ann. c. 16. aliique vocem sumserunt.

(17) *Usus Poetae more*. More Poetarum, more a Poetis usurpato. Cicero hanc ipsam historiolam narrans loc. cit. *In quo carmine multa ornandi caussâ*, Poetarum more, *in Castorem scripta et Pollucem fuissent*. Tum Quintilianus: More Poetis *frequentissimo digressus in laudes Castoris et Pollucis exierat*.

(18) *Et licentiâ*. Qua Poetae multa sibi permittunt, indulgentque. Nam ut ait Horatius in Art. Poet. v. 9.

. . . *Pictoribus atque Poetis*
Quidlibet audendi semper fuit
aequa potestas.

Tum Cicero III. de Orat. c.38. *Verba prisca, quae sunt* Poetarum licentiâ *liberiora, quam nostra*. Vid. vero Var. nostras.

(19) *Interposuit*. Quod absolute ad argumentum suum non facerent: Quod victoriam Pyctae necessario non spectarent. Vid. Prolog. lib. II. v. 9. Et Prolog. lib. V. v. 1.

(20) *Gemina Ledae sidera*. Laudem nempe Castoris et Pollucis filiorum Iovis et Ledae uxoris Tyndari: Unde et *Dioscuri* graeca voce, seu Iovis filii, et *Tyndaridae* quoque vocabantur. Putabant Veteres conversos fuisse in sidera. Vid. Horatium I. Ode 3. v. 2. Senecam Hercul. Fur. v. 13. etc.

(21) *Auctores apte similis referens gloriae*. Idonee canens, opportune laudans eos, qui vel primi eius gloriae auctores fuerant, vel eam late auxerant, celebraverant, et valde insignem fecerant. Vid. Horatium I. Ode 12. v. 25. Et II. Satyr. 1. v. 26. Ovidium V. Fast. v. 700. Senecam

cam

Opus adprobavit (22): Sed mercedis (23) tertiam
Accepit partem: Quum reliqüas (24) posceret:
Illi, inquit (25), reddent (26), quorum sunt
laudis duae (27):

Ve-

cam Medea v. 88. etc. Tum Statium VI. Theb. v. 740. et v. 819. Et Theocritum in Idyll. XXIII. quod totum de Dioscuris est. Vulgo legitur: *Auctoritatem similis referens gloriae*. Sed quid sibi vult *referens auctoritatem*? Si *refero* est *narro*, haud perspicue intelligitur quid sit *narrans auctoritatem*, nec videtur plane latinum. Si est *adduco*, ut *referens auctoritatem similis gloriae*, sit adducens ad rem suam similis gloriae pondus, veluti ad quandam similitudinem et comparationem, quod tamen nec omnes concesserint facile: et tum non intelligitur quomodo Simonides duas fere solidas partes laudis in quamdam similitudinem insumeret, nec quomodo victoriam Pyctae Deorum victoriis opponere quodammodo et comparare ausus fuisset. Nam *similis gloriae* hac lectione esset similis victoriae, similis pugnae, ut Interpretes revera explicant. Potior ergo videtur Perott. Cod. lectio, a nobis proposita, et iam a Burmanno emendata, quum in MS. sit *aptae*.

(22) *Opus adprobavit*. Simonides scilicet adprobavit carmen suum Pyctae: Vel ut nos modo loquimur Pycta probavit carmen, quod in eum Simonides conscripserat. *Adprobavit* ex solemni formula. Quum redemtor absolverat et perfecerat opus quod conduxerat, obtuleratque Conductori; Si is fatebatur eo opere contentum esse, recte, et bene factum, tum redemtor dicebatur *adprobasse opus* suum. Vitruvius lib. IX. c. 3. *Hiero coronam immani pretio locavit faciendam, et aurum ad sacoma* (pondus) *rependit redemtori. Is ad tempus opus manufactum subtiliter Regi* adprobavit. Vid. et. Brisson. de Formul.

(23) *Mercedis*. Quamvis iam pactae, iam constitutae.

(24) *Reliquas*. Nempe partes mercedis, duas mercedis partes, quae supererant. In multis Phaedri editionibus, ut in Perott. Codice est *reliquum*. In Pithoeano et Remensi fuit *reliquam*. In aliis Editionibus *reliqua*, vel *reliquas* legitur. Nobis hoc postremum praeferendum esse visum fuit. Nam primum *το tertiam partem* satius ad syntaxim excipit *reliquas* nempe *partes*, quam *reliquum*. Praeterea quum legis *reliquum*, unde tu sumes *partes*, quod *το duae* requirunt? Sed optime *reliquas* et *duae* sibi respondent. Nec verum est quod aiebat Iuvenatius, cuius verba in Variant. nostris adtulimus illud *tertiam partem* suspendere orationem, et Lectorem expectare cogere dum cetera quibus respondent reddantur. Nam rectissime ibi finiri sermo potest, nec ea necessario ad alia respondent. Tum *reliquum* institutam syntaxin abrumpit.

(25) *Inquit*. Pycta.

(26) *Reddent*. Solvent tibi reli-

Verum ut sine ira te dimissum sentiant (28),
Ad cenam mihi promitte (29), cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi (30).
Fraudatus (31) quamvis, et dolens iniuriâ,
Ne male Dîs missam gratiam corrumperet (32),
Pro-

liquas duas partes mercedis. Proprie *reddent* veluti ex debito, ex iure. Vid. Senecam III. de Benef. c. 14. Epist. 18. Petronium in Satur. c. 57.

(27) *Laudis duae*. Duae nempe *partes* laudis, duae *partes* carminis. Simonides duas ferme partes totius in Pyctam carminis in laudandis Dioscuris insumserat. Vid. Variant. nostras.

(28) *Verum ut sine ira te dimissum sentiant*. Sensus est: Verum ut Castor et Pollux potentes et magni Dii sine ira in me, erga me boni, faciles, placidi, sentiant te fuisse dimissum. Ne Castores in me irascantur, quod ita dimissus fueris. Pycta putabat quidem nil plane amplius Simonidi deberi: Sed quoniam mercedem pactam ideo illi non solvebat, quod Dioscuros laudaverat merito vereri debebat, hos ideo sibi irasci, fierique adversos. Quamobrem Deorum pacem optans eorum gratiâ et intuitu Simonidem ad cenam vocat. Vulgo aliter atque aliter Critici legunt et interpretantur. Sed mendose dubio procul et perperam. Nec dubitari potest quin Perottini Codicis lectio, quam protulimus vel genuina plane sit, vel omnium saltem verisimillima. Vid. Variant. nostras.

(29) *Ad cenam mihi promitte*. Promitte mihi te venturum esse ad cenam meam. Ex receptâ formulâ. Vid. Plautum Menech. V. 2. v. 42. In Stich. IV. 2. v. 16. Petronium Satur. c. 10. Plinium Caecil. I. Epist. 15.

(30) *Quorum es in numero mihi*. Habeo nempe te ut cognatum meum, ut unum de cognatis meis. Urbanitatis et humanitatis formula. Non dissimili pacto Terentius Phorm. III. 2. v. 11. Horatius I. Epist. 6. v. 54. Livius II. c. 38.

(31) *Fraudatus*. Mercede. Cui, quod debitum erat, negatum fuerat per fraudem. Debebatur enim ex pacto. Apud Ciceron. III. Offic. c. 17. ex veteri formula: *Uti ne propter te fidemque tuam captus*, fraudatusve *siem*. Svetonius in Calig. c. 48. Fraudatus *triumpho*.

(32) *Ne male Dîs missam gratiam corrumperet*. Simonides ne male et inepte corrumperet gratiam Dioscuris missam. *Gratia* dicitur quod gratum et acceptum facit, munus etiam, officium. Unde et Diis aliqua gratia fieri potest. Cicero I. de Nat. Deor. c. ult. *Deinde si maxime talis est Deus, ut nulla gratiâ, nulla hominum charitate teneatur, valeat*. Vid. et. Platon. in Euthiphron. *Missus* hîc est tributus, attributus, relatus, nuncupatus: et quo sensu Nepos in Pausan. 2. Catullus Carm. XII. v. 15. Virgilius Eclog. IX. v. 6. Ovidius V. Trist. 13. v. 1. dixerunt *mittere donum, munus*. *Corrumpere*

Promisit; rediit horâ dictâ (33), recubuit (34):
20 Splen-

ret vero est perderet, amitteret, sibi irritam et inutilem faceret. Quo sensu Ovidius II. Am. 19. v. 18.

Corrumpis *vitio gaudia nostra tuo*.

Tacitus XV. Ann. 71. *Veniam quam ab imperatore acceperat, vanitate exitus* corrupit. Seneca de Benef. lib. I. c. 1. *Ita gratiam omnem* corrumpimus, *non tantum postquam dedimus beneficia, sed dum damus*. Et Cicero II. Famil. Ep. 16. *Ut me existimares tam inconstantem, ut collectam* gratiam *florentissimi hominis effunderem*. Sensus est ergo: Quum Simonides putaret se eo carmine iisque laudibus gratam rem Dioscuris fecisse: ne eam *gratiam* perderet et amitteret, promisit ad cenam. Etenim si officium hoc repudiabat, si recusabat, Deorum gratiam corrumpere verebatur, quum eorum intuitu vocatus esset, et ea recusatione ostenderet, se minime sincero animo et eorum ratione laudem illam conscripsisse. Quam varie autem is versiculus in MSS. Codicibus, et vulgaris Phaedri libris legatur diximus in Variant. nostris. Nulla autem lectio ex illis est, quae probabilis dici possit. Omnes enim *το gratiam* ad Pyctam et Simonidem referunt, quod est omnino falsum. Etenim nec ulla gratia corrumpi potest, nisi iam inita et parata, nec Pycta cum Simonide gratiam inierat, quum indigne eum fraudasset, nec Simonides cum Pyctâ, quod Dioscuros potius, quam eum laudasset, unde fraudatus in mercede fuerat. Sed omnino *gratia* Deos spectat. Quamobrem nos Gudii coniectionem praetulimus, et pro *dimissam*, quod Codicum est, scripsimus *Dis missam*, quae certe lectio omnibus est verisimilior. Verum neque hanc esse verisimillimam ego contenderim, nec genuinam. Etenim nescio an *mittere gratiam* rectissime et perspicue eo sensu dici possit. Quamobrem ego potius mihi legerem:

Ne male Divorum gratiam corrumperet:

Quod certe opportunissimam sententiam praesefert. Ne scilicet perderet gratiam quam cum Dioscuris inierat eos tam scite laudando. Nec difficile fuit pro *Divorum*, irrepere *dimissam*, quod paullo ante *dimissum* lectum fuerat. Tum si *dimissam* Codicum Heinsius, Gudius, Burmannus in *dimissus* converterunt, Gronovius in *commissam*, Burmannus iterum in *divisam*, haud puto audacissimum esse in tam incerto loco legere *Divorum*. Quin notum est Franciscum Harium veterum lectionum alioquin tenacem non dubitasse hic legere, quamvis parum apte: *Ne male dimissus se aegre ferre ostenderet*, vel etiam: *negando et initam gratiam corrumperet*, quae immanius quantum a Codicum fide discrepant.

(33) *Rediit horâ dictâ*. Hora statuta, constituta rediit ad Pyctam. In Lib. I. Fab. 15. v. 3. *dictus dies*. Quem locum adi.

(34) *Recubuit*. Ad mensam. Nam cubantes vescebantur, ut loc. cit. ad v. 25. observavimus.

Vid.

Splendebat (35) hilare (36) poculis convivium (37),
Magno adparatu (38) laeta resonabat Domus (39);
Repente duo quum Iuvenes (40) sparsi pulvere,
Sudore multo diffluentes (41), corpore
Humanam supra formam (42), cuidam servulo
Mandant, ut ad se provocet (43) Simonidem;
Il-

Vid. et. Horatium I. Ep. 5. v.1. Iuvenalem Satyr. III. v. 81.

(35) *Splendebat*. Proprie quod omnia munda et expolita essent, et multum esset argentum et aurum. Horatius I. Epist. 5. v. 5.

Iamdudum splendet *focus*, *et tibi munda supellex*.

(36) *Hilare*. Hilaratis exhilaratis vino Convivis. Virgilius Ecl. V. v. 69.

Et multo in primis hilarans *convivia baccho*.

Seneca Epist. 18. *Et* hilarius *cenandum*. Ita Iuvenalis Satyr. XV. v. 41.

(37) *Convivium*. Proprie. Nam *convivium* coena erat inter multos celebrata. Cicero de Senect. c. 13. *Bene Maiores nostri accubationem epularem amicorum, quia vitae coniunctionem haberet* convivium *nominarunt*.

(38) *Magno adparatu*. Instructa, exornata, splendida. Proprie. Vid. Ciceron. in Vatin. c. 13. Senecam Epist. 23. Tacitum II. Hist. c. 62. Virgilium I. Aen. v. 637.

(39) *Laeta resonabat Domus*. Laetis scilicet Convivarum plausibus, cantibus, vocibus. Ovidio quoque XV. Epist. v. 91. Et IV. Fast. v. 543. III. ex Pont. I. v. 135. *laeta domus*. Vid. et. Virgilium lib.cit. v.729. et lib. XII. v. 607.

(40) *Repente duo quum Iuvenes*. Quum subito duo Iuvenes, qui putabantur ipsi Dioscuri. In Pithoeano et Remensi Codice fuit *Repente quum*. Sed nemo ullus quod sciam Criticorum lectionem probavit. Heinsius, Hoogstratanus in diversa abierunt. Plures in hanc quam recepimus consenserunt. Eaque revera, auctoritate Perottini Codicis accedente, genuina est.

(41) *Sudore multo diffluentes*. Latine. Plinius lib. XXI. c. 13. *Nam et* sudore diffluunt. Apuleius lib. I. Met. p. 20. Edit. Delph. Sudore *frigido miser* perfluo. Et lib. II. p. 67. *Sudore diffluens*.

(42) *Corpore humanam supra formam*. Staturâ, magnitudine formâ corporis humanâ maiore, praestantiore, pulchriore. Vid. Valerium Max. lib. I. c. 8. n. 2. Iustinum lib. XX. cap. 3. Non pauci Interpretes legunt *corpora*. Sed vid. Variant. nostras.

(43) *Provocet*. Proprie. Nam *provocare* est vocare aliquem, qui intro est, ut exeat foras. Plautus Milit. Glor. IV. 3. v. 28.

Ibo igitur intro, tu hic ante aedes interim
Speculare, ut, ubi illaec prodeat, me provoces.

Ita Pseud. II. 2. v. 43. Terentius Eunuch. III. 1. v. 49. Ubi vid. Donatum.

(44) *Il-*

Illius interesse (44), ne faciat moram.
Homo perturbatus (45) excitat (46) Simonidem.
Unum promôrat (47) vix pedem triclinio (48),
Ruina camarae (49) subito oppressit (50) ceteros,
Nec ulli iuvenes sunt reperti ad ianuam (51).

Ut

(44) *Illius interesse.* Scilicet ipsius Simonidis, interesse sua, de re sua agi. Cicero IV. Fam. Epist. 20. *Multum* interest *rei familiari suae, se quamprimum venire.*

(45) *Homo perturbatus.* Servulus ille Dioscurorum aspectu turbatus, eoque nuntio valde commotus. Ita Cicero VIII. ad Attic. Ep. 11. Et lib. X. Ep. 14.

(46) *Excitat.* Iubet surgere, instat ut exeat statim, facit ut surgat, et exeat. *Simonides nuntio est excitus*, ut Quintilianus loc. cit. scribit. Proprie. Cicero II. de Orat. c. 8. Excitavi *moestum et sordidatum senem.* Petronius Satur. c. 96. *A cena excitatus.* Ita Martialis lib. V. Epigr. 14.

(47) *Promôrat.* Promoverat, vix unum pedem ex triclinio extulerat, vel vix pedem unum a triclinio aberat. Proprie. Nam *promoveo*, est procul, longe moveo. Terent. Eunuch. V. 3. v. 3.

. . . Chr. *Move vero ocyus*
Te, nutrix. Soph. *Moveo.*
Chr. *Video, sed nil* promoves.

Sic Hirtius VIII. B. Gall. c. 10. Livius lib. XXVIII. c. 44.

(48) *Triclinio.* Ex conclavi, ex camara, qua cena celebrabatur. *Triclinium* vox graeca a *τρεις κλινχις*, seu tribus lectis facta, mensa saepe fuit ad quam tres lecti ad discumbendum sternerentur. Sed quoniam peculiare conclave et mensae et cenae destinabatur, ipsum conclave, *triclinium* dictum fuit. Unde Quintilianus loc. cit. *Nam vix eo limen egresso*, triclinium *illud supra convivas corruit.*

(49) *Ruina Camarae.* Ruina conclavis, triclinii: camarâ conlapsâ. Proprie. Svetonius in Nerone cap. 34. *Cuius vel naufragio vel* camarae ruinâ *periret.* Vid. Martialem lib. I. Epigr. 83. quo quempiam casum similem narrat. *Camara* autem proprie est cubiculum fornicatum, testudine tectum, ut ex vocis etymo, Festo in voc. Nonio cap. I. p. 30. Isidoro lib. XV. Orig. c. 8. testibus patet. Unde Sallustius B. Catil. c. 58. *Carcerem tullianum muniunt undique parietes, atque insuper* camara *lapideis fornicibus vincta.* Quod quidem observandum: Nam ea voce fornicem potissimum et tectum conclavis spectasse videtur Auctor. Etenim si ipsum conclave corruisset, quum tam prope esset Simonides, eius etiam ruinâ oppressus fuisset.

(50) *Oppressit.* Proprie. Vid. Ciceronem II. de Div. c. 8. Et de ipso Simonide loc. cit. Et iterum de Simonide Valer. Max. lib. I. cap. 8. ext. 7.

(51) *Ianuam.* Domus Pycrae. Cicero loc. cit. *Prodisse, vidisse neminem.*

(52) *Or-*

Ut est vulgatus ordo narratae rei (52),
Omnes dixerunt (53) Numinum praesentiam (54)
Vati (55) dedisse vitam (56) mercedis loco (57).

F A B U L A XXVII.

Demetrius Phalereus, et Menander Comicus.

Demetrius, qui dictus est Phalereus (1), Athe-

(52) *Ordo narratae rei*. Res ex ordine narrata, factum ordine relatum. Cicero de Harusp. Resp. c. 9. *Ordo rerum*. Tacitus IV. Ann. c. 11. *Ordo sceleris*. Et cap. 69. *Ordo fraudis*. Svetonius in Claud. c. 37. Ordinem *rei gestae perferre*.

(53) *Omnes dixerunt*. Omnes praedicarunt, fassi sunt, confessi sunt uno ore. Vulgo legitur. *Omnes scierunt*. Quod ineptum est. Illud vero quod Codex Perottinus exhibuit dubio procul est genuinum. Vid. Variant. nostras.

(54) *Numinum praesentiam*. Numina facta praesentia. Castorem et Pollucem apparuisse et praesentes factos. Veteres et putabant et praedicabant Deos in forma et specie sua saepe sibi apparuisse, et secum fuisse versatos. Praesertim vero Dioscuros, quorum non paucas apparitiones referebant, ut videre est apud Valerium Maximum lib. I. cap. 8. Iustinum lib. XX. c. 3. quos citavimus: Tum Minutium Felicem in Octav. Lactantium lib. II. Instr. c. 7. Theocritum in Idyllio, atque alios. Vid. et. Ciceron. II. de Natur. Deor. cap. 66. Catullum Carm. LXIII. v. 384. Quin de istis praesentiis Deorum legi meretur eruditissimus Eques Michael Arditus in Epiphan. Deor.

(55) *Vati*. Simonidi.

(56) *Dedisse vitam*. Nam a morte subtraxerant. Ni eo pacto subvenissent cum ceteris periisset. Qui autem prohibet aliquem a morte, ne intereat, ei vitam dat.

(57) *Mercedis loco*. Pro ea mercede, qua eum Dioscurorum intuitu Pycta fraudaverat.

(1) *Demetrius, qui dictus est Phalereus*. Plures apud Graecos fuere nobilissimi Demetrii, inter quos fuit iste Demetrius dictus a natali loco *Phalereus*, a portu et pago Athenarum Phalero, quo Athenienses usi sunt usque ad Themistoclis tempora, ut Cornelius Nepos in Themist. c. 1. refert. Unde et Cicero pro Rabir. Posth. c. 9. *Demetrius, qui Phalereus vocatus est*. Is autem homo literatissimus fuit, et civilis prudentiae consultissimus, eumque altissimis laudibus exornavit Cicero II. de Leg. c. 26. Et lib. III. c. 6. Vid. et. Diogen. Laertium in vitâ.

(2) *Oc-*

Athenas occupavit (2) imperio improbo (3):
Ut mos est vulgi, passim et certatim ruit (4),
FELICITER subclamat (5): Ipsi Principes (6)
Illam osculantur, qua sunt oppressi, manum (7).

Ta-

(2) *Occupavit*. Proprie. Ita Cicero II. Offic. c. 23. occupare *Tyrannidem*. De Amicit. c. 12. et Philipp. V. cap. 6. occupare *regnum*.

(3) *Imperio improbo*. Non legitimo, quod minime legibus patriis inniteretur, quod haud haberet principium et caussam in civium voluntate: Sed artibus paratum esset, artificiis, gratiâ favore potentium occupasset. Hîc *improbo* non est saevo, aspero. Nam contra notum est Demetrium rectissime administrasse Rempublicam Atheniensium, quod locis cit. singillatim spectat, et praedicat Cicero, qui in Orat. pro Rabir. Posthum. cap. 9. etiam: *Accepimus*, ait, *Demetrium ex Republica Athenis, quam optime gesserat*. Tum Diogenes Laert. loc. cit. *Diu autem atque praeclare rem Atheniensium administravit*. Quamobrem donatus fuit singulari exemplo bene trecentis sexaginta statuis, inter quas et equestres plures, et curules erant, etsi Cornelius Nepos in Milt. c. 6. trecentas rotundo numero eas dicat. Et re quidem vera nullo pacto Noster administrationem ipsam Reipublicae spectare poterat: Nam id de Demetrio narrat, quod factum est, quum primum imperium adgrederetur, quum primum Civitatem regere inciperet: nec qui imperium occupat, imperium iam improbe et iniuste administravit. Quamobrem haud laborare debebant Interpretes, ut nescio quas *ἀδικίας*, et iniuste facta dum Rempublicam gereret Demetrio obiicerent.

(4) *Ruit*. Nempe vulgus. Apposite. Livius lib. XXVII. c. 41. *Eques pedesque* certatim *portis* ruere. Tacitus I. Annal. c. 7. *At Romae* ruere *in servitium Consules, Patres, Eques*. Ita Ovidius Metam. XV. v. 729. Vulgo legitur *ruunt*. Sed Pithoeanus, Remensis, et Perottinus Codex *ruit*, quod genuinum. Nam de uno vulgo agitur, et *ruunt* ambiguitatem parit. Vid. Variant. nostras.

(5) *Feliciter subclamat*. Scilicet subinde vulgus alta voce clamat: *Feliciter*, sit Demetrio Feliciter, omnia ei Feliciter eveniant. *Subclamare* est alta voce clamare visâ, auditâ, vel factâ aliqua re. Quo sensu Livius lib. III. c. 50. lib. XXVI. c. 22. aliique voce usi sunt. *Feliciter* vero ex veteri formulâ. Petronius Satur. c. 60. *Augusto Patri Patriae dictum* feliciter. Iuvenalis Satyr. II. v. 19. *dictum* Feliciter. Ita Florus III. c. 3. n. 20. Svetonius in Domit. c. 13.

(6) *Ipsi Principes*. Supple Civitatis. Ipsi praecipui cives, nobiliores, praestantiores, in Civitate maximi. Quo sensu vox usurpatur Lib. I. Fab. 9. v. 1. quem locum adi.

(7) *Osculantur manum*. Vetustissimus est mos osculandi manus in obsequium, et observantiam.

Tacite gementes tristem fortunae vicem (8):
Quin etiam resides (9), et sequentes otium (10),
Ne defuisse noceat (11), repunt (12) ultimi:
In quîs (13) Menander nobilis Comoediis (14),
Quas,

tiam. Vid. Plinium XI. Hist. c.45. Homerus Iliad. lib.XXIV. v. 475. apposite etiam ad reliqua:

Hos latuit ingressus Priamus magnus, prope vero stans
Manibus Achillis prehendit genua, et osculatus est manus
Terribiles, homicidas, quae ei multos interfecerant filios.

Et Quintilianus Declam. 218. *Caedentis manus osculari.*

(8) *Tristem fortunae vicem.* Immutationem, casum. Nam ut ipsi antea gerebant Rempublicam, et imperabant, tum alterius imperiis parere cogebantur. Hoc sensu Cicero pro Domo sua c.4. *Mihi necesse erit et meam et aliorum* vicem *pertimescere.* Seneca propius Med. v. 285.

. . . *Perque regnorum status,*
Fortuna varia dubiâ quos agitat vice.

(9) *Resides.* Cives, qui domi se continerent, nec Magistratus, nec Reipublicae munera ambirent, a publicis et gravibus negotiis alieni. Unde ad illud officium obeundum tardabant.

(10) *Sequentes otium.* Nempe literarum, studiis literalibus deditì. Veteres Romani quum una fere bella nossent, et civilia negotia, quae genus vitae valde actuosum et turbulentum postulabat, studium literarum, quod pacatum, quietum, secretum esset, *otium* appellarunt. Cicero l. Tuscul. c. 3. *Philosophia iacuit usque ad hanc aetatem, nec ullum habuit lumen literarum latinarum: quae illustranda et excitanda nobis est; ut si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam, si possumus, otiosi.* Virgilius IV. Georg. v. 563. de seipso:

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope studiis florentem ignobilis oti.

Vid. etiam Ovidium IV. Trist. VIII. v. 7. X. v. 39.

(11) *Ne defuisse noceat.* Ne sibi noceat defuisse ei officio. Ne aliquod malum in se pararetur, quod non adfuissent cum ceteris illi obsequio: Quo sensu Cicero II, ad Q. Fratr. 6. Et II. Philipp. c.29. voce usus est. Ad rem autem Livius lib. I. *Convenere extemplo alii iam ante ad hoc praeparati, alii metu ne non venisse fraudi esset.*

(12) *Repunt.* Lento gradu se trahunt, tarde eunt ad Demetrium. Apposite. Ita Seneca de Vit. Beat. c. 18. *Ex ingenti intervallo* reptabundus *sequor.* Multi legunt *reptant.* Sed Perott. Codicis lectio genuina est, ut in Variant. vidimus.

(13) *In quîs.* In quibus, inter quos cives tum privatae et otiosae vitae sectatores, tum literatos et studiis vacantes. *Quîs* pro quibus. Vid. Lib. I. Fab.8. ad v. 2.

(14) *Menander nobilis Comoediis.* Clarissimus, laudatissimus. Quod verum. Nam uno ore Ve-

Quas, ipsum ignorans (15), legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium Viri:
Unguento delibutus (16), vestitu fluens (17),
Veniebat gressu delicato et languido (18).
Hunc ubi Tyrannus(19) vidit extremo agmine(20):

Quis-

teros Menandri Comoedias altissimis laudibus exornarunt, ut ex Plutarcho in Comparat. Aristoph. et Menand., ex Quintiliano lib. X. Inst. cap. 1. Gellio lib. II. Noct. cap. 23., Suida, aliisque patet. Quin et fragmenta quae supersunt a Ioanne Clerico collecta luculenter probant quantum ingenium Viri fuisset. Hoc autem sensu *nobilis* eleganter sumitur. Cicero pro Rabir. Posth. c. 9. *Demetrius ex doctrina* nobilis *et clarus*.

(15) *Ipsum ignorans:* Nempe de facie: numquam eum de facie noverat. Quâ sententiâ Nepos in Aristid. c. 1. *Ille respondit se* ignorare *Aristidem*. Svetonius in Vitell. c. 17. *Ab iis extractus Vitellius e latebra, sciscitantes quisnam esset, nam ignorabatur, et ubi esse Vitellium sciret mendacio elusit*.

(16) *Unguento delibutus*. Perfusus, madens. Menander nempe. Cicero pro Rosc. Amer. c. 46. *Composito et* delibuto *capillo per forum volitare*. Horatius III. Epod. v. 13.

Hoc delibutis *ulta donis pellicem*
Serpente fugit alite.

(17) *Vestitu fluens*. Ex Cod. Perott. Vestibus nempe fluentibus, laxis, amplis. Tum molliores et delicatiores homines non strictis, sed largis et amplis vestibus utebantur. Vid. Horatium Epod. IV. v. 8. Et Art. Poet. v. 214. etc. Propertium II. Eleg. 22. v. 26. Et lib. III. Eleg. 16. v. 32. Petronium Satur. cap 133. Et Ausonium Idyll. V. Technopaegn. Vulgo *vestitu adfluens*, quod sententiam corrumpit. Vid. Var. nostras.

(18) *Gressu delicato et languido*. Molli, effeminato, cinaedico. Cicero I. de Orat. cap. 52. *Philosophus malus, languidus, enervatus, omnia ad voluptates corporis referens*. Seneca de Provid. c. 5. *Malos integris corporibus solutos et delicatos incedere*. Vide etiam quae adnotavimus ad Lib. I. Fab 9. v. 2.

(19) *Tyrannus*. Demetrius, qui sic dicitur, non quod tyrannice et crudeliter potestatem in Athenienses exerceret, sed quod Rex, vel Archon legitimus non esset. Ita Noster in cet. vulg lib. I. fab. 2. v. 5.

Arcem Tyrannus *occupat Pisistratus* . . .
Quum tristem servitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille, sed quoniam grave
Omne insuetis onus.

Et Corn. Nepos in Miltiad. c. 8. Tyrannus*que fuerat appellatus, sed iustus*. Et certe *Tyrannus* vero suo etymo inspecto pastorem proprie notat, rectorem, ideoque benevolum potius et facilem hominem, quam tristem et saevum. Vid. Ant. Genovesi

in

Quisnam (21) Cinaedus ille (22) in **conspectum** meum (23)

Audet venire? Responderunt proximi (24):

Hic est (25) Menander Scriptor (26). Mutatus statim (27):

Homo, inquit, fieri non potest formosior (28) (*).

FA-

in Logic. Italic. lib. V. cap. 5. §. 73. Nec revera ista vox odiosam potestatem est adsecuta, nisi quum generatim Graeci Regium imperium odissent.

(20) *Extremo agmine*. In extremâ, ultimâ turbâ. Livius II. c. 40. *Ingens mulierum* agmen. Ovidius I. Trist. 4. 30. Agmina *comitum*. Livius autem iterum lib. XXXIV. c. 28. *Extremum agmen*. Et XLIV. c. 33. *Novissimum* agmen, de exercitu loquens: Unde significatio ad alia translata est.

(21) *Quisnam*. Ex Codic. Perott. Vulgo *quinam*.

(22) *Cinaedus ille*. Videbatur profecto cinaedus, et revera Menander mollis homo fuit et delicatus.

(23) *In conspectum meum*. Ut in Codic. Perott. Vulgo *in conspectu meo*. Sed ea syntaxis potior, quam usurparunt Cicero VII. Verr. c. 33. I. Tuscul. c. 21. Noster iterum in reliqu. vulg. lib. V. fab. 7. v. 22. atque alii plures.

(24) *Proximi*. Qui propius Demetrio adstabant.

(25) *Hic est*. Persius Satyr. I. v. 28.

At pulcrum est digito monstrari, et dicier hic est.

Martialis lib. V. Epigr. 13.

Sed toto legor orbe frequens, et dicitur hic est.

Similis formula erat Graecis οὗτος ἐστι.

(26) *Scriptor*. Qui plura scripsit, auctor. Quo sensu Cicero I. de Orat. c. 34. *Omnium bonarum artium* Scriptores *ac doctores legendi*.

(27) *Mutatus statim*. Demetrius iratus erat in eum, qui cinaedus videbatur, turpemque hominem et nihili putabat. Sed, quum novit eum esse ipsum Menandrum, quem magnopere admirabatur illum animum in eum depositit, et faciliorem ac mitiorem induit. Voluntate et affectu mutatus. Ita Cicero V. Famil. Ep. 21. *Quum alii interierint, alii absint, alii* mutati *voluntate sint*.

(28) *Homo, inquit, fieri non potest formosior*. Tum scilicet dixit Demetrius de Menandro. O venustum hominem! Quam pulcher est: haud puto ullum esse venustiorem. Asture. Nam venustas et pulcritudo facile elegantiam habitus, et mollitiem incessus ferunt. Ideoque hoc responso Demetrius nec Menandrum plane vituperabat, nec a primo suo indicio penitus discedebat. Ex Perottino Codice, unde iste versiculus desumtus est, quoad *formosior*: haec quidem tantummodo perspicue colliguntur *f . . m . s . . .* Sed quis dubitare potest omnino legendum esse

FABULA XXVIII.

Duo milites, et latro.

Duo quùm incidissent (1) in latronem Milites: Unus

esse *formosior*? Sed hac de re abunde diximus in Variant. nostris. Gabriel Brotierius, cui ista fragmenta ignota fuerunt felicissimâ coniecturâ reposuit *venustior*, repositurus dubio procul *formosior* si ea novisset. Hic autem absolvi plane Fabellam, tum ex eius sententiâ, tum ex auctoritate Perottini Codicis, quo nihil ultra adiicitur tenendum est. Brotierius quidem subiunxit:

Vatemque et scripta meritis tollit honoribus.

Sed haec a proposito esse plane aliena, etsi aliud agentes in Var. nostris ostendimus.

(*) Hîc quidem Fabella absolvitur, sed Epimythium tamen adhuc desideratur. Chr. Hauptius in Miscell. Lips. Tom. I. p.260. sententiam istam ita supplere conatus est:

Nempe aestimari a Regibus Docti solent
Viri, Polus melibre quos finxit luto;
Hinc mancipet bonus se quisque literis.

Sed merito a Burmanno in Com. novo ad hunc loc. Phaedri irrisus fuit. Brotierius vero scripsit:

Exemplum Scriptor vertat ad prudentiam,
Ingenio non luxu paratur claritas.

Sed inani pariter conatu, nec sibi ipsi concors. Nam si Menander etsi luxuriosus et mollis *meritis honoribus*, ut ait, a summo viro Demetrio exornatus fuit, utique *luxus claritati* non officit. Desbillonius tandem:

Numquam, inquit (Demetrius), *homines specie ab externa mihi*
Diiudicandos esse nunc intelligo.

Sed iam in Variant. nostris ostendimus hos versiculos hîc probari non posse. Verum Perottus noster in Fabellae argumento scribebat: *Quomodo saepe fallatur hominum iudicium.* Tum in Indice: *Quam saepe in rebus humanis fallatur humanum iudicium.* Quae propterea sententia ex Phaedro omnino desumta videtur. Et profecto nihil satius ex Fabellâ eruitur, nisi Demetrium reperisse virum maximum et doctissimum, quem vilem et inanem homunculum putaverat: Nempe indicium hominum falli: Ideo ego longe satius ducerem Fabellae Epimythium isto versiculo claudere:

Humanum saepe sic iudicium fallitur.

Quo loquendi modo et alias Fabulas scite et argute clausit Auctor. Vid. Lib. I. Epi. Fab.13. v. 7. Lib. II. Fab. 18. v. 9.

(1) *Incidissent.* Proprie. Quum id non expectassent, nec praevi-

Unus profugit, alter autem restitit (2);
Et vindicavit sese (3) forti dexterà.
Latrone exciso (4), timidus (5) accurrit comes;
Stringitque gladium, dein reiecta penula (6),
Cedo, inquit, illum (7), iam curabo sentiat (8),
Quos

vidissent. Cicero pro Rosc. Amer. c. paenult. *In milites de' improviso* incidere. VI. Fam. Ep.3. Incidere *in insidias*. Livius lib. XXX. c. 29. Incidunt *inermes inter catervas armatorum*.

(2) *Restitit*. Non profugit, mansit, ut latroni resisteret. *Restitit* significare etiam potest obstitit, sese opposuit, quum aeque a *resisto* derivetur : Quod et hic sententia ferret. Sed illud plane sincerum : Nam est *profugit*. Animadvertendum autem est duos hos versiculos ex Codice Perottino fuisse desumtos, quum in omnibus editis Phaedri libris defuissent.

(3) *Vindicavit sese*. Ab eo periculo, ab ea adgressione se liberavit. Virgilius IV. Aen. v. 228. *Graiumque ideo bis vindicat (Aeneam) armis*. Velleius lib. I. c. 1. *Se etiam a Pyrrho Achillis filio* vindicavit *virtute*. Vid. et. Fab. 12. v. 28.

(4) *Latrone exciso*. Everso scilicet, prostrato, oppresso. Quo sensu Velleius lib. II. cap. 22. *Germaniam* excisam *dixit*. Et Virgilius II. Aen. v. 637.

Abnegat excisa *vitam producere Troia*.

Vulgo *occiso*. Sed praeferendam esse lectionem Codicis Perottini satis, ut puto, in Variant. nostris ostendimus.

(5) *Timidus*. Qui timidus fuerat, qui profugerat ex timore.

(6) *Reiecta penula*. *Penulam* vocabant Romani peculiarem quamdam vestem, qua utebantur hieme, vel quum iter facerent ad arcendum frigus, aut pluviam. Unde apud Quintilianum lib. VI. c. 3. Quidam penulam roganti respondit: *si non pluit, non opus est tibi, si pluit ipse utar*. Vestis autem erat quo omnes uti possent, et propterea etiam milites. Vid. Senecam de Benef. III. cap. 28. Et lib. V. c. 24. *Reiecta* autem hic est retroiecta, in tergum remota, ne scilicet brachium quo gladium strinxerat impediretur. Quo sensu Terentius Heaut. II. 3. v. 49. *Capillus . . . circum caput* reiectus *negligenter*. Plinius lib. XXVIII. c. 4. Reiectae *post terga manus*. Ita Virgilius V. Aen. v. 421. Ovidius IX. Met. v. 32. etc.

(7) *Cedo, inquit, illum*. Da mihi illum, in manus meas trade, curam huius rei mihi relinque. Elegans dicendi formula, qua ii utuntur, qui cum quadam fiducia, quod alius facit, exsequi volunt, et conficere. Quod probat illud *exciso*, non *occiso*. Donatus ad Terent. Andr. IV. 4. v. 23. Cedo *idem significat, quod dic, et da mihi, et est dictum cum quadam fiducia, et contemtu eius, cum quo sermo est*.

(8) *Iam curabo sentiat*. Mea erit cura, meum erit, ut latro ille sentiat, videat. Ita Petronius

Quos adtentârit (9). Tunc qui depugnaverat (10):
Vellem (11) istis verbis saltem adiuvisses modo (12),
Constantior (13) fuissem vera existimans (14).
Nunc conde ferrum, et linguam pariter futilem (15),
Ut possis alios ignorantes fallere (16):
Ego qui sum expertus (17) quantis fugias viribus (18),

Scio

nius Satur. c. 58. Curabo *iam tibi Iovis iratus sit*: et paullo post: *Licet mehercules Iovem Olympicum clames*, curabo *longe tibi sit comula ista*. Ita Terentius Eun. I. 1. v. 21. Cicero XII. Fam. Ep. 22. Seneca Rhetor. I. Controv.

(9) *Quos adtentârit*. Quales, quantos viros adgredi tentaverit. Ita Cicero loc. cit. *Quos lacessierit*. Eademque sententia Terentius Fun. II. 3. v. 14. Tacitus in vit. Agric. cap. XXXI. *Adtento* autem non est ipsum *adgredior*, oppugno, ut passim interpretantur, sed tento adgredi, volo, conor oppugnare. Columella lib. VII. c. 12. *Primum est non attentari, secundum est lacessitum fortiter et perseveranter vindicari*. Cicero pro Sext. c. 4. *Quam urbem . . . ab illa impia et scelerata manu attentari suspicabamur*.

(10) *Depugnaverat*. Fortiter pugnaverat, feliciter pugnam absolverat. Livius lib. VII. c. 29. Depugnatum*que haudquaquam ambiguo certamine cum Gallis est*.

(11) *Vellem*. Inquit. Verba Militis victoris.

(12) *Modo*. Paullo ante, quum depugnabam cum latrone. *Modo* est omnium temporum.

(13) *Constantior*. Animo magis confirmato, constantiore. Acrior, vehementior in latronem extitissem.

(14) *Vera existimans*. Putans vera ista verba, quae futilia et falsa sunt.

(15) *Linguam futilem*. Reconde linguam ineptam, vana et inania iactantem. Tace. Apposite. Cicero IV. Tuscul. c. 37. *Ardeat desiderio, nec alacritate futili deliquescat*. Gellius lib. I. Noct. c. 15. *Qui sunt leves, et futiles, et importuni locutores*. Tum paullo post: *Linguam non vulgandam, sed recondendam esse scribit*.

(16) *Ut possis alios ignorantes fallere*. Sensus est. Ne haec mihi iactes et blateres, ne ista verba velis mecum perdere, qui te iam novi; Sed potius aliis serva, qui te ignorant, ut isto pacto possis eos fallere. Nos in Variant. coniiciebamus satius fortasse legi *Tu posses*, quod revera sententiam perspicuiorem facit. Sed quum *ut possis* commodam rectamque praeseferat, ut modo vidimus, et Codicum auctoritate nitatur, huic omnino lectioni standum est.

(17) *Sum expertus*. Istâ nempe occas one, hoc periculo.

(18) *Quantis fugias viribus*. Salsê et facetê. Nam statim ac periculum videat se in pedes con-

Scio quam (19) virtuti (20) nunc (21) sit credendum tuae.

Illi adsignari (22) debet haec narratio,

Qui re secunda (23) fortis est (24), dubiâ fugax (25).

FA-

coniecerat. Non omnino abs re Plautus Amphitr. I. 1. v. 43. *Nam quum illi pugnabant maxime, ego fugiebam maxime.*

(19) *Scio quam*. Scio quantum. Ita Ovidius IV. Fast. v. 529.

Dux comiti narrat quam *sit*
sibi filius aeger.

Vulgo legitur *scio quod*. Sed frigida sententia. Tum *quam* non *quod* respondet *quanti*. Sed iam in Variant. Perottini Godicis lectionem praeferendam esse ostendimus.

(20) *Virtuti*. Fortitudini, strenuitati, viribus. Quo sensu Caesar I. B. Gall. c. 2. *Perfacile esse, quum* virtute *omnibus praestarent, totius Galliae imperio potiri*. Vid. et. supra Fab. 9. v. 12.

(21) *Nunc*. Quum iam expertus sum, qui sis, quod antea nesciebam. Vulgo legitur *non*. Sed nemo non videt hac voculâ frigidam sententiam fieri, et appositam illam et argutam ironiam interire. Quamobrem quum Perottinus Codex *non* minime agnoscat, ut versiculus fieret numerosior, recipiendum putavi *nunc*, quod parum abest, quoad elementa a *non*, et Marquardus Gudius restituendum hoc loco duxerat. Vid. Variant. nostras.

(22) *Adsignari*. Ut propria attribui. Auctor in cet. vulg. lib. IV. fab. 4. v. 36.

Vestem, uniones, pedisequos,
et cetera
Illi adsignate *vitam, quae luxu trahit*.

(23) *Re secunda*. Prospera, felici, quae votum et desiderium *sequitur*, unde facta nomini origo. Paullus ex Festo: Secundae *res non a numero dicantur, sed quia ut velimus* sequantur. Quo sensu Plautus Bacch. III. 6. v. 14. Cicero II. de Nat. Deor. c. 36. vocem usurparunt.

(24) *Fortis est*. Se fortem dicit, fortitudinem iactat. Nam nemo virturem et fortitudinem in secundis rebus praestat.

(25) *Dubia fugax*. Qui res dubias, ambigui exitus, et propterea periculosas et adversas fugit, vitat. Eleganter Plautus Epid. I. 2. v. 20. *Is est amicus, qui in re dubia re iuvat, ubi re opus est*. Sallust. B. Catil. c. 10. *Qui labores, pericula*, dubias *atque asperas res facile* toleraverant. Ita Livius lib. II. c. 60. etc.

(1) *Nu-*

FABULA XXIX.

Calvus, et Musca.

Calvi momordit Musca nudatum (1) caput;
Quam opprimere captans (2) alapam sibi duxit
gravem (3).
Hunc illa irridens (4): Punctum volucris parvulae (5)
Voluisti morte ulcisci, quid facies tibi (6),

In-

(1) *Nudatum*. Apertum, detectum, nullo tegumento coopertum. Virgilius XII. Aen. v. 311.

At pius Aeneas dextram tendebat inermem
Nudato *capite*.

(2) *Opprimere captans*. Tentans, studens, conatus. Horatius l. Satyr. 1. v. 68.

Tantulus a labris sitiens fugientia captat
Flumina.

Columella lib. VIII. c. 11. *Sed nec haec tamen aliena est Agricolae* captantis *undique voluptates acquirere*. Ita Noster in reliqu. vulg. lib. IV. fab. 7. v. 6.

(3) *Alapam sibi duxit gravem*. *Alapa* ictus dicitur, qui in faciem manu aperta, et digitis passis infligitur. Quum *colaphus* ictus sit, qui pugno, manuque clausa impingatur. Qua de re videri potest Gothofred. ad Leg. 16. §. 6. Dig. *de Poenis*. Hinc autem Interpretes putant vel *alapam* hic esse *colaphum*, qui in capite infligatur, vel inde colligi *alapam* et in caput duci. Attamen neutrum dicendum est, et Auctor ex absoluta proprietate loquitur. Nam primum quum nulla necessitas urgeat, ut Musca in ipso capitis vertice collocetur, in alia quacumque parte consederit, *alapa* in eam duci nequit, quin pars faciei caedatur. Tum si Musca sedebat in capite, et Calvus captans eam opprimere ab ea aberravit, quo cedo nisi in faciem *alapam* duxit? Si duxisset in caput eam necasset. *Duxit* autem ex proprietate usurpatur. Petronius Satur. c. 57. *Si secundum illum discumberem iam illi colaphum* duxissem. Quintilianus lib. VI. c. 2. *Colaphum tibi* ducam, *et formulam scribam, quod caput durum habeas*.

(4) *Hunc illa irridens*. Musca irridens Calvum. Vulgo *tunc* pro *hunc*, quod habet Perottinus Codex. Hoc potius. Vid. Variant. nostras.

(5) *Punctum volucris parvulae*. Punctionem, punctiunculam minimae volucris, tenuis insecti. De seipsa loquitur Musca. *Punctum* hoc sensu latinum. Vid. Plinium lib. VIII. Hist. c. 57. Et lib. XXIX. c. ult. Apuleium lib. VII. Metam. etc.

(6) *Quid facies tibi?* Quas poenas de te sumes, quod sup-

pli-

Iniuriae qui addideris contumeliam (7)?
Respondit (8): mecum facile redeo in gratiam (9),
Quia non fuisse mentem laedendi (10) scio:
Sed te contemti generis (11) animal improbum,
Quae delectaris (12) bibere humanum sanguinem,
Optem necare vel maiore incommodo (13).
Hoc argumentum (14) veniam deberi (15) docet,
Qui

plicium, quam vindictam de te capies?

(7) *Iniuriae qui addideris contumeliam*. Sensus est. In pulsando et verberando te *iniuriam* in te admisisti, sed pulsando te in faciem, quod valde contumeliosum et propudiosum est, *contumeliam* quoque iniuriae superaddidisti. Non plane abs re Valerius Max. lib. II. c. 2. n.5. *Romani Legati de his* iniuriis, *quas passi erant questi non sunt, sed insitus pectoribus eorum antiqui moris respectus, dolore qui ex* contumelia *gravissimus nascitur et sentitur, convelli non potuit*. Vid. et. Fab. XI. ad v. 8.

(8) *Respondit*. Calvus.

(9) *Mecum facile redeo in gratiam*. Facile pacem mecum ineo, facile mihi ignosco, si quid in me peccavi. Ad quam sententiam Horatius l. Satyr. 3. v. 23. *Egomet mi ignosco Naevius inquit*. Et contra Cato apud Sallustium B. Catil. c. 54. *Qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem*. Tum Nepos in Alcib. c. 5. *Ut cum aliis in* gratiam rediret. Et in Attic. c. 17. *Sed numquam cum matre in* gratiam rediisse.

(10) *Mentem laedendi*. Animum, voluntatem, consilium, me iniuria et contumelia afficiendi, quae voluntas iniuriam facit. Hoc sensu *mens* eleganter sumitur. Vid. Ciceronem l. de Orat. c. 39. Nepotem in Annibal. cap. 2. Virgilium I. Aen. v. 680.

(11) *Contemti generis*. Apposite. Quid autem Muscā contemtius, et vilius?

(12) *Delectaris*. Quod eius improbitatem ostendit. Nam quo suaviter vivat aliis nocet.

(13) *Maiore incommodo*. Graviore malo, maiore detrimento, quam illud fuit, quod ex alapa percepi.

(14) *Hoc argumentum*. Haec Fabula, iste Apologus. Vid. Fab. 2. v. 13.

(15) *Veniam deberi*. Dandam esse, indulgendam esse. Perspicuā certe et egregiā sententiā. Sed pro *deberi*, quod nos ex Salmasii coniecturā recepimus, Pithoeus dedit *mage dari*, Rigaltius *ei dari*, Gudius *tam dari*, Desbillonius *donari*. In Remensi autem Codice et fortasse in Pithoeano fuit *dari*. Sed *dari* corrumpit versiculum. Unde Critici tot lectiones excogitarunt. Quamobrem quum omnino aliqua immutatio hic esset inducenda, et *dari* haud rectissime et perspicue sit *dandam esse*, quod hic sententia postulat, ideo praeferendam esse duxi illam Sal-

Qui casu peccat (16), non qui consilio est nocens (17):
Istum (18) esse quavis poena dignum iudica (19).

FA-

Salmasii coniectionem, quæ certe nulla est opportunior. Quin quum Codices dedissent *dari*, nec facile est aliquid excidisse, forte antea scriptum fuit *deri*, quo ipsum *deberi* Amanuensis notasset, ut saepe *hari* pro *haberi*.

(16) *Qui casu peccat*. Nullo consilio, non animo peccandi, sed imprudentiâ, inconsiderantiâ. Ut Calvus.

(17) *Non qui consilio est nocens*. Scilicet minime vero deberi veniam ei qui data opera, ex certa pravitate animi nocet. Pithoeus, Gudius, aliique Interpretes pro *non* legunt *quam*, quod spectat eorum *mage*, vel *tam*. Sed ista lectio est omnino absurda, et evidenter sententiae Phaedri adversa. Ubinam quaeso haec Fabella docet dandam esse veniam ei, qui consulto nocet? Quin Musca, quae symbolum est eorum, qui consulto nocent, non modo acerbissime reprehenditur, sed tantâ poenâ digna iudicatur, ut vel maximo fere incommodo esset necanda, quo profecto maius nec dici, nec fieri potest. Id viderunt Rittershusius, Rigaltius, Heinsius, Burmannus, unde pro *quam* reposuerunt *nam*. Sed quid porro istud *nam*? Quid caussalis particula? Quomodo tamquam extraneum ponitur, quod praecipue Fabellâ ostendendum Auctor sibi sumsit? Quomodo sententia parum aptè dividitur, et abrumpitur, si recte secum cohaeret? Quum igitur haec ita sint, et palam sit Calvi symbolo, qui casu se laedit, doceri in Fabellâ dandam esse veniam ei qui casu peccat, et symbolo Muscae, quae consilio nocens omnino est necanda, veniam ei dandam *non* esse, qui consulto nocet: Visum est omnino satius pro *nam* scribi *non*, quod etiam spectatis elementis et figura ab ea lectione non multum discrepat.

(18) *Istum*. Qui nempe consilio est nocens. Vulgo *illum*. Sed *illum* in lectione Gudianâ videretur absurdum, nam referretur ad eum, qui casu peccat. Verum quidem est etiam alicubi proximis Phaedrum *illum* usurpasse, sed ubi clara, et perspicua erat sententia, ubi nil ambiguitatis subesse poterat. At hic adversum est et oppositum. Haud temere ergo puto legi *istum* pro *illum*, quod in quacumque lectione semper potestatem τὸ *istum* habet. Nam semper proximum spectat.

(19) *Iudica*. Ex emendatione Viri Iuvenatii nostri solertissimi Viri, cuius verba adduximus in Variant. nostris. Vulgo *iudico*.

(1) *In-*

FABULA XXX.

Homo, et Asinus.

Quidam immolasset (1) Verrem (2) quum Sancto Herculi (3),
Cui pro salute votum (4) debebat (5) suâ:
Asello iussit reliquias poni hordei (6);
Quas aspernatus (7) ille sic locutus est:
Libenter istum (8) prorsus adpeterem cibum (9),
Nisi; qui nutritus illo est, iugulatus foret (10).
Hu-

(1) *Immolasset.* Sacrificasset. Vid. supra Fab. 25. ad v. 4.

(2) *Verrem.* Verres etiam sacrificabantur. Cicero apud Quintilian. lib. VI. c. 3. *Malum Sacerdotem, qui tam nequam verrem reliquisset.*

(3) *Sancto Herculi.* Hercules veluti proprie dicebatur *Sanctus*, cuius cognominis originem explicat Propertius IV. Eleg. 9. v. 71. Unde Cicero pro Sext. cap. 68. *Hanc opinionem sic in illo sanctissimo Hercule consecratam videmus.* Varro IV. L. L. c. 19. Sancte *pater.*

(4) *Pro salute votum.* Voto promissum, si bonam valetudinem recuperaret. Quo sensu Cicero III. de Nat. Deor. c. 17. dixit: *Templa* vota. Livius IV. cap. 12. *Ludi* voti. Ovid. II. Am. 11. v. 46. *Victima* vota. IV. Fast. v. 893. *Vindemmia* vota.

(5) *Debebat.* Nam voverat. Cicero VI. Verr. c. 55. *Vota Diis deberi.* Vid. et. Lib. I. Fab. 7. ad v. 8.

(6) *Reliquias poni hordei.* Eius nempe, quo verres arae destinatus saginatus fuerat. *Ponere* hîc est *apponere* in cibum, quo sensu eleganter sumitur. Vid. Horatium II. Satyr. 6. v. 63. Martialem VIII. Epigr. 22. Et Iuvenalem Satyr. V. v. 135. etc.

(7) *Aspernatus.* Proprie. Cicero III. de Orat. c. 25 *Gustatus quod valde dulce est* aspernatur *et respuit.* Svetonius in Caesar. c. 53. *Conditum oleum cunctis* aspernantibus.

(8) *Libenter istum.* Ex Cod. Perottino. Vulgo *Tuum libenter.* Sed vid. Variant. nostras.

(9) *Adpeterem cibum.* Ad istum cibum me ferrem, istud hordeum comedere adgrederer, hanc escam mihi sumerem. Hoc sensu Cicero II. de Divin. c. 41. *Puer lactens cum Iunone Fortunae in gremio sedens mammam* adpetens. Plinius lib. VII. Hist. cap. 53. *A. Manlius Torquatus obiit diem in cena, quum placentam* adpeteret.

(10) *Iugulatus foret.* Fuisset. Vid. Lib. I. Fab. 28. ad v. 6. Iugulabantur autem Hostiae, quae sacrificabantur.

(11) *Re-*

Huius respectu Fabulae (11) deterritus;
Periculosum semper vitavi lucrum (12).
Sed dicis (13): Qui rapuere divitias (14), habent (15):

Nu-

(11) *Respectu Fabulae*. Ex respectu, ex intuitu, ex consideratione huius Fabellae. Ipsa sententia et syntaxi, qua Ovidius I. Trist. 3.

Et voluisse mori, moriendo ponere sensus,
Respectuque *tamen non potuisse* mei.

Et IV. de Pont. 9. v. 98.

Respectu *cupiunt hic tamen (me) esse sui*.

Ita etiam Seneca II. de Irâ c.28. Valerius Maximus lib. II. c. 9. n. 3. Et III. c. 7. n. 3. alique: quae satis sunt in quorumdam Interpretum fastidium.

(12) *Periculosum semper vitavi lucrum*. Ego semper fugi lucrum, et quaestum, utpote periculi plenum, periculis obnoxium. *Lucrum* autem appellabant Romani, quod sordidis artibus quaereretur, mercando, emendo, vendendo, permutando, quaestum nempe sordidum et illiberalem: et propterea semper in malam partem, et sensum sumitur. Seneca Hippol. v. 536.

Sed arva per se facta poscentes nihil
Pavere gentes, Silva nativas opes,
Et opaca dederant antra nativas domos:
Rupere foedus impius lucri *furor,*
Et ira praeceps.

Vid. et. Lucanum lib. IV. v.96. Plautum in Persa IV. 3. v. 34. Ciceron. V. Tuscul. c. 3. Plinium lib. II. Hist. c. 46. et Arnobium lib. IV. adv. Gentes.

Non pauci Interpretes legunt *reputavi* pro *vitavi*. Sed haec omnino genuina lectio videtur. Primo quod in Excerptis Rigaltii ex Pithoeano et Remensi Codice confectis *putavi* non *reputavi* inventum, quod singilla im Heinsius meminit, et probavit. Praeterea quum Perottus tum in argumento Fabellae, tum in Indice scripsisset: *Vitandum semper esse periculosum lucrum*: perspicue evincitur in vetusto Codice suo legisse *vitavi*, non *reputavi*. Tertio Asinus qui aspernatur, et *vitat* periculosum cibum, non eius esse potest symbolum, qui lucrum *reputat* periculosum, sed eius qui *vitat* et fugit periculosum lucrum. Quarto Phaedrus iam Prologo lib. III. v. 21. de seipso scripserat:

Curamque habendi penitus corde eraserim.

Vid. quoque Variant. nostras.

(13) *Sed dicis*. Sed obiicis, sed urges in me. Ita Codices Pithoeanus et Remensis. Plures tamen ex opinione Heinsii receperunt *dices*. Sed illud praestat: Nam maiorem habet evidentiam.

(14) *Rapuere divitias*. Pravis artibus, malo lucro magnas opes avide congesserunt. Ad rem Plautus Trinum. II. 2. v. 10.

. . . *Quod manu non queunt*
Tangere, tantum fas habent, quo manus abstineant:
Cetera rape, trahe, fuge late.

Martialis lib. VIII. Epigr. 44. v. 9. in divitem:

Rape, *congere, aufer, possi de, relinquendum est*.

(15) *Ha-*

Numeremus, agedum, qui deprensi perierunt (16);
Maiorem turbam punitorum reperies (17),
Paucis temeritas (18) est bono (19), multis malo (20).

FABULA XXXI.

Scurra, et Rusticus.

Pravo favore (1) labi (2) Mortales solent:

(15) *Habent*. Possident, possidere pergunt, divitiis congestis fruuntur securi. Iuvenalis Satyr. XIV. v. 207.

Unde habeas quaerit nemo, sed oportet habere.

Ita Cicero VII. Famil. 29. Noster supra Fab. 4. v. 6.

(16 *Qui deprensi perierunt*. Qui deprehensi, quum divitias congererent, quum in accumulandis opibus toti incumberent perierunt, suppliciis affecti interierunt. Eleganter *deprensi* hoc sensu. Vid. Lucretium lib. V. v.688. Catullum Carm XXV. v. 12. Virgilium lib. V. Aen. v. 52.

(17) *Punitorum*. Qui poenas iniusti lucri, raptarum divitiarum luerunt. Svetonius in Tiber. c. 61. *Nemo* punitorum *non et in Gemonias proiectus*. Phaedrus autem tempora sua, Tiberii nempe, luculenter his verbis describit, quibus passim servi et liberti, et alii viles homines conspiciebantur brevi ditissimos et potentissimos fieri, et brevi etiam concidere, et a potentioribus opprimi.

(18) *Temeritas*. Audacia inconsiderata, et imprudens, quae finem non respicit. Quo fere sensu vox sumitur Lib. I. Fab. 9. v. 25. quem locum adi.

(19) *Bono*. Commodo, utilitati. Plautus Mostell. II. 1. v. 23. *Quid mihi sit* boni, *si mentiar?* Cicero pro Rosc. Amer. cap. 5. *Accusant ii, quibus occidi patrem Sext. Roscii* bono *fuit*.

(20) *Multis malo*. Damno, nocumento, exitio. Ita antea Euripides in Antigone:

Ex turpibus lucris periisse videris
Plures, quam ab ipsis, qui salutem invenerint.

(1) *Pravo favore*. Ex pravo favore, ob favorem iniustum, indebitum, quod prave et inepte faveant. *Favorem* hic capit Burmannus in Comment. novo pro eo, quo sibi quisque placet, et plaudit. Sed perperam. Nam evidenter ex Fabellâ patet de favore erga alios sumi. Nam populus non sibi, sed scurrae favet: Et v. 25. *Iam favor mentes tenet*: erga hunc nempe, non erga semetipsos. Ita Silius

Et pro indicio dum stant erroris sui (3),
Ad poenitendum (4) rebus manifestis (5) agi (6).
Facturus Ludos (7) dives quidam et nobilis (8),
Proposito cunctos invitavit (9) praemio (10),
Quam

Italicus lib. IX. v. 636. *Heu plebs scelerata, et prava favoris*. Et Plinius Caecilius lib. IX. Epist. 6. de Ludis circensibus loquens: *Nunc favent panno, pannum amant: Et si in ipso cursu, medioque certamine hic color illuc, ille huc transferatur, studium favorque transibit*.

(2) *Labi*. Nempe in errorem. Cicero l. de Offic. cap. 6. Labi *autem, errare, nescire, decipi et malum et turpe ducimus*. Caesar lib. V. B. Gall. fin. *Ne plebs propter imprudentiam laberetur*. Quintilianus lib. X. c. 1. *Nisi* labor *eius amore*.

(3) *Et pro indicio dum stant erroris sui*. Et dum obstinatè pergunt in suo iniquo iudicio, dum pervicaciter pugnant pro eo quod falso, inepte, ex errore iudicarunt, nempe pro suo pravo et indebito favore. Ex stilo Auctoris *iudicio erroris*, pro iudicio falso. Ovidius autem non multum aliter III. ex Pont. 9. v. 11.

Iudicium *tamen hic nostrum non decipit* error.

Stare autem hic est stare, adesse ad tuendum et defendendum aliquid: Quo sensu Cicero II. de Invent. Stare *a mendacio contra verum*. Ita Livius XXVI. c. 41. Ovidius l. Art. v. 200. Nepos in Datam. c. 6. Et Noster supra Fab. 13. v. 37. quem locum adi.

(4) *Ad poenitendum*. Ad agnoscendum cum dolore errorem suum; ad resipiscendum. Cicero VII. ad Attic. Ep. 3. *Valde ego ipsis de sua sententia* poenitendum *puto*. Nepos in Timoth. c. 4. *Quum populum iudicii sui* poeniteret.

(5) *Rebus manifestis*. Cum rebus evidentibus, ex argumentis luculentis. Schefferus supplet *in*. Sed perperam. Nam *res* hae *manifestae* sunt quaedam veluti instrumenta, quibus illi ad poenitendum aguntur. Est quodammodo illud *apertum pignus* penultimi Fabellae versiculi, quo populus actus est et impulsus ad errorem suum agnoscendum. Vid. autem Ciceron. II. Verr. c. 16. Pro Rosc. Amer. c. 34.

(6) *Agi*. Impelli, cogi: Quae prima vocis potestas. Vid. Virgil. Ecl. IX. v. 23. Livium I. c. 48. Horatium I. Od. 2. v. 7. Et Statium praesertim III. Theb. v. 625. VIII. v. 762.

(7) *Facturus ludos*. Editurus spectacula. Proprie. Cicero II. de Orat. cap. 20. *Hoc Praetore* Ludos *Apollini* faciente. De Harusp. Resp. *Hos* ludos *servi* fecerunt. Pro Sext. c. 54. *Ludos apparatissimos, magnificentissimosque* facere.

(8) *Dives quidam et nobilis*. Ex Codice Perottino. Nam vulgo legitur: *Quidam dives nobilis*. Sed vid. Variant. nostras.

(9) *Invitavit*. Urbanè et propriè. Cicero pro Ligar. cap. 4. *Praemiis* invitare *ad quidpiam agen-*

Quam quisque posset ut novitatem (11) ostenderet:
Venêre Artifices (12) laudis ad certamina (13):
Quos inter Scurra (14) notus urbano sale (15),
Habere dixit se genus spectaculi,

Quod

agendum. Ita Svetonius in Caesar. c. 3. Et in Neron. c. 12.

(10) *Praemio proposito*. Propriè. Virgilius V. Aen. v. 291.

Hic qui forte velint rapido contendere cursu,
Invitat *pretiis animos, et* praemia ponit.

Ita Nepos in Agesilao c. 3. Valerius Max. VI. c. 82.

(11) *Novitatem*. Novam rem, novum spectaculi genus, novum inventum, hactenus non prolatum in Scenam. Hoc sensu Horatius Arte Poet. v. 223.

Illecebris erat, et grata novitate *morandus*
Spectator.

Et Inscriptio apud Gruter. pag. CCCXXXVII. *His* novitatibus *duplici ornatus est gloria*. Vid. et. Ovid. IV. ex Pont. 13. v. 23.

(12) *Artifices*. Qui ludicram artem exercebant, qui artem ludorum et spectaculorum profitebantur, ludii, ludiones. Propriè. Nam hi sic a Romanis per excellentiam vocabantur. Plautus Amph. Prolog. v. 70.

Sive qui ambissent palmam histrionibus,
Sive quoiquam artifici.

Nepos in Chabr. c. 1. *Ex quo factum est, ut postea Athletae caeterique* Artifices *his statibus in statuis ponendis uterentur, in quibus victoriam* (in certaminibus) *essent adepti*. Curtius lib. V. c. 1. *Non vates modo; sed etiam* Artifices *cum fidibus sui generis ibant*.

(13) *Laudis ad certamina*. Ex Auctoris stilo. Scilicet ut certarent de laude et praemio: Ut certamina ederent ad laudem et praemium adipiscendum. Vid. Lib. I. Fab. 20. v. 5.

(14) *Scurra*. *Scurras* appellabant Romani illud ludionum genus, qui vel facetiis et dictis, vel gestibus ridiculis, et gesticulationibus lepidis populum oblectarent. Unde Plautus Mostell. I. 1. v. 14. *Tu urbanus vero* Scurra *deliciae popli*. Iuvenalis Satyr. XIII. v. 108.

. . . *Mimum agit ille*
Urbani qualem fugitivus Scurra *Catulli*.

(15) *Urbano sale*. Argutis facetiis, lepidis dictis, elegantibus iocis. Hoc sensu Cicero II. de Orat. c. 34. *P. Scipio omnes* sale *facetiisque superabat*. Horatius Art. Poet. v. 269.

At nostri proavi Plautinos et numeros, et
Laudavere sales.

Vid. et. Plinium lib. XXXI. c. 7. ubi nominis originem aperit. *Urbanus* autem hic est argutus, elegans, expolitus; quum urbani homines sic prae rusticis esse soleant. Qua sententia Cicero pro Dom. sua c. 34. *Et homo facetus inducis etiam sermonem* urbanum *et venustum*. Columella lib. VIII. cap. 16. *Circumfertur* urbanissimum *factum atque dictum*.

(16) *In*

Quod in Theatro (16) numquam prolatum foret (17).
Dispersus rumor (18) Civitatem convocat (19):
Paullo ante vacua (20) turbam deficiunt loca (21).
In Scenâ (22) vero postquam solus constitit,
Sine adparatu (23), nullis adiutoribus (24),
Silentium ipsa fecit (25) exspectatio (26).
Ille

(16) *In theatro*. Nam haec genera ludorum non in Circo, sed in Theatro edebantur.

(17) *Prolatum foret*. Editum fuisset, actum. Proprie. Statius Silv. II. Carm. 7. v. 58.

Ingratus Nero dulcibus theatris,
Et noster tibi proferetur Orpheus.

Et Ausonius Epigr. XI.

Protulit *in Scenam ... dramata Fabellarum*.

(18) *Dispersus rumor*. Novi huius spectaculi, huius novitatis.

(19) *Civitatem convocat*. Ex Auctoris stilo. Eo nempe rumore dilato statim congregatur, cogitur, coit in theatro. Non abs re Terent. Hecyr. Prolog. v. 31.

... Quum interea rumor venit
Datum iri gladiatores, populus convolat,
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco.

(20 *Paullo ante vacua*. Apposite, ad exprimendam incredibilem celeritatem, qua ruerat in Theatrum populus.

(21) *Turbam deficiunt loca*. Desunt loca ad excipiendam turbam, turbae sedes satis non sunt. Syntaxis recta. Cicero pro Rosc. Amer. c. 32. *Tempus te citius, quam oratio deficiet*. IV. Verr. c. 21. Me *dies, vox, latera* deficient. Silius Italicus lib. VIII. v. 653. *Iam stragis* acervos Deficiunt *campi*.

(22) *In scena*. *Scena* proprie vocabatur suggestum, et locus, quo ludiones artem suam exercebant, vel illam theatri partem, qua ludi fiebant. Labeo apud Ulpianum Dig. III. Tit. 2. Leg. 2. Scena *est, quae ludorum faciendorum caussa quolibet loco, ubi quis consistat spectaculum sui praebiturus, posita est*.

(23) *Sine adparatu*. Sine machinis, sine instrumentis, sine ullo adparatu, quo Ludiones uti semper solent in exercenda arte sua.

(24) *Nullis adiutoribus*: Nullis comitibus, nemine adstante, qui eum esset in ludo adiuturus. Nullum enim fere erat spectaculi genus, nullus ludus, qui ab unico prorsus et solo homine expediri recte, et adstantium plausu posset. Ideo praecipui Artifices *adiutores* ita proprie appellatos habebant, quibus in spectaculis edendis uterentur. Svetonius de illustr. Gramm. c. 8. *Lucius Crassitius initio circa Scenam versatus est, dum mimographos adiuvat*. Et inde etiam fortasse scribebat Paterculus lib. II. cap. 7. *Magna negotia magnis* adiutoribus *egent*.

(25) *Silentium fecit*. Recte et latine. Livius II. c. 45. *Fabius quum*

Ille in sinum (27) repente demisit caput;
Et sic porcellum voce imitatus (28) est suâ (29);
Verum (30) ut subesse pallio contenderent,
Et excutere (31) iuberent. Quo facto (32), simul (33)

20 Ni-

quum silentium *classicò* fecisset. Persius Satyr. IV. v. 7.

Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidae fecisse silentia *turbae*
Maiestate manus.

Sic Tacitus III. Hist. c. 20.

(26) *Exspectatio*. Novitatis promissae, exspectatio, quam de se fecerat Scurra. Non abs re Terentius Hecyr. Prol. v. 26.

Funambuli eodem accessit exspectatio.

(27) *In sinum*. Suum, pallio obtectum, in pallii sinus. Sed qui sinus pallii aiunt non pauci Interpretes? Hi vero animadvertere debebant, ideo istos Ludiones cum pallio prodire in Scenam, ut eius parte in sinum reductâ possent effingere speciem quamdam animantis, vel simulare quod obtegerent illud animal pallio, et sic verisimiliorem reddere iocum. Ita Scurra, de quo hîc agitur, quum pallii partem ita accommodasset et aptasset, ut quamdam porcelli speciem praeseferret, in pallii sinus caput demisit, ut revera quidam porcellus mittere vocem videretur.

(28) *Demisit*. Proprie. Vid. Lib. I. Fab. 21. ad v. 3.

(29) *Et sic porcellum voce imitatus est suâ*. Et tam similiter porcelli vocem expressit. Tum frequentes erant isti Ludiones vocum imitatores, ut ex Platone lib. III. de Repub. Plutarcho de Audiendis Poet. Ausonio Epigr. 75. aliisque pluribus patet. Vulgo legitur: *Et sic porcelli vocem est imitatus suâ*. Quod damnari non potest. Sed Perottini Codicis lectio genuina videtur. Nam primum *porcellum* satius spectat porcellum illum pallii sinu fictum, et hanc operationem luculentius indicat, quod in Fabella opportunissimum. Tum satius etiam spectat *verum*, quod mox sequitur. Vid. quoque Variant. nostras.

(30) *Verum*. Porcellum.

(31) *Excutere iuberent*. Scurram nempe excutere pallium suum, ut appareret veritas, lateret, necne aliqnid sub pallio. Cicero pro Rosc. Amer. c. 34. *Nihil est, Glaucia, quod metuas, non excutio te, si quid forte ferri habuisti non scrutor*. Plautus Aulul. IV. 4. v. 19. *Agedum* excute *dum pallium*. Vulgo *excuti*. Perottini Codicis lectio visa est potior.

(32) *Quo facto*. Excusso pallio. Loquendi modus rectus. Cicero II. de Leg. cap. 3. *Quo effecto*. Varro II. R. R. cap. 4. *Castrantur verres commodissime anniculi, utique ne minores quam semestres*; quo facto *nomen mutant, atque e verribus dicuntur maiales*.

(33) *Simul*. Pro simul ac. Vid. Lib. I. Fab. 21. ad v. 4.

(34) *Mul-*

Nihil est repertum, multis onerant laudibus (34),
Hominemque plausu prosequuntur maximo (34).
Hoc vidit fieri (36) Rusticus: Non me hercules (37)
Me vincit (38) inquit, et statim professus est (39),
Idem facturum (40) melius se postridie.
Fit turba maior (41): Iam favor mentes tenet (42),
Et derisuri non secuturi sedent (43).

Uter-

(34) *Multis onerant laudibus.* Laudibus cumulatissime, exornant. Recte et latine; Etsi quidam Interpretes illud *onerant* fastidissent. Iustinus lib. V. c. 4. *Igitur omnibus non humanis tantum, verum et divinis eum honoribus* onerant. Plinius Caecil. lib. I. Epist. 14. *Sed hoc ipsum amantis est non* onerare *eum laudibus*. Livius lib. IV. cap. 13. Laudibus *haud immeritis* onerare. Et X. c. 14. *Iuvenes pari comitate utrumque nunc* laudibus, *nunc promissis* onerant.

(35) *Plausu prosequuntur maximo*. Scurrae effusissime, summoque favore plaudunt. Eleganter. Cicero de Harusp. Resp. c. 52. Prosequi plausu *effrenatos favores*. X. Philipp. c. 8. Plausu *et clamore memoriam alicuius* prosequi. IV. ad Attic. Ep. 1. *A Plebe* plausu maximo *est mihi gratulatio significata*.

(36) *Hoc vidit fieri*. Scurra scilicet. Imitari porcellum voce, et tam altis laudibus tolli.

(37) *Me hercules*. Ex Codic. Perott. Vulgo *mehercule*.

(38) *Me vincit*. Non me superat Scurra in hac arte, ait Rusticus: Haud mihi hac in re Scurra praestat. Vulgo *vincet*. Sed illud, quod exhibet Codex Perottinus est sine dubio genuinum. Vid. Variant. nostras.

(39) *Professus est*. Palam, publice affirmavit, omnibus coram pollicitus est. Proprie. Cicero V. Famil. Epist. 8. *Ego vero tibi* profiteor *atque polliceor eximium et singulare meum studium in omni genere officii*. Pro Rosc. Amer. cap. 53. *Si id vos suscipitis et eadem in re operam vestram* profitemini. Ita Caesar III. B. Civil. c. 19.

(40) *Idem facturum*. Idem spectaculum editurum, imitaturum nempe porcellum voce.

(41) *Fit turba maior*. Maior etiam concursus fit. Plures in theatrum confluunt.

(42) *Iam favor mentes tenet*. Iam omnes favore erga Scurram praeoccupati sunt: iam illi aperte favent. Eleganter. Sallustius B. Iugurth. c. 3. *Nisi forte quem inhonesta et perniciosa libido* tenet. Ovidius Trist. II. v. 12. *Quae vos dementia* tenet. Svetonius in Aug. c. 6. Tenet *vicinitatem opinio*.

(43) *Et derisuri non secuturi sedent*. Et sedent non ut faveant Rustico, sed ut derideant, non ut eius partes sequantur, sed ut risu et cachinnis prosequantur. *Sequor* saepe eleganter sumitur pro favere, assectari, stare a partibus alicuius. Quo sensu Cicero de Amicit. c. 12. *Improbis autem poena statuenda est, nec* mi-

Uterque prodit (44): Scurra degrunnit (45) prior,
Movetque plausus (46), et clamorem suscitat (47).
Tunc simulans sese vestimentis Rusticus
Porcellum obtegere (48), quod faciebat scilicet (49),
Sed, in priore (50) quia nil compererant, latens (51).
Per-

minor vero iis, *qui* secuti *erunt alterum*, *quam iis*, *qui ipsi fuerint impietatis ducet*. Caesar de Bell. Civil. lib. I. c. 1. *Pompeio esse in animo Reipublicae non deesse*, *si Senatus* sequatur. Virgilius III. Aen. v. 54.

Ille ut opes fractae Teucrum, et fortuna recessit,
Res Agamemnonias, *victriciaque arma* secutus.

Vulgo legitur:

Et derisuri non spectaturi *sedent*.

In Cod. vero Perott. *Et derisurus non* secuturus *sedet*. At quis non videt potiorem hic et opportuniorem sententiam habere *sequor*, quam *specto*? Quin populus *spectaturus* erat, sive *derisurus* Rusticum, sive *secuturus*.

(44) *Uterque prodit*. Supple in Scenam, tum Scurra, tum Rusticus. Proprie. Nepos in Praef. ad vit. excell. Imper. c.5. *In Scenam vero* prodire *et populo esse spectaculo nemini in iisdem gentibus fuit turpitudini*. Et Noster in rel. vulg lib. IV. fab. 6. v. 5.

Et in cothurnis prodit *Aesopus novus*.

Lib. V. fab. 7. v. 22.

Quidam in conspectum prodituram *sine mora*.

(45) *Degrunnit*. Grunnit, porcelli vocem exprimir, imitatur, ut antea fecerat. Non pauci legunt *digrunnit*. Sed vid. Variant. nostras.

(46) *Movetque plausus*. Ciet, excitat plausus, populum commovet ad edendos plausus. Cicero in Orat. c. 236. *Admirationes*, plausus, *clamores*, *non adprobationes solum* movere *debet Orator*.

(47) *Et clamorem suscitat*. Clamor hic est adclamatio, voces adprobationis, et plausus. Cicero I. de Div. c. 59. *Idque frequentissimo theatro incredibili* clamore, *et plausu comprobatum*. Et in Orat. c. 214. *Tantus clamor concionis excitatus est*, *ut admirabile esset*. Vulgo *clamores*. Lectio tamen illa est Cod. Perott. V. Var. nostras.

(48) *Porcellum obtegere*. Rusticus nempe pallium suum ita etiam plicare et concinnare se finxit, ut porcellum obtegere videretur.

(49) *Quod faciebat scilicet*. Quod revera faciebat. Nam verum porcellum obtegebat.

(50) *In priore*. In priore Ludione, in Scurra.

(51) *Latens*. Populus nempe non sensit Rusticum verum porcellum obtegere, nam et Scurra quemdam porcellum obtegere et habere visus fuerat, et nihil tamen compererant. Latuit populum, quod Rusticus fecerat. Nominativus τὸ *latens* est *quod faciebat*, operatio Rustici. Nempe erat latens quod faciebat. Parum apte ergo Brotierius sententiam Fabulatoris abruptam autu-

Pervellit aurem (52) porco (53), quem celaverat,
Et cum dolore (54) vocem naturae (55) exprimit (56).
Adclamat populus (57): Scurram multo similius
Imitatum (58), et cogit (59) Rusticum trudi
foras (60).
At ille (61) profert (62) ipsum porcellum (63)
e sinu (64) Tur-

tumans, ex fundo suo addidit:

Exsultans turba nihil reformidat doli.

Quae a stilo etiam Phaedri plurimum distant.

(52) *Pervellit aurem*. Proprie. Nam quum aures trahimus videmur eas evellere, convellere. e suis radicibus. Ideo Virgilius VI. Eclog. v. 3 *Cynthius aurem vellit et admonuit* Auctor Copae, qui ipse Virgilius dicitur, v. ult.

Mors aurem vellit, *vivite ait venio*.

Ita Calpurnius Nemesianus Eclog. IV. v. 155. Cicero II. Tuscul. c. 20.

(53) *Porco*. Quod habet Codex Perottinus. Vulgo *vero*. Sed vid. Variant. nostras.

(54) *Cum dolore*. In eo dolorem creans, dolere eum faciens. Nam ex dolore grunnitus exprimitur.

(55) *Vocem naturae*. Naturalem, veram, genuinam porcelli vocem. Scilicet non ipse Rusticus degrunnivit, sed degrunnire fecit ipsum porcellum, et propterea non vocem fictam et simulatam, sed vocem veram, vocem ipsius naturae, qua nulla sincerior esse potest, expressit.

(56) *Exprimit*. Proprie. Lucretius lib. III. v. 553. *Voces exprimimus*. Plinius Caecil. in Panegyr. cap. 2. *Quare abeant ac recedant voces illae, quas metus exprimebat*. Et Noster supra Fab. 22. v. 7. *Gemitum exprimunt*.

(57) *Adclamat populus*. Faventi voce, laeto clamore favens populus clamat. Proprie. Cicero pro Coel. c. 10. *Populus cum risu adclamavit ipsa esse*. Tacitus I. Ann. c. 19. Adclamavere *ut Tribunus legatione ea fungeretur*.

(58) *Multo similius imitatum*. Porcellum nempe, porcelli vocem multo melius expressisse Scurram, quam Rusticum.

(59) *Cogit*. Hic contendit, pertinaci et postulat, facit ut.

(60) *Trudi foras*. Contumeliose foras eiici: Vi dispelli foras, ut contemtum, ineptum, et futilem ludionem. Apposite. Nam *trudere* non est tantummodo *eiicere*, sed vi pellere, urgendo, agendo dispellere. Tacitus II. Ann. c. 11. *Dein* (hostes) *coorti, et undique effusi trudunt adversos, instant cedentibus, collectaque in orbe pars congressi, quidam eminus proturbant*. Et Noster in reliq. vulg. lib. V. fab. 7. v. ult.

Ab universis capite est protrusus foras.

Vid. et. Lucret. VI. v. 1031. I. v. 292.

(61) *At ille*. Rusticus scilicet.

(62) *Profert*. Proprie. Nam de

Turpemque, aperto pignore (65) errorem exprobrans (66):
En hic (67) declarat quales sitis iudices (68).

EPI-

de re abscondita, et celata agitur. Terentius Adelph. III. 2. v. 41. *Nunc si hoc palam* proferimus. Cicero pro Archia c. 6. Proferre *aliquid in aspectum et lucem*. Horatius II. Epist. 2. v. 116. Proferet *in lucem*.

(63) *Ipsum porcellum*. Verum, quem celaverat.

(64) *E sinu*. Suo, quo porcellum pallio, aliove vestimento obtectum et celatum habebat.

(65) *Aperto pignore*. Manifestissima re, argumento certissimo et evidentissimo. Quo sensu Cicero I. Philipp. c. 2. Pro Coelio c. ult. Severus in Aetn. v. 489. Ovidius II. Met. v. 38. Et Art. II. v. 378. aliique τῷ *pignus* utuntur. Recte autem et *aperto*, claro nempe, perspicuo, manifesto. Vid. Lucretium lib. I. v. 233. Ovidius I. Met. v. 222. Et Nostrum supra Fab. 15. v. 14. Temere ergo Burmannus autumabat forte in hoc *aperto pignore* mendum esse. Quin Auctor haud maiore cum proprietate loqui poterat, ut ex adductis Auctoribus, et aliis patet: Quibus *pignus* manifesta res est, perspicua, argumentum evidens: Quae potestas inde facta est nomini, quod *pignora* in certa animi argumenta, ad ostendendam luculenter voluntatem darentur. Vid. etiam Variant. nostras.

(66) *Exprobrans*. Cum probris et contumeliis obiectans. Vulgo legitur *probans*. Sed lectio Perottini Codicis genuina est. Vid. Variant. nostras.

(67) *Hic*. Porcellus, quem videtis.

(68) *Quales sitis iudices*. Quam recte iudicetis, quam rectum et verum iudicium feratis. Scilicet contra hic manifestissimum facit, quam perverse iudicetis, quam inepti iudices sitis, et quam transversos vos agat pravus favor.

(*) Hos

EPILOGUS.

Auctor (*).

Hoc, qualecumque est (1), Musa quod ludit mea (2),
Nequitia (3) pariter (4) laudat, et Frugalitas (5):
Sed

(*) Hos tres versiculos suppeditat Codex Perottinus, neque adhuc in edito Phaedri libro apparuerunt. Visum est perspicuum eos ad quempiam Epilogum pertinuisse, quamobrem hîc apposuimus.

(1) *Qualecumque est*. Ex Poetarum potissimum stilo, qui ea formula ad deflectendam invidiam frequenter utuntur. Vid. Ovidium I. Trist. 1. v. 42. Eleg. X. v. 18. V. Eleg. 11. v. 24. II. ex Pont. 5. v. 11. etc.

(2) *Musa quod ludit mea*. Iterum ex Poetarum stilo, qui carmina sua Musarum vocabulo appellant. Horatius I. Satyr. XIX. v. 28.

Temperat Archilochi Musam *pede mascula Sappho*,
Temperat Alcaeus.

Ovidius IV. ex Ponto Eleg. XVI. v. 29.

Musa*que Turant Tragicis innixa cothurnis*,
Et tua cum socco Musa, *Melisse*, *levi*.

Et Eleg. XV. v. 40.

Transit nostra feros si modo Musa *Getas*.

Ludere autem dicuntur etiam Poetae, quum canunt scribuntque carmina sua. Catullus Carm. LXVII. v. 17. *Multa satis* lusi. Virgilius Eclog. I. v. 10.

Ludere *quae vellem calamo permisit agresti*.

Eclog. VI. v. 1. Thalia

Prima Siracusio dignata est ludere *versu*.

Ita et IV. Georg. v. 564. Tum Noster in vulg. lib. IV. Prol. v. 1.

Ioculare tibi videtur et sane leve,
Dum nihil habemus maius calamo ludimus.

(3) *Nequitia*. Improbitas, malitia. Ex Auctoris stilo, pro hominibus improbis, malignis, invidis. Vox autem hoc sensu sumitur etiam superius hoc libro Fab. I. v. 2. ubi vide quae adnotavimus.

(4) *Pariter*. Unâ, simul, eodem tempore. Vid. Lib. I. Fab. 4. ad v. 11.

(5) *Frugalitas*. Homines frugi, probi, boni, temperantes. Apposite. Nam Cicero III. Tuscul. c. 8. *Tres virtutes*, ait, *fortitudinem*, *iustitiam*, *prudentiam* Frugalitas *est complexa*. Et paullo antea: *Reliquas etiam virtutes* Frugalitas *continet*.

 (6) *Haec*

Sed haec simpliciter (6); illa tacite irascitur (7).

(6) *Haec simpliciter*. Supple *laudat*. Homines nempe frugales, et probi Musam meam candide, ingenuo et sincero animo, ex vera animi sententia laudant. Quo sensu Coelius ad Ciceron. int. Epist. hui. ad Fam. lib. VIII. n. 6. *Cavendum tibi erit ne parum* simpliciter *et candide posuisse inimicitias videaris.* Plinius Caecil. l. Epist. 13. *Ante finem recedunt, alii dissimulanter, et furtim, alii* simpliciter *et libere*. Et lib. V. Ep. 3. *Extitisse etiam quosdam, qui scripta quidem ipsa non improbarent me tamen amice*, simpliciterque *reprehenderent, quod haec scriberem recitaremque*. Tacitus lib. I. Hist. cap. 15. *Etiam ego ac tu* simplicissime *inter nos hodie loquimur, ceteri libentius cum fortuna nostra, quam nobiscum*. Et Noster supra Fab. X. v. 7. *Canis simpliciter* ait.

(7) *Illa tacite irascitur*. Nequitia nempe. Homines maligni, invidi, palam quidem Musam meam, mea carmina laudant; Sed clam, in secreto irascuntur, mihi irati vivunt. Hoc illud est quod aiebat. Fab. XXIII. v. 1.

Quid iudicare cogitet Livor modo,
Licet dissimules, pulchre tamen intelligo.

F I N I S.



INDEX

VERBORUM, VOCUM, ET RERUM PRAECIPUARUM.

Numeri paginas: D. Dissertationem notat.

A.

Cor-

G.

N.

Pun-

Tri-



